Cam. a. 680. 1.

ΕΠΜΗΝΕΙΑ
LOGICA,

Seu

SYNOPSEOS LOGICÆ BURGERSDICIANÆ

Explicatio,

Tum per NOTAS tum per EXEMPLA;

Authore

ADRIANO HEEREBOORD;

Phil. Profess. Acad. Leid. Primario.

Editio nova accurata.

UNIVERSITY LIBRARY CAMBRIDGE

Accedit ejusdem Authoris.

PRAXIS LOGICA.

CANTABRIGIÆ,
Ex Officina *Joan. Hayes*, celeberrimæ
Academiæ Typographi, 1680.

URBIUM
HOLLANDIÆ, &c.

MAGISTATUI SUPREMO.

Nobilissimi, amplissimi, spectatissimique Viri.

Rigesimus primus labitur annus, ex quo, communi suffragio & publica authoritate *Illustriss.* ac *Præpotentiss.* D. D. *Ordinum Hollandiæ West-Frisiæque*, in hujus *Provinciæ Scholas*, ne tenera Juventus nimium distraheretur, alios præter libros, introducta est *Logica* Cl. Viri, Præceptoris ac Prædecessoris mei, *Franconis Burgersdicii*, in eum finem ab ipso, eorundem jussu conscripta, eorumque nominibus inscripta, *magna minorque*. Verum enimvero, cum *magnam* tyronibus hujus artis nimium longam ac difficilem, *parvam* nimis brevem ac sterilem esse, experientia comprobasset, rogatus fui ac postulatus non semel à diversis diversarum Scholarum Rectoribus, ut *Synopsin* ejus, breviorem ac steriliorem, *Notis* atque *Exemplis*, ad captum tyronum accommodatis, auctiorem redderem ac fertiliorem: quod, tandem me exorari passus,

ante ſexennium præſtiti; & res iſta conatúſque noſter (quod præfiſcine dictum eſto) feliciter ceſſit ceciditque. Has curas cogitationéſque, tertio nunc recuſas, *Nobiliſſ. Amplitud. Veſtrarum Nominibus Illuſtriſſ.* inſcriptum eo, ut *Synopſin* iſtam *Burgerſdicianam* in Scholas veſtrarum Urbium introducatis, aut in eas invectam, *Notis* ità à me & *Exemplis* illuſtratam, & tertio editam, atque emendatius auctiuſque, in iiſdem retineatis, ad juventutis veſtræ commodum, & ut me *Authorem* in clientelam veſtram recipere dignemini. Scripſi *Lugduni Batavorum Nonis Aprilibus*, Anno 1657.

Illuſtriſſ. Amplitud. Veſtrarum Devotiſſ. cultor,

Adrianus Heereboord, *Philoſophiæ in Academia patria Profeſſor primarius.*

PRÆ-

PRÆFATIO
AD SCHOLARUM
Hollandiæ Weſt-Friſiæque
& *aliarum* Rectores.

Iſto vobis jam tertio, eruditiſſimi Viri, Synopſin Logicæ Burgerſdicianæ, Notis *à me, quantum potui, perſpicuis &* Exemplis *illuſtratam. Quid me moverit ut hunc laborem ſuſceperim, paucis olim expoſui verbis, Quindecim ſunt præter propter anni, ex quo Logicam publicè privatimque expono; ac jam aliquoties hoc curriculum à carceribus ad metam decurri, in publicis lectionibus, nulli adſtrictus textui, per locos inceſſi communes & generales rerum* Logicarum *titulos, filum tamen ſemper ſecutus & ſeriem* Logicæ majoris Burgerſdicianæ, *quod eam aut in Scholis jam prælibaſſent Logicæ ſtudioſi recenter ad Academiam promoti, aut privatis enarrationibus à me explicari audirent: in iis enim, ipſi* Inſtitutionum Logicarum *textui, de verbo ad verbum, tum quoad* theoremata, *tum quoad* commentarios, *exponendo, inſiſtere atque immorari, conſuetudo mihi fuit à longo tempore. Sed enim, ut verum fatear, ipſa multorum annorum experientia deprehendi, multa eſſe in* Inſtitutionibus *iſtis minùs commoda, ut pro privatæ prælectionis textu inſervire valeant, nedum ut idonea ſint ad captum tyronum in triviali adhuc pulvere luctantium; quippe & ſublimia nimis ſunt ac μεταφυσικώτερα quæ de* prædicabilibus & affectionibus Logicis *ibi traduntur & multa quoque in iis exiſtunt, (ut eſt* Modalium & Enunciationum & Syllogiſmorum *doctrina,) quibus abſque detrimento Scholaſtica atque Academica juventus carere poteſt: atque hinc factum quoque eſt, ut ſua prolixitate tædium fere pepererint Logicæ ſtudioſis, qui ſæpe dimidia tantum earum parte audita, reliquam, & tamen longe utiliſſimam, inſuper neglectui habuerunt. Sed ne illarum* Inſtitutionum Synopſis *hîc mihi unquam ſatis*

facere

facere potuit, quod ſterilis nimium illa eſſet & jejuna. Quare, id conſilii annos ante ſex cepi, quod nunc me executum videtis, ut operam meam conferrem, & horas aliquot darem iſti Synopſi *per* notas *perſpicuas & exempla illuſtrandæ: quod an aſſecutus fuero, veſtri erit judicii. Quicquid ſit, nihil hîc egi ad pompam vel oſtentationem ingenii, vel magnæ exiſtimationis gloriam, ſed ad utilitatem tantum ſtudioſæ juventutis: neque aliquid detractum iri Clariſſimi* D. Burgerſdicii τῷ μαχαιρῶ, *Præceptoris item & Prædeceſſoris mei, laboribus; nam textum ejus in* Synopſi *reliqui integrum,* notaſque *ſolum meas & exempla appoſui. Neque aliquid hîc tentatum eſt aut factum contra decretum* Illuſt. D. D. Ordin. Hollandiæ *ac* Weſt-Friſiæ, *quo ſtatuerunt publica authoritate, in Scholis ſuæ Provinciæ trivialibus recipiendum eſſe* Logicæ Burgerſdicianæ *juxta* Inſtitutiones Synopſin: *quia retinetur eadem, ſed ad uſum tantum & commodum majus Scholaſtica atque etiam Academicæ juventutis accommodatur magis. Vos itaque,* Viri clariſſimi, doctiſſimi, *operam hanc meam non tantum boni conſulite, ſed ea utimini, ad juventutis commiſſæ vobis ſtudia felicius promovenda, qui laboris mei fuit ſcopus.*

Cæterum & hoc monitos vos velim, Viri ornatiſſimi, *tertiam hanc* ἐρμηνείας *noſtræ Logicæ editionem, eſſe tertiam fere partem notis exemplisque auctiorem, atque ita inſtitutam, ut Logicæ tyronibus tum in ſchola triviali, tum in Academia inſervire valeat: atque ideo, quæ provectioribus, exercitationibus, atque Academicis conveniunt ſtudioſis, magis quam tyronibus ſcholaſticis, uncis* [ ] *incluſi: atque in illis ipſis quæ ſoli juventuti in Scholis etiamnum verſanti proponenda atque exponenda veniunt, quædam adhuc, pro captu tyronum, omitti poſſunt; quod judicio & prudentiæ Præceptorum, & laboris mei fructum atque eventum Deo commito.*

Lugd. Batav. Poſtridie Nonas Aprilis M. DC. LVII.

Adrianus Heereboord, *Philoſophiæ in Academia patria Profeſſor primarius.*

In

In ſummi piæ memoriæ

VIRI,

D. F. BURGERSDICII,

Philoſophia quondam in Academia

LUGDUNO-BATAVA

Profeſſoris,

SYNOPSIN LOGICAM,

à digniſſimo ejus diſcipulo ac ſucceſſore,

D. ADRIANO HEEREBOORDIO,

Leidenſi, *Notis & Exemplis* auctam, illuſtratam.

QUI Sophiæ Doctor cœpit, Francone *Magiſtro,*
De ratione loqui, cum ratione loqui:
Qui patriis feſſo Batavûm ſucceſſit Athenis
Vel novus Alcides *vel novus alter* Atlas;
Cui vel in arte ſua jam lampada tradere Franco,
Diſcipulique velit vivere diſcipulus;
Exhibet hanc alium nobis Adrianus, *eundem*
Exhibet hunc nobis de ratione librum.
Hinc Burgerſdici, *ſimul hinc* Heerebordia *cura,*
Summaque dexteritas hajus & hujus adeſt.
Improbe quid dentes acuiſti, Mome! *ſiniſtro,*
Improbe, quid ſpectas lumine? pulſus abi,
Candidus interpres quod Burgerſdicius *ipſe,*
Ipſe quod acturus, ſi ſupereſſet, erat,
Explicuit præcepta notis Heereboordius, *& quæ*
Nota minus fuerant, reddidit ille magis.
Siqua viderentur dubiæ tenebroſa juventæ,
Prætulit obſcuris, prætulit ille facem.
Qua bene præceſſit, ſalvo præeuntis honore.
Hæc bene promovit lucis amator iter.
Per Præceptoris veſtigia trita tenellas
Dirigat ut mentes, porrigit ille manum.

Ingenuæ,

Ingenue, ſub quo profecerit ante, profeſſus,
Diſcipulum docte ſe probat ille pium.
Improbe, quid dentes acuiſti, Mome? ſiniſtro,
Improbe, quid ſpectas lumine? pulſus abi.
Quin potius dediſce tuos ſemel, improbe, mores.
Quin tandem mecum diſcere diſce ſemel;

Demere nil operi, ſed & addere plurima; grates
Hoc bis agentis erit, bis referentis erit.

Henricus Bruno.

PRO-

PROLEGOMENA
Sive
PRÆCOGNITA
AD
LOGICAM.

VOX *Philosophia* origine est Græca, & primum introducta à *Pythagora*; qui, cum coram *Leonte Phliasiorum* rege multa præclare & sapienter disseruisset, rogatus quamnam profiteretur artem, & in qua re esset sapiens, ex modestia respondit, se non σοφὸν, sed φιλόσοφον id est, non sapientem sed sapientiæ studiosum esse: ab illo tempore, quæ sapientia ante dicebatur simplici voce, σοφία, dicta est φιλοσοφία, manstitque illud vocabulum in hoc usque tempus; ac licet proprie ex vocis origine significet *amorem sapientiæ*, hic tamen ipsam notat *sapientiam*, & quidem illam quæ naturæ viribus & naturali intellectus lumine acquiri potest.

Philosophia perfecte definiri nequit, quia est ens aggregatum, nam complectitur sub se plures habitus; qualicunque tamen descriptione explicari valet. Et, ut varias ac remotas Philosophiæ descriptiones omittamus, quæ videri possunt apud *Scheiblerum* in *Introductione ad Logicam*, & *Keckermannum* in *Præcognitis Philosophicis*, nobis dupliciter definitur: vel, quod sit *Notitia rerum divinarum & humanarum, quantum homo eas naturali intellectus lumine percipere potest*; vel, quod sit *Compages ordinata scientiarum, prudentiarum & artium:* ubi tamen observetur, non ab omnibus philosophis, Artes sub ambitu Philosophiæ comprehendi. Utramque definitionem explicatam dabimus.

Cum Philosophia dicitur *Notitia*, intelligenda est non actualis, sed habitualis; vox enim notitia ambigue sumi-

tur: nâm interdum significat actum ipsum cognoscendi, interdum habitum, id est, facilitatem cognoscendi intellectui inditam: posteriori modo hîc accipitur. Per *res divinas* intelliguntur, tum Deus ipse, tum illa quæ à Deo vel immediate sunt creata, vel mediante natura sic sunt producta, ut ea facere nec potestatis, nec arbitrii sit humani. Per *res humanas* intelliguntur illa, quæ à Deo quidem fiunt, sed mediante homine, & in quæ homo potestatem accepit, pro suo arbitrio ea faciendi vel non faciendi. Res divinæ vocantur aliis necessariæ, res humanæ contingentes: de utrisque vide caput ultimum *Logicæ Synopseos Burgersdicianæ, quæst. prima, in commentario.* Cum additur in definitione, *quantum homo naturali intellectus lumine percipere valet*, distinguitur Philosophia à Theologia: & ut hoc discrimen clariùs pateat, notandum est, triplex dari lumen, quo intellectus humanus in intelligendo quasi illuminetur, nempe, lumen naturæ, gratiæ, gloriæ. Lumen naturæ omnibus hominibus commune est, estque nihil aliud quam naturalis, & omnibus, sive Christianis sive Paganis, connata facultas intelligendi. Lumen gratiæ solis Christianis est proprium, vocaturque aliàs lumen fidei ac revelationis, & per illud cognoscuntur res Theologicæ ex verbo Dei. Lumen gloriæ dicitur id quo illuminantur beatæ animæ, & angeli confirmati in statu glorificationis. Philosophia respicit solum lumen naturæ.

Porro, quod alteram spectat definitionem Philosophiæ, cum Philosophia dicitur *compages ordinata*, ejus significatur genus: constat autem ista ordinatio in eo quod certo ordine præcepta tradantur in Philosophia de rebus divinis & humanis. Cum additur, *scientiarum, prudentiarum & artium*, exprimuntur ista, ex quibus Philosophia aggregatur, &, ut sic loquar, compaginatur.

Genuinam Philosophiæ definitionem explicatam excipit ejus Partitio seu Distributio, quæ institui solet vel in duo, vel in tria membra. Qui *Aristotelem* sequuntur pressius Philosophiam dividunt in Theoreticam & Practicam: alii addunt membrum tertium, partem ποιητικὴν. Pars Theoretica complectitur scientias, Practica prudentias, ποιητικὴ artes.

artes. Scientiæ tres sunt, Metaphysica, Mathematica, Physica: totidem sunt Prudentiæ, Ethica, Oeconomica, Politica: totidem Artes, Grammatica, Rhetorica, Logica. Si Philosophia tantum dividatur in duas partes, Logica non erit philosophiæ pars, sed instrumentum: si in tres, erit & pars philosophiæ, & instrumentum simul cognoscendi reliquas duas philosophiæ partes, quin & omnes omnino disciplinas.

Philosophiæ partes distinguuntur per objectum & finem. Objectum philosophiæ theoreticæ sunt res divinæ: finis est contemplatio, id est, solius veritatis perceptio. Objectum philosophiæ practicæ & ποιητικῆς sunt res humanæ, id est, tales, quæ sunt sitæ in potestate hominis ut fiant vel non fiant. Finis utriusque est operatio tum moralis tum artificialis. Exemplis hæc singula declarabimus. In Physica, verbi causâ, agitur de cœlo, stellis, elementis, nive, grandine, lapidibus, plantis, animalibus, &c. quæ omnia ut fiant, in nullius hominis potestate est collocatum; ideoque in illorum contemplatione mens humana acquiescit: nam quid ulterius intenderet? In Ethica agitur de virtutibus & vitiis moralibus, quæ ab homine unoquoque vel fieri possunt vel non fieri; ideoque non tantum explicantur ut cognoscantur, sed ut in actum & exercitium deducantur. In Logica agitur de definitione, divisione, syllogismo, &c. quæ cognoscendi instrumenta non sufficit scire, sed oportet ea cognita ad praxin revocare. Hinc liquet finem Philosophiæ theoreticæ esse nudam veritatis contemplationem; nam stultum foret, intendere productionem aut cœli, aut stellarum, aut elementorum, aut ullius corporis naturalis, cum illa producere sit solius Dei, & nullius hominis: At verò cum homini concesserit Deus esse liberalem vel non, fortem vel non, justum vel non, &c. id est, hanc vel illam virtutem exercere vel non, non tantum sufficit naturam virtutum & vitiorum cognoscere, sed oportet virtutes exercere, vitia fugere, quod est non tantum cognoscere, sed aliquid agere: Sic, cum in hominis potestate posuerit Deus, syllogismum facere vel non facere, non sufficit quoque cognoscere, quomodo syllogismus sit faciendus, sed oportet eum facere. Hoc tamen discriminis est inter operationem

tionem moralem, quæ pertinet ad Philoſophiam practicam, & artificialem, quæ pertinet ad Philoſophiam ποιητικήν, quod operatio moralis denominet operantem bonum vel malum, probum vel improbum; ſed operatio artificialis tantum denominat operantem peritum vel imperitum, ſcientem vel ignorantem. Sic, verbi cauſa, qui liberalitatem, juſtitiam, aut alias exercet virtutes, dicitur vir bonus aut probus, & qui contraria exercet vitia, dicitur vir malus & improbus; at qui bonum facit ſyllogiſmum, non ideo eſt vir bonus, nec, qui malum, ideo eſt vir malus. Operationem moralem Græci vocant πρᾶξιν, Latini actionem; artificialem vocant Græci ποίησιν, Latini effectionem: hinc ars Ariſtoteli definitur *habitus effectivus*. Hoc diſcrimen inter illa duo vocabula extra philoſophiam *Ariſtotelis* non obſervatur, in ea tamen accurate obſervari ſolet. De ſingulis ſcientiis Philoſophiæ theoreticæ, Metaphyſica, Mathematica, Phyſica, ut & de ſingulis prudentiis, Ethica, Oeconomica, Politica, nihil dicemus ſpecialius; videri poſſunt *Scheiblerus* in *Logica* & *Metaphyſica*, *Keckermannus* in *præcognitis Philoſophicis*, *Alſtedius* in ſua *Encyclopædia*, *Pererius* in *Phyſica*, &c.

Ad noſtrum inſtitutum pertinet tertia philoſophiæ pars, cujus membrum eſt Logica: cum enim ars ſit habitus aliquid efficiendi, Logica autem bene percepta, in nobis efficiat ſyllogiſmos, definitiones, diviſiones, &c. merito ad artes reducitur, quæ ſub tertia Philoſophiæ parte comprehenduntur. Hoc inſuper eſt notandum, & ſcientias, & prudentias, & artes, eſſe conceſſas generi humano, ut ejus ignorantia circa res quaſlibet ſuccurreretur: ſpeciatim, donum eſt divinum Logica, quippe quæ non quidem explicat res, ſed modum tamen docet res quaſcunque cognoſcendi, cujuſcunque fuerint diſciplinæ, & ſic quaſi univerſalis eſt animi medicina, quæ omnis ignorantiæ tenebras depellit. Dicitur enim Logica à voce λόγος, quæ vox ſignificat rationem, aut mentem, aut intellectum, quia ejus nebulas removet & fugat, ut clarius ex ipſo hujus *Syno*ſ*eos Logicæ* & *Commentariorum* corpore patebit.

INSTI-

INSTITUTIONUM LOGICARUM *Synopsis*, sive *Rudimenta* LOGICA.

Capita respondent capitibus Institutionum LOGICARUM *majorum.*

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Quæstio I. *Unde dicta est Logica?*

A Voce λόγος, quæ, inter cætera, tum *rationem* tum *orationem* significat. Logica enim dirigit intellectus nostri *rationem*, sive conceptus, eosque docet apta *orationi* interpretari.

1. *Logica*) Vox *Logica* est adjectiva, & subintelligitur disciplina, ars, scientia, aut simile substantivum, est autem hæc vox origine Græca, derivata à voce λόγος, quæ significat, inter alia, *rationem* & *orationem*, utraque significatio hujus est loci. Rationem alii vocant sermonem internum; orationem sermonem externum: quia ratio in mente latet, oratio in lingua patet. Logica aliis vocatur *Dialectica*; quamvis Peripateticis, id est, iis qui Aristotelem presse sequuntur, hæc vox tantum illam partem

tem Logicæ notet, quæ agit de Syllogismo topico, sive contingenti.

2. *Rationem*) *Ratio* significat vel ipsam facultatem ratiocinandi, quæ dicitur quoque *mens* & *intellectus*, vel ipsam ratiocinationem: illa vocatur ratio in actu primo, hæc, ratio in actu secundo. Posteriori modo hic sumitur, significatque ipsam intellectionem mentis humanæ, seu conceptum ejus; sic ut *Intellectus nostri ratio*, seu *conceptus*, idem sit quod cognitio, intellectio, notio, apprehensio, cogitatio, conceptus.

3. Actus primus in Philosophia significat principium operandi, actus secundus ipsam operationem: sic, verbi causa, principium videndi, seu *visus*, est actus primus, ipsum *videre*, actus secundus; ita hoc loco, ratio in actu primo, vocatur principium ratiocinandi, ratio in actu secundo dicitur ipsa ratiocinatio. Logica dirigit propriè, non rationem in actu primo, hoc est, ipsum intelligendi principium; sed dirigit rationem in actu secundo, id est, ipsas nostras intellectiones.

[4. *Conceptus*] sive notio, definitur, *repræsentamen rei in intellectu*: illa repræsentatio fit per imagines rerum in intellectu receptas: nam ab omnibus rebus quædam profluunt effluvia, sive imagines, quæ res repræsentant, quando illæ per aerem devehuntur ad oculum aut cerebrum, ipsæ tamen nec videntur, nec intelliguntur, sed per illas omnia & videntur & intelliguntur. Repræsentationes rerum in oculo vocantur species visibiles, & in genere, sensibiles repræsentationes rerum in cerebro vocantur species intelligibiles: ipsum vero cerebrum idoneum est hisce imaginibus recipiendis quia est substantiæ flaccidæ, humidæ, & mediosæ.]

[5. *Species* dicitur ab inusitato verbo *specio*, quod olim significabat *video*; ut proprie *species* sit imago rei delata ad oculum, qua res videtur, sed per synecdochen hæc vox translata est ad imagines receptas in intellectu, quibus res intelliguntur. Est autem hoc plane admirandum, quod, cum nulla res quæ videtur aut intelligitur, vel oculum vel intellectum subeat, ab omni re effluant tales species, id est, imagines, quibus omnia videntur & intelliguntur, quæ vel oculo vel intellectui res repræsentant, atque ibi quasi pingunt: quemadmodum enim pictura repræsentat rem pictam, ita istæ species sive imagines repræsentant rem visam aut intellectam.]

[6. Quando anima ad repræsentationem rerum factam in cerebro attendit, dicitur *intelligere*, & vocatur tum *intellectus*; & ipsa *intellectio* nihil aliud est quam repræsentatio rei ab intellectu perceptæ.]

7. Est vero cognitio mentis nostræ triplex, quæ à Logica dirigitur: una, quæ dicitur *apprehensio simplex*, & *prima mentis operatio*; altera, quæ dicitur *compositio & divisio*, & *secunda mentis operatio*; tertia, quæ dicitur *discursus*, & *tertia mentis operatio*. I. *Apprehensio simplex* est unius rei unica impressio, aut repræsentatio, facta in intellectu aut cerebro per speciem intelligibilem unam; ut, cum simpliciter intelligitur *lapis*. Quemadmodum cum in speculum aut in ceram aliquam imprimitur unum sigillum, est repræsentatio simplex

simplex sive una; & si speculum vel cera foret animata, esset apprehensio simplex: ita quoque cum in intellectu aut cerebro, quæ sunt instar speculi aut ceræ, una imprimitur res, *apprehensio* dicitur *simplex*, & ipsa res apprehensa, *thema simplex*. II. Duarum rerum impressiones duæ, in intellectu aut cerebro factæ per duas species intelligibiles, vocantur *conjunctio & divisio*, si scil. affirmentur vel negentur res simpliciter apprehensæ; & res ipsæ vocantur *thema complexum*, *Conjunctio & divisio* idem significant, quod affirmatio & negatio: utraque fundatur in ipsarum rerum consensu & dissensu. omnes enim res ita sunt conditæ à Deo, naturæ autore, ut, aliquo modo inter se conveniant, (hæ in intelligendo inter se debent conjungi, & in enunciando de se invicem affirmari) atque aliquo modo inter se discrepent, (quæ in intelligendo debent à se invicem dividi, & in enunciando de se invicem negari:) hæc rerum conjunctio & divisio in intellectu facta nuncupatur *Judicium*. III. Quando plures impressiones rerum plurium inter sese disponuntur, tri-

busque enunciationibus comprehenduntur, & se mutuò notificant, vocantur *discursus*: ut, si mens apprehendat quid sit *lapis*, quid sit *figura quadrata*; & tum probet, aliquod corpus esse figuratum figura quadrata, per tertium & medium terminum *lapis*, (qui hoc notificat) erit *discursus*: ut, *Lapis habet figuram quadratam. Lapis est corpus. Ergo aliquod corpus habet figuram quadratam.* Vel si probet lapidem esse quadratum, quia constat 4. lateribus: ut, *Quod constat 4. lateribus, est quadratum. Lapis constat 4. lateribus. Ergo est quadratus.*

8. In hisce tribus cognoscendi vel concipiendi modis, intellectum aut rationem dirigit Logica.

[9. Omnis intellectio humana ad tres hasce mentis operationes referri potest: quicquid enim intelligas, vel apprehendis simpliciter, vel affirmas aut negas, vel ratiocinando ex præmissis conclusionem inferis, quod est *discurrere*.]

10. *Apta*) id est, perspicua ac distincta, & quæ clare exprimat ac significet res intellectas. Orationis ornatum Rhetorica, emendationem Grammatica spectat, claritatem Logica.

Quæst. II. *Quid est Logica?*

Logica est Ars conficiens instrumenta, iisque dirigens intellectum in cognitione rerum.

1. Trium sunt generum præcepta, quibus artes omnes, scientiæ, ac disciplinæ, docentur & discuntur. 1. *Definitio*, quæ explicat quid res sit: 2. *Divisio* quæ docet quotuplex sit: 3. *Canon*, qui exponit proprietatem, quæ nec definitione nec divisione percipi potuit: dicitur, etiam *maxima* aut *regula*.

2. Ab hisce trium generum præceptis, definitione, divisione, canone, accurate debent discerni *commentarii* quibus explicantur; quia plus libertatis est in commentariis quam in præceptis. Nam præcepta debent esse singulis disciplinis propria, & nullum præceptum, quod ad unam pertinet disciplinam, inferen-

cum est aut inferendum disciplinæ alteri: sic, verbi causa, in hac ipsa Logica nullum debet inferi præceptum quod pertinet ad Physicam aut Metaphysicam, aut ullam aliam disciplinam: ideo singulis disciplinis suæ sunt definitiones, divisiones, & regulæ propriæ. At vero in commentariis, ibi licet ex quacunque disciplina proferre quæ faciunt ad explicationem præcepti præsentis: ita, verbi causa, in commentario alicujus vel definitionis, vel divisionis Logicæ, licet proferre exempla & alia ex Physica, ex Metaphysica, Theologia, & quacunque disciplina.]

3. *Logica est ars)* In omni definitione duo sunt, *Genus* & *Differentia*. *Genus* significat naturam communem rei definitæ cum rebus aliis: *Differentia*, naturam rei definitæ propriam. Exempli gratia, *Animal* est genus, quia significat naturam, homini, tanquam rei definitæ, cum rebus aliis, scilicet brutis, communem: *Rationale* differentia est, quia significat naturam soli homini propriam. Sic in definitione Logicæ, *Ars genus* est, quia significat naturam Logicæ cum Grammatica, Rhetorica, Medicina, aliisque artibus communem: reliqua verba *differentiam* designant, quia describunt naturam Logicæ propriam. Desumpta vero est *differentia* à fine, qui est *cognitio rerum*, ab officio quod est *conficere instrumenta*, à subjecto circa quod versatur, quod est *Intellectus*, seu potius intellectus operatio.

4. *Ars)* Duùm sunt generum potentiæ in homine cum nascitur, quædam statim à nativitate operantur, uti facultas nutrix, accretrix, videndi, &c. quædam non item, ut facultas loquendi, ambulandi, intelligendi, &c. & hæ, ut in actum prorumpant, egent frequenti actuum exercitio, quod inducit habitum, id est, aliquam producit qualitatem, quæ potentias, ante ineptas ad operandum, reddat faciles, promptas, atque expeditas in operando: talis habitus, intellectum facilitans in intelligendo, dicitur Logica, & vulgo *Logica habitualis*.]

[5. Atque hæc distinguitur à Logica extra mentem, libro contenta, quæ, quia nihil est aliud quam congeries præceptorum, id est, definitionum, divisionum, & canonum, recta methodo dispositorum, *systematica* dicitur. Logica habitualis sic vocatur, quia habetur, hoc est, possidetur ab intellectu hominis in quo est, & quia eum reddit habilem, hoc est promptum & expeditum ad intelligendum; ideoque hæc in mente hominis, non extra eam, est: at systematica dicitur à systemate, id est, congerie præceptorum, quæ in unum librum ac codicem sunt compacta; ut cum aliquem rogamus, an Logicam discat *Aristotelis*, An *Rami*. Definitur vero hoc loco Logica habitualis, non systematica, ob hanc causam: Quia Logica illa debet definire, quæ finis est docenti ac discenti propositus; traditur enim Logica methodo analytica, quæ initium facit à fine, atque ab eo transit ad media, quibus finis acquiritur. Sed finis docenti ac discenti propositus, est Logica habitualis, quæ intellectum reddat habilem ad intelligendum; non systematica, quæ solo codice comprehenditur. Hujus Logicæ habitualis genus ponitur *ars* non *scientia*, non *habitus instrumentalis*.

Tres

Tres sunt opiniones de genere Logicæ. Nonnulli illud faciunt Scientiam, ut Conimbricenses & Scholastici: nonnulli habitum instrumentalem, ut Zabarella & alii: nonnulli Artem, ut Keckermannus & Author noster. Sententia postrema est vera, quod per membra probatur.]

[6. *Ars* est genus Logicæ, quia est habitus, quo intellectus aliquid efficit, puta, definitiones, divisiones, syllogismos, & methodum, secundum præscriptum rectæ rationis, id est, secundum præcepta quæ à recta ratione profluxere. Per rectam vero rationem intelligitur judicium intellectus, nullis præjudiciis aut affectibus abreptum. Male nonnulli intelligunt per rectam rationem, incorruptam, & peccato originali carentem: talis quippe nulla datur; omnis enim intellectus humanus nascitur corruptus, sed illa dicitur recta ratio, quæ libera est ab affectibus pravis & præjudiciis. Quid affectus pravi sunt, experientia constat, & unusquisque in se nimis quam sæpe deprehendit; ut est ira, metus, &c. cum excedunt modum. Quid præjudicia sint, multi ignorant, aut ignorare volunt, qui tamen iis laborant: nempe, præjudicia voco, judicia mentis lata de rerum veritate, antequam illa debite sint examinata, aut sæpe ad examen ne quidem vocata; ut, cum quis aliquid accepit tanquam verum ob authoritatem solam alicujus, verbi causa, *Aristotelis*, vel quia hoc judicium ab infantia sua circumgessit, & per solos sensus accepit, atque in eo acquievit, nullo unquam facto per intellectum, aut instituto per rationem examine.]

[7. Non est vero genus Logicæ *Scientia*: quia hæc in sola contemplatione subsistit & acquiescit; Logica vero non est contenta nuda cognitione præceptorum, de definiendo, dividendo, argumentando, &c. sed istam cognitionem transfert ad operationem, actum scil. definiendi, dividendi, &c. Non est genus Logicæ, *habitus instrumentalis* aut *instrumentum*: quia nullum relatum est genus entis absoluti; sed instrumentum seu habitus instrumentalis est relatum, Logica vero ens absolutum: ergo Logicæ genus esse non potest instrumentum, vel habitus instrumentalis. Probatur minor: Nam instrumentum refertur tum ad causam principalem cui inservit, tum ad affectum quod eo producitur: Logica autem est ens absolutum, quia ponitur in prædicamento qualitatis, & quidem in prima specie, puta habitu; at qualitas tantum entia continet absoluta.]

[8. Habitus instrumentalis dicitur *Ars*, quâ instrumenta suppeditat alteri arti; quemadmodum ars frænaria & ephippiaria, fræna & ephippia suppeditat, tanquam instrumenta, arti equestri: talis quidem habitus est Logica; nam suppeditat omnibus aliis artibus modum conficiendi instrumenta cognitionis, definitionem, divisionem, syllogismum, &c. attamen habitus instrumentalis non est ejus genus, ob rationem allatam.]

9. *Instrumenta*) scil. interna, quibus aliquid cognoscitur, ut sunt Definitio, Divisio, Syllogismus & Methodus: non externa, quibus aliquod opus extra nos & mentem nostram producitur. *vide lib. 2. cap. 1. quæst. in commentario.*

10. *Diri-*

10. *Dirigens)* proprie id dirigitur, quod à recta via aberrat. Intellectus noster ante lapsum primi parentis nostri, in cognoscendo erat perfectus; post lapsum vero multum corruptus perfectionem istam amisit, & à via perfectè cognoscendi procul aberravit: utque jam rem bene cognoscamus, opus nobis est Logica, quæ nos in rectam quasi viam reducat, & in ea retineat.

Quæst. III. *Quot sunt partes Logicæ?*

Duæ: prior agit de *Thematibus*, eorumque variis affectionibus; posterior disserit de ipsis *Instrumentis*, quibus themata tractantur, sive quibus intellectus dirigitur, cum in thematum sive rerum cognitione quærenda versatur.

1. *Duæ)* Divisio Logicæ est non generis in species distributio, sed integri in membra. Prior pars Logicæ vocatur *Thematica*, quia circa themata versatur: posterior *Organica*, quia explicat organa, seu instrumenta cognoscendi, Prior libro primo, posterior secundo traditur.

[2. Dividitur hic Logica systematica, cum tamen fuerit definita habitualis. Et ratio est, quia illa Logica definienda erat quæ erat finis, talis est habituatis; & illa dividenda quæ comprehendebat media, & talis erat systematica.]

3. *Thematibus)* Materia instrumentorum alia est ex qua alia circa quam: materia circa quam sunt ipsa themata; & de his agitur in Prædicamentis: materia ex qua sunt affectiones thematum; de his agitur à Prædicabilibus usque ad finem libri primi.

CAP.

CAPUT. II.

Quæst. I. *Quid est thema?*

THema est, quicquid intellectui cognoscendum proponi potest.

1. *Thema)* proprie significat quodcunque ponitur; per synecdochen generis, id quod ponitur ad cognoscendum. Cognitio nihil aliud est, quàm imago & similitudo rei quæ est extra mentem, in mentem impressa; quemadmodum in speculum aut ceram imprimitur imago rei quæ est extra speculum aut ceram.

[2. Thema differt à conceptu: quod conceptus sit rei in intellectu repræsentatio; thema sit res repræsentata, & per repræsentationem cognita; sive res cognita sit vera, ut lapis, sive ficta, ut regia solis: ideoque Thema est omne ens & non ens quod cognosci potest.]

Quæst. II. *Quomodo dividitur thema?*

In simplex & complexum.

Quæst. III: *Quid est thema simplex?*

Quod sine notionum complexione, sive, sine affirmatione aut negatione, apprehenditur: ut, *Socrates, disputat*, id est, (men disputeert) *respublica, hircocervus.*

1. *Quod sine)* Thema *simplex* definitur clariùs, cum unius rei imago imprimitur in intellectum; *complexum*, cum plurium rerum imagines, æque inter se conjunctæ seu affirmatæ, vel disjunctæ seu negatæ, imprimuntur in intellectum: omnium clarissime definitur Thema *simplex*, de quo nihil affirmatur vel negatur; & *complexum*, in quo aliquid de alio affirmatur vel negatur.

2. Thema simplex unico mentis actu & ictu cognoscitur, quia res est una; ut, *lapis.*

3. *Disputat)* debet sumi indefinite pro *disputare*, vel *actu disputandi:* si enim subintelligatur definita persona, scilicet hic vel ille, esset aut significaret thema complexum. Melius dixisset Author *Disputatur:* quia sumitur & indefinite & impersonaliter; at nunquam sic sumitur vox *disputat.*

Quæst. IV. *Quid complexum?*

Quod apprehenditur, duabus pluribusve notionibus affirmatione aut negatione copulatis: ut, *Socrates disputat; Ningit, pluit; itur, statur.*

1. Non

1. Non sufficit, ut thema complexum pluribus mentis nostræ actionibus cognoscatur; sed requiritur, ut per intellectiones alias aliquid de alio vel affirmetur vel negetur. Exempli gratia, *Amor Parentum erga liberos* non est thema complexum, licet apprehendantur & *parentes* & *liberi* & *amor*, quia nihil affirmatur aut negatur: sed cum dico, *Amor Parentum erga liberos est laudabilis*, est thema complexum.

2. Ergo, nec vocum, nec notionum multitudo aut coacervatio facit thema complexum; sed affirmatio aut negatio de aliqua re. Hic quidem multæ sunt voces ac notiones; est vox ac notio *amoris*, *parentum*, *liberorum*: sed de istis nihil affirmatur aut negatur, nihil dicitur, & una vox interdum thema complexum significat, quia affirmationem aut negationem involvit. ut, *ningit*: nam verba impersonalia activa significant thema complexum, quia subintelligitur aut involvitur nominativus tertiæ personæ, ut, *ningit*, scilicet cœlum, aer, vel nubes; non item sic impersonalia passiva. Ideoque *iur*, *statur*, non sunt exempla thematis complexi, sed simplicis.

Quæst. V. *Quotuplex est thema simplex?*

Duplex; universale, & singulare.

Quæst. VI. *Quid est universale?*

Universale est, quod de pluribus suapte natura prædicari aptum est; [sic ut nomen & natura rei universalis multiplicetur in illis pluribus, de quibus dicitur.] ut, *homo*, *equus*, *planta*.

1. *Prædicari)* est idem id Logicis quod de alio dici, seu posteriori loco in enunciatione poni; quemadmodum id quod ponitur loco priori, dicitur *subjici*: unde exorta sunt nomina *subjecti* & *prædicati*, quæ significant partes enunciationis. [Dicitur vero aut prædicatur universale de pluribus, & quoad nomen & quoad definitionem, quatenus & nomen & definitio thematis universalis de pluribus enunciari potest: sicuti de Petro, Paulo, Joanne, singulisque hominibus, enunciatur & nomen & natura hominis. Hæc universalium de pluribus prædicatio fundatur in eo, quod eorum natura pluribus inest; natura enim hominis inest Petro, Paulo, Joanni, reliquisque hominibus.]

2. Notanda hic sunt verba *suapte natura*: quia ad thema universale non sufficit, ut de pluribus prædicetur; sed & debet natura illa, quæ prædicatur, inesse

esse illis pluribus, de quibus prædicatur, sic *canis* non est universale thema respectu canis domestici, marini, & cœlestis, quia non inest illis natura communis canis.

[3. Vulgo quidem dicunt, prædicari sequitur inesse, & modus prædicandi sequitur modum essendi, aut inessendi; ideoque quod prædicatur de pluribus, etiam pluribus inest, & thema universale de pluribus prædicari non posset, si non inesset pluribus, saltem inesse per naturam posset: sic autem inest pluribus, ut & natura & nomen thematis universalis in singulis multiplicetur quibus inest, & de quibus prædicatur; sic ut ista plura, singula sibi naturam universalem possideant, distinctam in singulis. Ita, verbi causa, homo prædicatur de Petro, Paulo, Joanne, quia natura humana singulis inest, sunt enim singuli, homines: ac sic inest, ut in singulis multiplicetur, sunt enim multi homines, scilicet tres; & singuli habent naturam humanam sibi propriam, distinctam à natura humana alterius; quæ enim natura humana, id est, quod corpus, & quæ anima rationalis est Petri, ea natura humana, illud corpus, illa anima, non est Pauli, non est Joannis. Hinc liquet, cur Deus non possit dici thema universale, quamvis de pluribus personis, scil. tribus, Patre, Filio, & Spiritu Sancto, prædicetur, & natura divina illis pluribus insit: quia scilicet illa non multiplicatur in illis, sic ut singulæ personæ habeant distinctam naturam divinam, singulis propriam, & sunt tres dii; sicuti Petrus, Paulus, Joannes habent distinctam naturam, singulis propriam, & sunt tres homines: ideoque, Deus non est universale thema respectu trium personarum Patris, Filii, & Spiritus Sancti, sicuti homo quidem est respectu Petri, Pauli, Joannis.]

[4. *Est aptum*) Universale non exigit actu plura, de quibus reipia & de facto prædicetur; sed sufficit, ut natura universalis sit talis, quæ de pluribus prædicari potest, si ista plura existant. Ita animal erat universale, solo existente bruto, nondum condito homine, quia licet tum de solo bruto prædicaretur actu, attamen, quia poterat prædicari etiam de aliis, scil. hominibus, universale fuit, sic homo, solo existente Adamo, non poterat nisi de illo uno prædicari actu, nam reliqui homines non erant, de quibus prædicaretur: fuit tamen universale, quia non repugnabat naturæ hominis, ut de pluribus aliis prædicaretur, si, & quando crearentur.]

[5. *Universale* vulgo dici solet Logicis, *totum potentiale*, & non *actuale*; quia nec genus, ut *animal*, exigit ut actu plures sint species, *hominis*; nec species, *homo*, exigit ut actu plura sint individua, ut *Petrus*, *Paulus*, &c. hinc natum est illud axioma philosophorum, *Genus conservari potest in una specie, & species in uno individuo.*]

6. Sol, etsi unus est, est tamen thema universale, quia per naturam aptus est prædicari de pluribus, si plures soles condantur; haberent enim & isti eandem naturam caletaciendi, illuminandi, &c. cum nostro sole.

Quæst.

Quæst. VII. *Quid est singulare?*

Quod de uno tantum suapte natura prædicari aptum est [quia uni tantum inest, sc. enti reali] ut, *Alexander*, *Bucephalus*, *hæc pyrus.*

1. *Singulare* thema proprie & per se non prædicatur, sed subjicitur: verum cum prædicatur, prædicatur tantum de uno.

[2. Cum natura Dei non uni tantum insit, sed pluribus, nempe tribus personis, nec de uno tantum, sed de tribus, Patre, Filio, Spiritu Sancto, prædicetur, non videtur esse thema singulare.

3. Resp. primo hic intelligitur tantum & definitur thema singulare finitum, non autem infinitum, quale est Deus. Secundo cum thema singulare dicitur de uno prædicari tantum, & uni inesse tantum, intelligitur illud unum tanquam inferius & subordinatum, non tanquam collaterale, & coordinatum. At Deus non dicitur de tribus personis, nec natura divina illis inest, ut inferioribus aut subordinatis, sed ut collateralibus ac coordinatis.]

Quæst. VIII. *Quomodo vocantur singularia?*

Individua. ἄτομα.

Quæst. IX. *Quare?*

Quia dividi non possunt in plura ejusdem nominis ac naturæ, [sc. singularis.] *Alexander* enim dividi non potest in plures *Alexandros* tales, qualis fuit rex Macedonum, nec *Bucephalus* in plures *Bucephalos*: at *homo* dividi potest in plures *homines*, puta in *Socratem* & *Platonem*; & *equus* in plures *equos*, puta in *Bucephalum* & *Cyllarum*, &c.

[1. Etsi plures obtinuerint nomen *Alexandri*, non tamen ideo ejusdem numero fuerunt nominis, quia non omnibus nomen *Alexandri* impositum est ab iisdem scilicet parentibus, easdem ob causas, eodem tempore ac loco, & sub iisdem singularibus circumstantiis: nec eadem natura fuit *Alexandri* hujus, quæ fuit *Alexandri* alterius, intelligendo naturam singularem; quia hic *Alexander* non fuit ille: hic Rex fuit, doctus, fortis: at ille, subditus, indoctus, ignarus, &c.

Quæst. X. *Quotuplicia sunt individua?*

Duplicia; determinata, & vaga.

Individua dicuntur *determinata*, quando certo loco & tempore circumscribantur: *vaga* contrà.

Quæst.

Quæst. XI. *Quot modis determinantur individua?*

Quatuor modis. 1. nomine proprio; ut, *Plato, Socrates, Bucephalus, Melampus.* 2. nomine communi sive appellativo, quod per excellentiam sumitur pro proprio; ut *Philosophus* pro *Aristotele, Orator* pro *Cicerone.* 3. pronomine demonstrativo; ut, *hic, ille homo.* 4. periphrasi; ut, *Apostolus gentium,* id est *Paulus.*

Cum nomen appellativum sumitur pro proprio, est Synecdoche generis.

Quæst. XII. *Quid est individuum vagum?*

Quod effertur pronomine incertæ partis; scil. in numero singulari; ut, *aliquis, quidam homo.*

1. *Aliquis, Quidam)* dicuntur pronomina incertæ partis, quia non designant certam aliquam personam, scilicet, Petrum vel Paulum. Græci eleganter hoc exprimunt per ὁ δεῖνα.

2. *Individuum vagum* non habetur pro individuo, quia additum subjecto non facit enunciationem singularem, sed particularem; ut, *aliquis homo est doctus,* vid. quæst. 9. cap. 29. lib. 1.

CAPUT. III.

Quæst. I. *Quæ sunt spectanda in themate simplici?*

PRimo, *Categoriæ* & *Affectiones,* scil. rationis, quæ ex varia rerum habitudine ad se invicem, & ex modo quo intellectus eas concipit, atque inter sese comparat, oriuntur: deinde *Interpretatio* & *Affectiones,* sc. orationis, quas intellectus vocabulis affingit ex modo conceptus suos interpretandi.

[1. *Categoriæ* sunt inventæ in hunc finem, ut tanto facilius intellectus humanus versaretur circa res cognoscendas, qui admodum juvatur, si res cognoscendæ ipsi distincte, & certo ordine ac serie proponantur, quod fit in Categoriis: sunt enim eæ sicuti mappæ geographicæ, in quibus varia mundi regna, regiones, provinciæ urbes, pagi, maria, flumina, aliaque mundi loca repræsentantur, ut tanto facilius cognoscantur; ita etiam in categoriis, res cognoscendæ, quæ in hoc universo sunt innumerabiles seu ordine ac serie digeruntur, & per suas classes disponuntur, ut uno quasi

quasi intuitu conspiciantur, & sic facilius cognoscantur: in quem finem tabulæ categoricæ adornatæ sunt à Keckermanno aliisque, quas sæpius contemplari utilissimum fuerit Logicæ studiosis: nam præter hunc generalem usum quem Categoriæ præstant, quod res omnes cognoscendas redigant in certum ordinem, ut tanto facilius cognoscantur, specialem habent usum in doctrina definiendi; ex his enim, tabulis prædicamentalibus inspectis, facile est invenire & genus & differentiam, uti hoc postea docebitur; inserviunt quoque divisionibus instituendis, ex iisdem enim facile est reperire cujusvis generis partes, in quas divisio institui solet: sed ante omnia inserviunt conficiendis syllogismis; ex iis enim accipere est ingentem copiam ac segetem terminorum mediorum, quibus in omni syllogismo ad probandum est opus.]

2. Spectantur in themate simplici *Categoriæ*, quando consideratur ad quam categoriam thema simplex pertineat.

3. *Categoriæ*. Quia res cognoscendæ sunt quamplurimæ, & numero fere infinitæ, non potest commode intellectus versari circa illas cognoscendas, nisi ad certas classes & capita certa reducantur, quæ solent vocari *Categoriæ*.

[4. *Categoria* vox est forensis, notatque idem quod *accusatio*: quæ quia non potest fieri, nisi actor aliquod crimen de reo prædicet, per synecdochen speciei translata est in Logicis, ad significationem generalem, significatque idem quod *prædicatio*: hic tamen non ipsum actum prædicandi notat, sed rem quæ prædicatur. Latini philosophi barbare dixerunt *Prædicamentum*.]

5. *Affectiones rei* vocantur, quæ conveniunt rebus in se, & per se, ex natura sua, etsi nec à ratione intelligantur, nec oratione proferantur: sic *risibilitas* & *eruditio* conveniunt homini.]

[6. *Affectiones rationis* dicuntur, quæ conveniunt rebus, quatenus menti nostræ objiciuntur cognoscendæ, & quæ extra cognitionem mentis rebus non competunt, nec sunt, nisi quando & quamdiu mens intelligit: sic *esse speciem* convenit homini.]

7. *Affectiones vocis* sunt, quæ conveniunt rebus quatenus oratione proferuntur; ut, esse *subjectum* aut *prædicatum*.

[8. Hic intelliguntur affectiones secundi & tertii ordinis, quia & rationem & orationem dirigit Logica.]

[9. Logica nullas tradit aut explicat *affectiones rei*, unde neque est disciplina realis; sed illæ exponuntur in aliis Philosophiæ partibus. Ita affectiones rei quæ Deo competunt per naturam suam, explicat Metaphysica, ut sunt Dei simplicitas, unitas, immensitas, æternitas, &c. eadem explicat affectiones rei, quæ Angelis conveniunt ex natura sua, ut sunt spiritualitas, incorruptibilitas, &c. eadem explicat affectiones rei, quæ animæ rationali competunt per naturam suam, ut sunt immortalitas, indivisibilitas: affectiones rei quæ competunt quantitati, sive numero, sive magnitudini, ut varias figuras, & cæteras, explicat Mathematica: affectiones rei quæ competunt corporibus ut sunt locus, motus, tempus, calor, frigus, gravitas,

gravitas, levitas, color, sonus, &c. explicat Physica. Logica vero explicat tantum *affectiones* tum *rationis*, tum *orationis*, id est, docet tantum modum per rationem cognoscendi, & per orationem proferendi affectiones rei in aliis disciplinis explicari solitas; unde hæc dicitur disciplina Rationalis, aut etiam Notionalis.]

10. Per *habitudinem rerum* intelligitur, partim rerum convenientia, partim discrepantia.

[11. Deus ita res omnes sapienter condidit, ut aliquo modo inter se conveniant, & aliquo modo discrepent: sic videmus hominem cum bruto convenire in animali, discrepare in rationali; terram cum aqua convenire in frigore, differre in siccitate; plantas & animalia convenire in eo, quod nutriantur & crescant, discrepare in eo, quod hæc sentiant, illæ non item. Hæc convenientia rerum & discrepantia, vocatur *habitudo*, quia per eam utraque res diverso modo ad se invicem habent: & hanc mutuam rerum habitudinem contemplari, non tatum jucundum est philosophanti, sed & utile ad affectiones rationis & orationis inveniendas; quod, quomodo fiat, in commentario statim subjuncto docetur.]

12. *Concipit*) id est apprehendit, intelligit.

[13. *Affectiones rationis* in themate simplici dicuntur *oriri* ex eo, quod mens hominis, contemplando res in prædicamentis dispositas, in iis deprehendat quandam vel convenientiam, vel discrepantiam: verbi causa, cum mens contemplatur prædicamentum substantiæ, cognoscit in eo collocatum hominem & brutum, & deprehendit ea convenire in communi natura & ratione animalis; hinc hominem & brutum, *species* facit, ut animal, *genus*. Deinde, cum mens genus de specie (animal de homine aut bruto) enunciat, & sic conceptus suos exprimit, vocat animal, *prædicatum*, & hominum vel brutum, *subjectum*. Illæ sunt affectiones *rationis*, hæ *vocis*.]

[14. Intellectus hominis formaturus affectiones rationis, quæ vulgo dicuntur entia rationis, aut etiam notiones secundæ, ut sunt genus, species, &c. primo simpliciter apprehendit res in categoriis dispositas: secundo, eas inter se comparat; comparando quandam earum inter se deprehendit & convenientiam & discrepantiam: tertio, aut convenientiam rejicit, cognoscendo solam discrepantiam, aut discrepantiam rejicit, cognoscendo solam convenientiam: & sic aut unum aut alterum abstrahit, ac cognoscendo præscindit à rebus simpliciter apprehensis, & inter se comparatis; & sic format affectionem rationis. Verbi causa, intellectus, contemplando categoriam substantiæ, apprehendit simpliciter hominem, brutum, ibi collocata; apprehensa inter se comparat; comparando deprehendit hominem & brutum convenire in eo; quod ambo sint animalia, id est, quod sint substantiæ corporeæ, viventes, sentientes; discrepare in eo, quod homo sit rationalis, brutum irrationale: quando nunc tantum intelligit id in quo homo & brutum conveniunt, scilicet τὸ animal, abstracta & præcisa, id est, non intellecta ra-

UNIVERSITY LIBRARY CAMBRIDGE

tionalitate aut irrationalitate, format de animali, affectionem rationis, quæ vocatur genus, de homine, quæ vocatur species: si abstracto & præciso, id est, non intellecto, animali aut homine intelligat tantum id *in* quo homo & brutum discrepant, scilicet rationalitatem, aut irrationalitatem, format affectionem rationis, quæ dicitur differentia: & sic se res habet in aliis affectionibus rationis, quæ sequuntur categorias, uti affectiones orationis sequuntur interpretationem.]

Quæst. II. *Quid est categoria?*

Categoria est series seu ordo rerum sub eodem summo genere gradatim dispositarum.

1. *Res* in prædicamentis *disponuntur*, vel secundum gradus superiores & inferiores, vel secundum gradus coordinales. Genera & species priori modo; ut, animal & homo: differentiæ posteriori modo disponuntur; ut, rationale & irrationale.

2. *Rerum.*] Ergo non vocum non affectionum rationis, quas vulgo entia rationis vocant.

3. Errant autores illi, qui putant in categoriis disponi tantum genera, species, differentias, & individua hoc est, ipsas illas notiones secundas sive affectiones rationis; nihil minus: sed hic disponuntur ipsæ res & affectiones, quæ sub istis vocabulis affectionum rationis latent ac significantur.]

4. *Dispositarum*] Dispositio rerum in prædicamentis secundum gradus inferiores & superiores dicitur subordinata; sed in eodem gradu collateralis aut coordinata: utramque videre est in hac tabula.



Dispositio rerum in prædicamentis, tum subordinata, tum coordinata, fundamentum est quo nititur doctrina convenientiæ & diversitatis coordinatæ ac subordinatæ: habet quoque usum in syllogismo qui vocatur Sorites, & alibi.

Quæst.

Quæst. III. *Quot sunt categoriæ?*

Decem: substantia, quantitas, qualitas, relatio, actio, passio, ubi, quando, situs, & habitus.

[1. Quare sint *decem* Categoriæ non plures, non pauciores, solida ac sufficiens ratio dari nequit. Quot vero sunt categoriæ, tot sunt summa genera prædicamentorum, τῶν κατηγορημένων, id est, eorum quæ diverso modo prædicantur; non vero entium, τῶν ὄντων, quasi quæcunque in diversis sunt prædicamentis, diversa sint entia reipsa inter se distincta. Nihil minus.]

[2. Res in prædicamentis dispositæ dupliciter possunt spectari: vel ratione prædicationis de se invicem, quo modo spectantur in Logica; vel ratione entitatis quæ singulis competit; quo modo considerantur in Metaphysica. Priori modo falsum est, illa omnia esse diversa entia, quæ in diversis collocantur prædicamentis; posteriori modo verum est; sed tum non fuerint decem prædicamenta ut fortasse priori modo constitui possent; sed vel duo tantum, substantia & qualitas; vel ad summum tria, si addatur quantitas, & hæc distinguatur à materia; nam certe relatio non potest dici ens, est enim tantum habitudo & respectus unius entis ad aliud; nec actio nec passio sint entia, quia significant tantum modum, quo aliquid agit aut patitur, aut quo aliquid sit; multo minus ubi, quando, situs & habitus, sunt entia; nam significant tantum modos, qui non sunt entia, & semper distinguuntur à rebus modificatis, quæ sunt entia.]

3. Notandum, vero est bene, id quod in uno est prædicamento, non reperiri in alio; quemadmodum miles qui sub uno vexillo militat, non potest militari sub alio.

CAPUT IV.

Quæst. I. *Quid est substantia?*

SUbstantia est res per se subsistens, & substans accidentibus; ut, *spiritus, corpus, cœlum, ignis, aqua, lapis, arbor, equus*, &c.

1. *Res*) idem est quod *ens* vel *ens reale*, habetque hic locum generis communis substantiæ & accidenti [significat vero id quod non est nihil, sive id quod existit in hoc universo, aut saltem existere potest. Vulgo dicunt philosophi, quod habet essentiam vel existentiam. Per essentiam intelligunt rei uniuscujusque naturam, qua est aliquid, non vero nihil, & qua ab aliis rebus distinguitur,& qua cognoscitur ac definitur, sive illa res inveniatur in mundo, sive non: per existentiam intelligunt id, quo unaquæque res stat, & reperitur extra causas producentes. Hæc duo vocabula multum distinguuntur: nam tempore hyberno rosa non habet existentiam, quia non invenitur tunc in mundo posita extra causam sui producentem; habet tamen essentiam, qua non est nihil, sed qua definitur, atque ab aliis plantis, rebusque omnibus distinguitur: nam etiam cum rosa non existit, verum est, *rosa est flos rubri coloris, grati odoris, &c.* quæ est ejus qualiscunque definitio. Jam vero utrumque hoc, & essentiam habere, & existentiam, convenit enti, sive rei, prout est genus tum substantiæ tum accidentis.]

[2. Ens sumitur, vel ut participium, vel ut nomen; quemadmodum multa participia, amissa significatione temporis, degenerant in nomina; ut cum dico *amans vini*, amans est nomen, *amans vinum*, est participium, Ens, ut participium præsentis temporis, significat id quod jam nunc est in rerum natura, & ei respondet in abstracto existentia: ens ut nomen, amittit significationem temporis, nec significat id quod nunc est, sed saltem quod esse potest, & ei respondet in abstracto essentia; ipsum enim ens est concretum, quia est adjectivum. Substantia utroque modo dicitur ens, sed potissimum cum sumitur ens ut nomen: ac tum iterum accipitur vel late, vel stricte. Late, ens significat omne id quod non est nihil; quo sensu etiam relationes, actiones, passiones, & omnes moci rerum possunt dici entia. Tam late hic non sumitur, cum substantia dicitur ens; sed stricte, prout ens vulgo dicitur reale, atque comprehendit sub se hæc quatuor, substantiam, accidens, Deum, creaturam; quod ens reale, quidnam sit, vix aliter definiri potest, quam enumeratione istorum quatuor.]

[3. Quærunt philosophi quale genus sit ens, an univocum, an analogum, respectu substantiæ & &

& accidentis: univocum vocatur, quod æqualiter convenit suis speciebus; analogum, quod inæqualiter. Scotistæ tenent prius; Thomistæ posterius: & hoc quidem videtur probabilius, nam accidens debet subsistantiæ quod sit ens, est enim à subsistantia, tanquam à causa, & in ea existit, & extra eam ne esse quidem potest; at subsistantia non debet accidenti quod sit ens: ergo majori jure eos dicitur de subsistantia quam de accidente: consequenter, ens inæqualiter dicitur de utroque, ideoque est genus analogum; nam absolute dicitur de subsistantia, sed de accidente secundum quid, id est, per & propter subsistantiam; inde Aristoteles fere semper accidentia vocat ὄντα ἐν ἄλλῳ, id est, entis entia, subsistantias vocat simpliciter ὄντα, id est, entia.]

4. Cum subsistantia dicitur *per se subsistere*, non significatur omnimoda ejus independentia, hæc enim convenit soli Deo; sed tantum indicatur, eam non dependere ab alio, scil. ente creato, tanquam à subjecto, scil. inhæsionis; licet ab alio, scil. Deo, dependeat tanquam à causa efficiente: sic enim omnis subsistantia creata dependet à Deo.

[5. Aliquid dependet ab alio, vel tanquam à subjecto, scil. inhæsionis, vel tanquam à causa efficiente. Quod dependet à subjecto, sc. inhæsionis, dependet a re creata, in qua est & non subsistit per se, sed per rem creatam: hoc modo omnis subsistantia est independens, & subsistit per se; nulla enim dependet ab alia re creata, tanquam à subjecto inhæsionis. Quod dependet à causa efficiente, dependet ab ente increato, à quo est: sic nulla creatura est independens, aut subsistit per se; omnis enim subsistit per Deum, creantem & sustentantem omnia. Nam res omnes, præter Deum, vel dependent à Deo, tanquam à causa, & efficiente & conservante: (ut enim nihil seipsum potest producere, ita nec seipsum potest conservare, & sic nulla subsistantia creata per se subsistit) vel res creatæ dependent, quælam ab aliis rebus creatis, non tanquam à causa efficiente & conservante sed tanquam à subjecto, in quo sunt, ut extra illud inveniri at que existere nequeant; tales res creatæ vocantur *accidentia*, ac dicuntur inhærere subsistantiæ. Sic ut hæc duo opponantur, *per se subsistere*, quod convenit subsistantiæ, dicitque eam non esse in alia re, tanquam in subjecto, scil. inhæsionis; & *inhærere subsistantiæ*, ut subjecto scil. inhæsionis, quod convenit accidenti, dicitque, id non per se subsistere.]

6. *Substare accidentibus*) significat, esse subjectum accidentium, scil. inhæsionis.

7. Illa verba, *substans accidentibus*, proprie non pertinent ad definitionem subsistantiæ in genere, sed tantum spectant definitionem subsistantiæ creatæ. [Deus enim subsistantia est, non accidens; & subsistantia est, quatenus est ens sumptum, & ut participium, & ut nomen, tum late, tum stricte: præterea, per se subsistet, quia nulli subjecto inhæret: sed non potest dici substare accidentibus, nam in Deo nulla sunt accidentia, quippe quæ imperfectionem aliquam important, Deus autem est perfectissimus.]

8. Clarius potest definiri *Substantia*, res, seu ens reale, quod nullius creaturæ eget operâ, ut existat, atque in illa sit; *Accidens*, res, seu ens reale, quod alterius creaturæ eget operâ, ut existat, & in illa sit. Vel sic: Substantia est res seu ens reale, quod nulli rei creatæ inhæret, ut subjecto inhæsionis; Accidens est res, seu ens reale, quod alteri rei creatæ inhæret, ut subjecto inhæsionis.

[9. Subjectum inhæsionis denominatur ab accidente quod inhæret, denominatione intrinseca; subjectum adhæsionis denominatur sive ab accidente, sive à substantia, quod vel quæ adhæret, denominatione extrinseca, sic cum dicitur *paries est albus*, est denominatio intrinseca; cum dicitur, *Petrus est togatus*, est denominatio extrinseca, aut, *paries est visus*, quia nec toga Petro, nec visio parieti inest.]

[Quæst. II. *Quid est per se subsistere?*

Non esse in alio, ut in subjecto. Hâc enim ratione distinguitur substantia ab accidentibus, utpote quæ semper alicui subjecto inhærent; quorum adeo *esse* nihil aliud est quam *inesse*.]

[Quæst. III. *Quid est, esse in subjecto?*

Esse in subjecto dicitur, quod cum in alio sit non ut pars, non potest tamen existere separatum ab eo, in quo est.]

[1. *Subjectum* in philosophia aliud est inhæsionis, aliud denominationis. Prius vocatur illud, cui illud ens inest, & quidem accidens. De hoc hic est sermo, cum quæritur, qui sit *esse in subjecto*: sic paries est subjectum inhæsionis respectu albedinis. Posterius est quod denominatur ab alio tale vel tale, licet ei non insit: sic quis denominatur togatus à toga, quæ tamen non inest ipsi, sed adest. De hoc subjecto hic non agitur. Ut vero aliquid sit in subjecto inhæsionis, requiritur.]

[2. Primo, ut id quod inhæret sit ens reale, aliud & distinctum ab illo in quo inhæret, quod significatur, cum accidens dicitur *esse in alio*.]

[3. Secundo, debet illud quod inhæret in alio, non esse pars subjecti in quo inest, nec debet esse pars compositi, ut compositum ex illo & subjecto ipso constituatur: hoc est quod dicitur, accidens nec partem esse essentialem, quia nec subjecti, nec compositi essentiam constituit; nec integralem, quia & subjectum & compositum sine illo integrum esse potest.

[4. Tertio, debet accidens, sive illud quod est in subjecto, ita arcte conjugi cum subjecto, ut non possit in hoc mundo existere alio loco & tempore, quam quo loco & tempore existit subjectum. Potest quidem accidens, verbi causâ, albor, tolli, auferri, separari

separari à subjecto in quo est, verbi causa, pariete, si scilicet hic denigretur: sed hoc fieri non potest, ut ille arbor qui est in pariete hoc, inveniatur extra parietem in quo est, alibi existere in rerum natura: hinc est quod dicant Logici, accidentis *esse* est *inesse*.]

[5. Substantia ergo, aut in nullo est subjecto, ut *Petrus*; aut, si sit in subjecto, est in eo ut pars, ut *homo* in *Petro*, aut *animal* in *homine*; aut potest extra subjectum, in quo est, existere, ut *anima rationalis* in *homine*: sic substantia secunda, *homo*, est in prima scilicet *Petro*, ut pars primæ, scil. Petri; & *anima rationalis* est in *corpore*, sic ut possit extra corpus existere.]

[6. Si una ex tribus hisce conditionibus in accidente requisitis abest, res substantia est: ita *anima canis* substantia est, quia deest conditio secunda; est enim pars essentialis totius compositi, *canis*, quia est ejus forma. Non vero deficit prima conditio; anima enim canis revera est in subjecto suo, scil. corpore, tanquam in alio: neque etiam tertia; cum enim mortuus est canis, mortua etiam anima est, quia non potest existere, mortuo cane. *Anima hominis* est substantia, quia deficit & secunda & tertia conditio: est enim pars essentialis hominis ejus forma; & extra corpus, subjectum suum, existere separatim potest.]

Quæst. IV. *Quotuplex est substantia?*
Duplex, prima, & secunda.

Quæst. V. *Quid est substantia prima?*
Substantia singularis: ut, *Alexander*, *Bucephalus*.

Quæst. VI. *Quid secunda?*
Substantia universalis: ut, *homo*, *equus*.

[Quæst. VII. *Quomodo discernis primam substantiam à secunda?*

Prima substantia non *dicitur de subjecto*, nec inhæsionis nec denominationis, cum ipsa omnibus subjiciatur. *Alexander* enim de nullo dicitur, nisi de seipso. At substantia secunda, quamvis in subjecto non sit, scil. inhæsionis, *dicitur* tamen *de subjecto*, scil. denominationis, nempe de primis substantiis sibi subjectis: *Homo* enim dicitur de *Alexandro*, *Socrate*, *Platone*, &c. *Equus* de *Bucephalo*, *Cyllaro*, &c.]

[1. *Dici de subjecto*] idem est, atque quoad nomen & definitionem subjecto tribui: sic & nomen & definitio substantiæ secundæ (verbi causa, *hominis*) tribuitur substantiæ primæ (verbi causa, *Petro*.) Nomen hominis, ut cum dico, *Petrus est homo*; Definitio autem, ut cum dico, *Petrus est animal rationale*.]

[2. Cum substantia secunda sive universalis dicatur de prima sive singulari, ut *Petrus est homo*, & accidens quoque dicatur de eadem, ut, *Petrus est doctus*, quæritur, an eodem modo prædicentur & accidens & substantia universalis de singulari. Resp. quod non: Nam accidens dicitur de substantia singulari, ut *Petrus est doctus*, tanquam de subjecto inhæsionis: nam doctrina est ens aliud & distinctum à Petro, cui inhæret, nec est pars Petri, nec potest existere separatim à Petro; præterea prædicatur de Petro in concreto & adjective, nam non licet mihi dicere in abstracto & substantive, *Petrus est doctrina*: Sed substantia secunda sive universalis dicitur de prima sive singulari, ut *Petrus est homo*, sed sic, ut non sit ens distinctum ab ea, & sit pars ejus; neque enim homo est ens distinctum à Petro, & est pars Petri, unde etiam Petro non inhæret, sed tantum eum denominat, estque Petrus subjectum non inhæsionis, sed denominationis tantum præterea homo dicitur de Petro substantive & in abstracto, non adjective aut in concreto neque enim dico, *Petrus est humanus*, adjective, sed *Petrus est homo*, substantive.]

Quæst. VIII. *Quot sunt notæ substantiarum?*

Sex.

Quæst. IX. *Quæ est prima nota?*

Non esse in subjecto: nimirum, quia per se subsistit.

1. Hæc non tam est nota, quam quidem essentia ipsius substantiæ, quia per se subsistere, quod idem est cum τῷ non esse in subjecto, definitionem substantiæ ingreditur; at vero, quod alicujus rei definitionem ingreditur, ejus essentiam constituit: omnis vero nota aliquid significat, quod nec ex definitione, nec ex divisione rei potuit cognosci, & notat aliquid, essentiam rei consequens, exprimiturque *canone*, *maxima*, aut *regula*. Cum vero dicitur, substantiam non esse in subjecto, intellige subjectum inhæsionis; nam secunda substantia est in prima, ut in subjecto denominationis, ut *homo* in *Petro*.

2. Subjectum inhæsionis est id, in quo aliquid est tanquam accidens: sic *homo*, seu natura humana, non est in *Petro*, ut in subjecto inhæsionis: quia accidens non est pars subjecti aut compositi, at natura humana est pars Petri. Subjectum denominationis est, de quo res simpliciter prædicatur: sic *homo* est in *Petro*, ut subjecto denominationis, quia de Petro prædicatur.

Quæst. X. *Quæ secunda?*

Dici de aliis synonymῶς; hoc est, quoad nomen & quoad definitionem. Hæc nota convenit secundis substantijs, non primis, quia primæ de nullis dicuntur.

1. *Sic*

1. *Sic homo* dicitur de *Petro*, & *Paulo*, & cæteris individuis, quoad nomen & quoad definitionem: nam dico, & *Petrus est homo*, &, *Petrus est animal rationale.*

2. *Dici de aliis quoad nomen & definitionem*) est, quando & nomen & definitio unius, tribuitur alteri: sic & nomen & definitio hominis tribuitur Petro.

[3. Quæri hic solet à Logicis, cum definitio hominis tribuitur Petro, ut, cum dico, Petrus est animal rationale, an illa definitio tribuatur Petro, ut definitio hominis, an, ut definitio Petri. Resp. utroque modo; nam eadem est definitio individui, quæ est speciei, si quis enim rogetur ut definiat hominem, speciem, dicet, est animal rationale, si rogetur, ut definiat Petrum, iterum dicet, est animal rationale, quæ est definitio hominis, quoque: itaque animal rationale Petro attribuitur, & de eo prædicatur, tum ut definitio hominis, tum ut definitio Petri. Et causa hujus rei hæc est, quia individua non habent differentiam essentialem propriam, imo non habent essentiam aliam, quam quæ est specierum, & ei tantum addunt varia accidentia, quibus individua à se invicem distinguuntur: ut ergo eadem est essentia speciei quæ est individui hominis, scilicet quæ Petri, eadem etiam utriusque est definitio, scilicet animal rationale. Sed cum definitio generis tribuitur speciei, animalis hominis, tribuitur ei, ut definitio generis tantum, non item, ut definitio speciei; hæc enim propriam ac peculiarem habet definitionem, distinctam à definitione generis. Verbi causa, animal, genus, definitur substantia corporea, mixta, vivens, sentiens: at hæc non est definitio hominis, speciei: est quidem pars ejus definitionis, sed non tota ejus definitio; ut enim homo definiatur, præter illa quæ definiunt animal, requiritur τὸ rationale, quod in definitione animalis non reperitur, & in definitione hominis poni debet, quippe quod significat ejus differentiam specificam, facitque alteram partem definitionis, qua definitur homo.]

4. Dici de aliis quoad solum nomen est, cum nomen alicui tribuitur, non vero definitio: ut, *albor* tribuitur pariesi quoad nomen in concreto, id est, per adjectivum, cum dicitur, *Paries est albus*; at definitio albedinis, pariesi tribui nequit per substantivum in abstracto.

5. Accidens dicitur in concreto, tribui substantiæ, quando per adjectivum de subjecto suo enunciatur: nam si propria voce ac substantive enuncietur, ne quidem quoad nomen substantiæ tribui potest: sic non licet mihi dicere, *paries est albor*, substantive, sed *paries est albus*, adjective; sed substantiæ secundæ dicuntur de primis quoad nomen, etiam substantive: sic, Petrus est homo, & Petrus est animal rationale.

Quæst. XI. *Quæ tertia?*

Significare τόδε τι, hoc aliquid, id est, tale quid quod digito demonstrari potest. Hæc nota convenit tantum primis substantiis.

1. Sic

1. Sic Petrus, Paulus, hæc arbor, hic lapis, &c. possunt monstrari digitio.

[2. Vulgo dicitur, & vere, Universalia non incurrunt in sensus ideoque substantiæ secundæ non possunt digito monstrari, quia sunt entia aut themata universalia.]

Quæst. XII. *Quæ quarta?*

Non habere contrarium. Substantia enim substantiæ non est contraria per se, sed per qualitates: ut, *aqua* & *ignis*.

[1. Vox illa, *contrarium*, sumitur vel late, vel stricte, Late dicuntur contraria quælibet opposita: sic Aristoteles in Physicis, principia corporum naturalium, formam & privationem, vocat contraria, quæ non sunt contraria stricte dicta; nam hæc sunt duo entia, at privatio est non ens, & opponitur formæ non contrarie, sed privative: & tam late in hac nota sumitur quoque vox, *contrarium*, nam si stricte sumas, prout contrarietas significat certam oppositionis speciem, qua duo entia sub eodem genere plurimum distat; certe substantia una alteri est contraria: nam homo & brutum sunt substantiæ, & sunt contraria; sunt enim duo entia, habent commune genus, animal, sub quo, tanquam duæ species, plurimum distant, nempe per differentias suas specificas, rationale & irrationale: sunt vero contraria, non per qualitates, sed per se, seu per suas formas substantiales, quæ sunt substantiæ, & non qualitates; & ipsæ, scilicet anima rationalis & irrationalis, æque sunt contraria, atque homo ac brutum: præterea, aqua & ignis non tantum per qualitates, calorem & frigus, siccitatem & humiditatem, sunt contraria, sed per ipsas suas formas substantiales: consequenter, sunt contraria quatenus sunt substantiæ; quomodo enim fieret, ut à formis non contrariis emanarent qualitates contrariæ, quales sunt aqua & ignis?]

2. Contraria hic dicuntur, quæ se mutuo expellunt ex eodem numero subjecto, inhæsionis scilicet: sic substantia substantiæ non est contraria, quia nullo est in subjecto ergo non possunt ex eo se expellere; ut homo & brutum.

3. Si vero contraria definiantur, ut *cap.* 22. hujus *lib.* 1. omnino una substantia alteri est contraria: verbi causa, homo & brutum sunt duo entia absoluta, & quidem substantiæ, quæ sub eodem genere, sc. animali, plurimum distant; nam differunt formis contrariis; homo enim est animal rationale; brutum, irrationale.

Quæst. XIII. *Quæ quinta?*

Non recipere magis & minus. Una enim eademque substantia non fit magis aut minus substantia, quam erat antea. Nam puer crescens non fit magis homo, aut magis substantia, quam erat primo nativitatis suæ momento.

1. *Recipere*

1. *Recipere magis & minus*, (significat. hoc loco) definitionem substantiæ uni magis tribui quam alteri, vel prædicari per adverbia magis & minus.

[2. Dicimus vulgo, substantiæ sunt positæ in indivisibili, quin quoad essentiam non possunt augeri, aut minui, ut quidem quoad quantitatem: ideoque vir est quidem major homo quam puer, sed non est magis homo; nam definitio hominis, & essentia ejus, quod sit animal rationale, non magis competit viro quam puero, & non minus puero quam viro.]

3. In hac nota, substantia universalis cum altera universali, ut *homo* cum *bruto*, vel singularis cum altera singulari ejusdem ordinis, ut, *Petrus* cum *Paulo*; vel substantia una eademque cum seipsa confertur, ut, *Petrus juvenis* cum seipso *sene*, nam si substantiam primam cum secunda contuleris, nota hæc fallit: ut, *Petrus* collatus cum *homine*, est magis substantia, & *homo* est minus substantia.

[4. Quod autem *homo* dicatur minus substantia, *Petrus* magis substantia, ejus rei ratio hæc est, quia *homo* existit per *Petrum*, & reliquos singulares homines, at non contra]

[5. Non dicitur *Petrus* magis substantia, aut *homo* minus substantia, respectu definitionis substantiæ, quæ essentiam ejus exprimit, quod non sit ens per se subsistens & substans accidentibus; hoc enim & homini & Petro convenit ex æquo: sed cum dicitur *Petrus* magis substantia, *homo* minus substantia, respicitur modus existendi aut subsistendi; quia enim universalia existunt in singularibus, genera in speciebus, species in individuis, etiam homo, ens ac thema universale, existit in Petro, Paulo, Joanne, reliquisque hominibus singularibus, istæ vero substantiæ singulares in nulla alia existunt. Hinc est quod Logici dicunt, substantiis primis tolli secundas: nam si tollantur Petrus, Paulus, Joannes, reliquique homines singulares, tollitur omnis homo universaliter.]

Quæst. XIV. *Quæ est sexta nota?*

Unam eandemque numero substantiam suscipere contraria, [scilicet, quando potest subire mutationem.] sic licet *aqua frigida*, mutatione sui *calida* fiat, manet tamen una eademque numero *aqua*.

1. Exceptio est, nisi qualitas à substantia sit inseparabilis: sic *ignis calidus* nunquam potest sic mutari, ut recipiat *frigus*.

CAP.

CAPUT V.

Quæst. I. *Quid est quantitas?*

QUantitas est accidens, quod per se partem habet extra partem.

1. *Per se)* id est, non per aliud: nam substantia & qualitas habent partem extra partem, non per se, quatenus sunt tales, sed per quantitatem.

[2. Disputari solet inter philosophos, an quantitas sit ens distinctum à materia. Si fuerit accidens, haud dubie erit ens distinctum à materia, quæ est substantia; nam accidens & substantia sunt entia distincta. Multi existimant quantitatem esse aut ipsam essentiam materiæ, aut modum quendam materiæ proprium, & ab illo inseparabilem, ergo sic judico, quantitatem non esse ens, multo minus accidens, distinctum à materia; non tamen eam facio eandem cum materia; sed habet se quantitas ad materiam, ut proprium quarto modo ad subjectum, & uti se habet unitas, veritas, bonitas, ad ens: sunt quidem multæ proprietates, entia distincta à subjectis, sed ut sunt quædam, tantum modi subjectorum, atque inter has est quantitas.]

3. *Quantitas)* primum tenet locum inter accidentia, quia ita sequitur materiam, reliqua accidentia, formam: sicut autem materia est prior forma, ita accidens quod sequitur materiam, est prius accidente quod sequitur formam.

4. *Habere partem extra partem)* significat, habere partes situ, loco, & spatio distitas & disjunctas. [vocantur hæ partes integrales & quantitativæ, oppositæ essentialibus vel entitativis, quæ loco, situ, & spatio non sunt diversæ, sed quæ se mutuo penetrant, permeant, pervadunt; ut, sunt, *anima & corpus*] *Brachium, manus, digitus, pes, caput,* sunt partes quantitativæ, situ & spatio differentes; distat enim brachium à manu, manus à digito, capite, pede, &c. *Anima rationalis & corpus* sunt partes quidem hominis, sed non sunt loco, situ, aut spatio diverso contenta; ubi enim anima est, ibi & corpus, & vice versa; quam diu scilicet constituunt hominem.

[5. Et hoc disputari solet, an essentia quantitatis, seu ratio formalis ejus, consistat in extensione entitativa, an quantitativa. Pontificii eam collocant in extensione entitativa, nos in quantitativa. Extensionem entitativam vocant extensionem partium in ordine ad se; quantitativam appellant extensionem partium in ordine ad locum. Sed extensio entitativa nulla est; nam *extendi & extensio* nihil aliud significant, quam loco & situ & spatio disjungi: est quidem alia entitas capitis, pedis, brachii, & singulorum membrorum, sed etiam loco disjunguntur ac situ; nam quo loco situm est caput, non eodem situs pes, aut brachium: ideoque impossibile est; ut membra corporis Christi sint quoad entitatem distincta, & non sint distincta quoad locum, aut dabitur dimensionum penetratio. Ergo extensio entitativa nulla est, nisi eadem sit quantitativa; & nihil est extensum extensione partium in ordine ad se, nisi idem sit extensum extensione partium in ordine ad locum.]

Quæst.

Quæst. II. *Quotuplex est quantitas?*

Duplex: continua, & discreta.

Quæst. III. *Quid est quantitas continua?*

Cujus partes, communi termino copulantur.

1. Sedulo cavendum est, ne partes quantitatis continuæ confundantur cum terminis; nam multum differunt: ex partibus enim quantitas componitur, ex terminis non item. sic linea non componitur ex punctis, quia puncta sunt termini, & inchoantes & claudentes lineam; sed componitur ex lineis minoribus, tanquam partibus sui: sic tempus non componitur ex momentis, quia sunt termini inchoantes, copulantes, & claudentes tempus; sed componitur ex præterito & futuro, partibus temporis.]

[2. Distinguendum est accurate inter terminos & partes quantitatis continuæ. Partes sunt id, quod copulatur alteri: Termini sunt id, quo fit copulatio, & quia quantitas continua dividi potest in infinitum, ideo non dividitur in terminos, sed in partes minores, & usque minores. Et hinc est quod linea non componatur ex punctis, sed ex lineis minoribus; quia, in quæ aliquid dividitur, ex iisdem componitur: sed linea major dividitur in minores, non in puncta: ergo ex minoribus componitur lineis, non ex punctis.]

3. *Termini* quantitatis vel quantitatem inchoat, vel claudit, vel partes in medio conjungit: sic punctum & inchoat lineam, claudit, & ejus partes medias conjungit.



In hac magnitudine, terminus *A* lineam inchoat, *B* claudit, terminus *C* & *D* partem parti conjungit.

[4. *Partes* quantitatis continuæ sunt divisibiles, suntque semper minor quantitas continua ejusdem generis: ita partes lineæ sunt lineæ minores. Terminus est, aliquid in quantitate indivisibile, scilicet eo modo, quo dividi potest ipsa magnitudo quam terminat: sic punctum est terminus lineæ, quia non potest dividi in longitudinem, imo nullo modo; & linea est terminus superficiei, quia non potest dividi in latitudinem, ut quidem dividi potest superficies; & superficies est terminus corporis, quia non potest dividi in crassitiem, ut quidem potest corpus; alioquin linea & superficies suo modo sunt divisibiles sed tum non ut termini, verum ut species quantitatis spectantur. Vide commentarium quæst. 10. hujus cap.]

Quæst. IV. *Quotuplex est?*

Duplex: magnitudo, & tempus.

Quæst.

Quæst. V. *Quid est magnitudo?*

Magnitudo est quantitas permanens.

1. *Quantitas permanens*) dicitur, cujus omnes partes simul sunt, & coëxistunt, & simul possunt conspici. Sic omnes partes (nimirum longitudo, latitudo & crassities) alicujus corporis simul coëxistunt, & conspici possunt.

Quæst. VI. *Quot sunt species magnitudinis?*

Tres; linea, superficies, & corpus.

Quæst. VII. *Quid est linea?*

Linea est magnitudo uno modo divisibilis; ut, *ulna, milliare, stadium.*

1. *Uno modo*) id est, in longitudinem. Per *ulnam* intellige, non ulnam corpoream, quæ mensurat active, sed longitudinem, quæ ulna mensuratur passive: sic per *milliare* & *stadium* intelligitur longitudo, quæ utroque mensuratur.

Quæst. VIII. *Quid est superficies?*

Superficies est magnitudo duobus modis divisibilis; ut, *jugerum.*

1. *Duobus modis*) id est, in longitudinem & latitudinem.

2. Per *jugerum* non intelligitur ipse campus, sed planities campi, quæ & longa est & lata.

[3. Dicitur linea vulgo, longitudo sine latitudine, & superficies, latitudo sine crassitie, non quod in rerum natura detur corpus vel tantum longum, vel tantum latum, nam omne corpus est præditum trina dimensione, scil. longitudine, latitudine, & crassitie; sed linea & superficies sic dicuntur, quia potest longitudo concipi & cogitari, non concepta & non cogitata latitudine; & latitudo, non concepta aut cogitata crassitie, quemadmodum in attramento simul reperiuntur quidem fluiditas & nigror, potest tamen nigror concipi sine fluiditate, & fluiditas, non concepto nigrore: sic aliquis mensuraturus jugerum, mensurat tantum latitudinem & longitudinem, neque ullo modo cogitat de crassitie ipsius jugeri.]

[4. Certe nulla datur magnitudo ullius corporis, quin sit longa, lata, & crassa: sed potest tamen intellectus hominis concipere longitudinem alicujus rei, non concepta ejusdem latitudine, & utramque, non concepta crassitie. Longitudo sola concepta, vocatur linea; longitudo & latitudo simul conceptæ, dicuntur superficies; longitudo latitudo & crassities simul conceptæ dicuntur corpus seu corpulentia: nihil enim impedit, ut mens humana rem unam cogitet, non cogitata re alia, licet inter se sint conjunctissimæ. Atque hoc etiam hic notandum venit, quod vocula, *sine*, interdum neget, interdum præscindat: ut, cum dico, *brutum est sine anima*

anima rationali, hìc negat; sed cum dico de homine erudito, *quod sit homo sine eruditione*, non nego eruditionem de ipso, nam est eruditus, sed dico, hominem concipi posse, non concepta eruditione. Hinc oritur distinctio inter abstractionem negationis, qualis est prior, & præcisionis, qualis est posterior, de qua utraque in doctrina de *Proprio*. cap. 13. hujus lib. 1.]

5. Accurate hæc duo debent distingui, ex rebus conjunctis unam rem intelligere, non intellecta re alia, & res duas intelligere, sed intelligendo unam rem de alia negare: nunquam potest corpus intelligi, negata aut longitudine, aut latitudine, aut crassitie; sed potest intelligi longitudo, non intellecta latitudine, & latitudo, non intellecta crassitie.]

Quæst. IX. *Quid est corpus?*

Corpus est magnitudo tribus modis divisibilis. Huc pertinet omnis quantitas substantiæ corporeæ, quia omne corpus trina dimensione præditum est.

1. *Dimensio* vocatur, qua res aliqua potest mensurari; dicturque illa, trina in corpore, quia corpus mensurari potest & secundum longitudinem, & secundum latitudinem, & secundum crassitiem. [Quæritur, an non detur quarta dimensio, aut quinta, nempe profunditas, aut altitudo, nam secundum utramque corpus mensurari potest. Resp. profunditatem & altitudinem non esse distinctam dimensionem à crassitie: nam omne quod est crassum, respectu termini superioris est altum, respectu inferioris est profundum; quod liquet in monte, qui est longus, latus, & crassus, & respectu apicis aut fastigii dicitur altus, respectu pedis aut βάσεως dicitur profundus.]

2. *Tribus modis)* id est, in longitudinem, latitudinem, & crassitiem, ut cubus.

3. *Corpus)* hìc significat, non substantiam materialem, oppositam spiritui, (ut in prædicamento substantiæ) sed corpulentiam, id est, crassitiem.

Quæst. X. *Qui sunt termini magnitudinis?*

Termini lineæ, sunt puncta; superficiei, lineæ; corporis, superficies.

[1. *Terminus*] omnis, qui magnitudinem vel inchoat, vel claudit, vel continuat, semper est indivisibilis, id est, nunquam potest dividi in istam magnitudinem quam terminat: & sic dicitur *linea* terminus *superficiei*, quia non potest dividi in latitudinem, nam in longitudinem divisibilis est; sic & *superficies*, quamvis possit dividi in longitudinem & latitudinem, quia tamen non potest diuidi in crassitiem, dicitur terminus *corporis*. Ideoque distinguendum est inter lineam ac superficiem spectatas

ctatas ut species quantitatis, & sic sunt divisibiles; & ut terminos, sic sint indivisibiles, scilicet illa divisione, qua dividi potest ipsa magnitudo quam terminant.]

[2. Omnis terminus cujuscunque quantitatis est indivisibilis, vel simpliciter, ut *punctum* quod est terminus *lineæ*, hoc enim nullo modo dividi potest; vel secundum quid, hoc est, non potest dividi eo modo quo dividitur ipsa magnitudo quam terminat, licet dividi possit alio modo: sic *linea*, quæ est terminus *superficiei*, non potest dividi in latitudinem; in quam dividitur superficies, & sic est indivisibilis; licet dividi possit in longitudinem, ac sic non est terminus superficiei, sed species magnitudinis distincta à superficie.]

Quæst. XI. *Quid est tempus?*

Tempus est quantitas continua fluens; ut, *hora*, *dies*, *annus*, *olympias*.

[1. Ut natura *temporis* recte intelligatur, sciendum est, quod tempus partim sit ens reale, partim ens rationis: ens reale est, in quantum significat durationem corporum: ens rationis est, in quantum istam durationem mensuramus; hoc enim à nobis est, durationem rerum per dies, menses, annos numerare.]

[2. *Tempus*] Aristoteli definitur, *numerus motus secundum prius & posterius*, in qua definitione, *numerus* sumitur, non pro numero numerante, sed pro numero numerato; ut hic sit sensus, tempus est numerus, id est, tempus est duratio corporis numerata. *Motus* intelligitur potissimum cœlestis, & post cœlestem artificialis, qualis est in gnomonibus. *Secundum prius & posterius*, significant partes temporis priores & posteriores: pars temporis prior est, quæ præteriit, pars posterior temporis est quæ futura est, momenta non sunt partes temporis, sed termini tantum, & inchoantes, & continuantes, & claudentes tempus.]

3. Omnis quantitas habet partes extra se invicem, sed interdum simul existunt, uti sunt partes magnitudinis; interdum non simul existunt sed una post aliam, uti sunt partes temporis, quæ nunquam sunt simul: quemadmodum unus quadrans horæ existit post alterum; sic hora decima existit post nonam, undecima post decimam; sic dies Martis existit post diem Lunæ, Mercurii post Martis, dies Jovis post Mercurii, &c.

Quæst. XII. *Qui sunt termini temporis?*

Momenta, sive τὰ νῦν. His enim copulantur partes temporis, sicut partes lineæ copulantur punctis.

1. *Partes temporis*] sunt præteritum & futurum, præsens non est pars temporis, sed terminus, partem temporis præteritam

ritam conjungens futuræ parti: nam omne tempus divisibile est; at presens est indivisibile.

[2. Recepta est opinio, Omne continuum est divisibile in infinitum: at tempus est continuum: ergo & divisibile in infinitum: omne autem divisibile, in partes dividitur, aut saltem dividi potest, quæ ipsæ partes ulterius dividi possunt: sed momenta omnimodo sunt indivisibilia; ergo non possunt dici partes temporis; nam nihil tam velox est ac momentum, si enim concipias, jam aufugerit.

Quæst. XIII. *Quid est quantitas discreta?*

Quantitas discreta est, cujus partes non copulantur communi termino; ut, *duo*, *tria*, *decem*.

1. Decem unitates nullo communi vinculo coniugantur.

2. *Quantitas discreta* vocatur una voce, *numerus*; estque is vel numerans, vel numeratus: numerans, aliis abstractus, formalis, ut, unum, duo, tria, atque hic pertinet ad hoc prædicamentum; numeratus, aliis concretus, materialis, dicitur ipsa res quæ numeratur, ut, decem libri, mille pedites, estque aliorum prædicamentorum.

[3. Disputari solet, an unitas sit numerus, quia unitas est indivisibilis, quantitas autem, ut omnis numerus, est divisibilis. Resp. si rem ex vero judicemus non est unitas numerus: nam numerus est unitatum collectio; at unitas non est collectio; ergo non est numerus: præterea, unitas est principium numeri: at principium non est idem cum principato; ergo nec unitas est eadem cum numero.

Quæst. XIV. *Quid de loco, oratione, ac motu statuendum?*

Locus definitur, superficies corporis ambientis: atque hactenus referri debet ad superficiem. Oratio & Motus non sunt species quantitatis, sed quanta per accidens.]

[1. *Superficies)* idem est quod latitudo seu planities; estque vel convexa, vel concava, *locus* est *superficies* utriusque generis. Dicitur vero *superficies corporis ambientis*, quia non quælibet latitudo, sed ea tantum est locus, quæ proxime aliud corpus cingit, & rem locatam intra se continet.]

[2. Cum locus definitur, *superficies corporis ambientis*, non est existimandum illam definitionem esse perfectam: nam omnis locus est trinæ dimensionis; at superficies est tantum duarum dimensionum, est enim tantum longitudo & latitudo: insuper extimum cœlum non esset in loco, si locus esset superficies corporis ambientis, quia nullam superficiem ullius corporis extra se habet, alioquin non foret extimum. Melius definitur, *spatium rei locatæ.*]

[3. *Oratio & motus)* dicuntur quanta per accidens, quatenus partes habent diversas, & sibi

invicem succedentes: orationis partes sunt voces; & partes motus, sunt partes termini ad quem, id est, ejus quod motu producitur, ut partes calefactionis sunt partes caloris.]

[4. *Oratio)* spectari potest, ut vox; & sic est qualitas tertiæ speciei, est enim sonus: vel spectari potest, ut constat dictionibus, & ut dictiones constant syllabis, syllabæ literis: hoc posterior sensu dicitur *oratio*, quantitas, quatenus dividi potest in voces, & voces in syllabas, & syllabæ in literas.]

[5. *Motus)* dicitur quantitas respectu termini ad quem: quia enim is semper est divisibilis, & *motus* non distinguitur à termino ad quem, ipse motus dicitur quoque divisibilis, & consequenter quantus; nam nihil est divisibile, nisi quantum: quodcunque enim dividitur, in partes dividitur; sed solum quantum aut quantitas habet partes; ergo solum dividi potest.]

Quæst. XV. *Quot sunt notæ quantitatis?*

Tres.

Quæst. XVI. *Quæ est prima nota?*

Non habere contrarium.

1. Illa non sunt confundenda, habere contrarium, & suscipere contrarium: hoc certum est, quantitatem unam non esse contrariam alteri, hic, verbi causa, unus dies non est contrarius alteri, quatenus est temporis: sed potest duo contrarius alteri, ratione frigoris aut caloris, & sic potest suscipere qualitates contrarias.

[2. Contraria se mutuo expellunt ex eodem subjecto: expellere est agere: at quantitas cum ejus nulla sit efficacia, non agit, quia sequitur materiam quæ est principium passivum, non activum.]

3. Quantitas una, alteri non est contraria per se ac ratione sui, quamvis possit esse contraria ratione qualitatis advenientis: sic tempus hybernum est contrarium æstivo, non per se, sed per frigus & calorem, qualitates utrinque advenientes.

4. Quantitas potest recipere contrarium; ut, linea recta potest fieri curva, scilicet mutatione sui.

5. Debet distingui accurate inter hæc duo, habere contrarium, & suscipere contrarium: quantitas nulla alteri contraria est, nec linea superficiei, nec superficies corpori; sed tamen potest eadem linea suscipere contrarium, ut, ex recta fieri obliqua.

Quæst. XVII. *Quæ secunda?*

Non recipere magis & minus. Quantitas quidem *major* fit, sed non fit *magis* quantitas.

1. *Recipere*

1. *Recipere magis & minus)* significat, definitionem uni magis competere quam alteri: atqui definitio quantitatis, quæ definitur accidens, quod per se partem habet extra partem, non magis competit quantitati magnæ quam parvæ, non magis giganti quam nano.

2. Quantitas *major*, non est *magis* quantitas quam minor, quia definitio & essentia quantitatis, qua definitur accidens habens partem extra partem, non magis convenit majori quantitati quam minori. Sic trabs centumpedalis, est quidem major trabe decem-pedali; sed non est magis quantitas trabs centumpedalis quam decempedalis, quia non minus convenit definitio quantitati huic quam illi.

Quæst. XVIII. *Quæ tertia?*

Res ab illa dici æquales, aut inæquales.

1. In prædicamento substantiæ, quantitatis, & qualitatis, fundatur ratio triplex, tum convenientiæ, tum discrepantiæ: quæ conveniunt in substantia, dicuntur eadem, quæ discrepant, diversa; quæ conveniunt in quantitate, dicuntur aut æqualia, aut paria, quæ discrepant, aut inæqualia, aut imparia, prout fuerit quantitas continua, aut discreta; quæ conveniunt in qualitate, dicuntur similia, quæ discrepant, dissimilia.

2. A quantitate continua *res dicuntur æquales aut inæquales:* sic trabs decempedalis, est æqualis trabi decempedali.

3. A discreta quantitate res dicuntur pares aut impares: sic duo equi, sunt pares duobus hominibus.

CAPUT VI.

Quæst. I. *Quid est qualitas?*

QUalitas est accidens, à quo subjectum *quale* duntaxat denominatur.

1. Definitio qualitatis hæc est imperfecta, quia ipsa est summum genus, quod perfecte definiri nequit; ideoque hæc definitio non est exigenda ad leges perfectæ definitionis. Porro cum qualitas definitur *accidens*, intelligi potest vel physicum, quod inhæret, vel Logicum, quod denominat; est enim qualitas accidens utriusque generis: ita color, & inhæret parieti albo, & eum denominat, unde qualitatis subjectum est tum inhæsionis, tum denominationis.]

2. Res in aliis accidentium prædicamentis dispositæ, ab iis quoque *quales* dicuntur, sed non *quales* tantum, verum etiam alio nomine denominantur: quod ut intelligatur, notandum est, quod variæ sint formulæ, quibus aliquid de alio quæritur; scilicet, quid est res? qualis est res? quo-

modo res se habet? quanta est res? quid agit? ubi est res? quando est res? &c.

3. Ad primam quæstionem; quid est res? respondetur ex primo prædicamento substantiæ: ad secundam quæstionem, qualis est res? respondeti potest ex omnibus reliquis novem prædicamentis; sed ex iisdem responderi potest ad alias & reliquas interrogandi formulas, excepta qualitate, ex qua tantum respondetur ad solam hanc quæstionem, qualis est res? non item ad alias; & hoc est quod significat Author, cum inquit, à qualitate subjectum *quale duntaxat* denominari.

Quæst. II. *Quot sunt species qualitatis?*

Quatuor: 1. habitus & dispositio, 2. potentia & impotentia naturalis. 3. patibilis qualitas & passio. 4. forma & figura.

1. Quod singulis qualitatibus duo dentur nomina, id non est factum, quasi sub nominibus duobus diversæ dicentur qualitates; sed significatur tantum una qualitas, gradu, tempore, perfectione, aut alia circumstantia accidentali distincta à seipsa, vel alia suæ speciei.

2. Levis aliqua hujus aut illius artis perceptio, verbi causa, Musicæ, vocatur *dispositio*; ejusdem peritia plena perfectaque, vocatur *habitus*: quibus duobus vocabulis non significatur duplex qualitas, sed est una eademque qualitas, quæ nunc venit nomine *dispositionis*, quando scilicet adhuc est imperfecta, nunc venit nomine *habitus*, quando est perfecta; ut hic tantum sit discrimen graduum perfectionis aut imperfectionis: & sic se res habet in aliis speciebus qualitatis.

Quæst. III. *Quid est habitus?*

Habitus est qualitas adventitia ad operandum cum facilitate.

[1]. *Adventitium* hîc opponitur naturali, prout illud dicitur tale, quod vel naturam rei constituit, vel constitutam immediate sequitur: priori modo, dicitur naturalis homini rationalitas, posteriori, risibilitas; & hoc sensu secunda species qualitatis, scil. potentia, dicitur naturalis. *Adventitium* ergo est, quod nec constituit naturam subjecti, nec eam constitutam immediate consequitur: sic nullus habitus essentiam hominis constituit, neque enim est ejus anima, neque ejus corpus; nullus quoque essentiam hominis immediate consequitur, neque enim ullus, est proprietas hominis, aut cum illo reciprocatur: nam non licet mihi dicere, omnis homo est eruditus, aut omne eruditum est homo, ut quidem dico, omnis homo est risibilis, &, omne risibile est homo. Habitus ergo dicitur adventitius,

ventitius, quando præter naturam & proprietates subjecto superaccedit, sive infundatur à Deo, sive frequenti actuum exercitio comparetur ab homine: prioris exemplum est donum linguarum, quod Deus intudit Apostolis tempore Pentecostes; posterioris exemplum est eruditio, quæ frequenter studendo acquiritur: prioris habitus dicuntur infusi, posteriores acquisiti. Finis autem omnium habituum est promptitudo & facilitas in operando: sic per donum linguarum, Apostoli prompte & facile linguas quasvis sunt locuti; per eruditionem acquisitam, homo prompte & facile res quasvis cognoscit.]

[2. Non debent hæc duo vocabula confundi, *acquisitum* & *adventitium*, omnis habitus est qualitas adventitia, sed non omnis est qualitas acquisita: habitus enim infusus est qualitas adventitia, sed non acquisita; nam repugnat eundem habitum esse infusum, & acquisitum: sic & habitus innatus & concreatus sunt qualitates adventitiæ, sed non acquisitæ. Nempe quatuor generum sunt habitus: innati, ut peccatum originis: concreati, ut justitia originalis; infusi, ut donum linguarum in Apostolis; acquisiti, ut Musica, sive ars canendi. Hi omnes sunt qualitates adventitiæ, quia nullus istorum habituum, aut essentiam hominis constituit, aut constitutam immediate sequitur, quod in singulis patet. Nam peccatum originis nec essentiam hominis constituit, nec eam immediate sequitur, quia ab ea abesse potest, abfuit enim ab essentia humana Christi; at quod essentiam rei constituit, aut eam immediate sequitur ab ea abesse nullo modo potest: sic justitia originalis adventitia est qualitas, quia ab essentia humana abesse potest, uti nunc ab omni homine abest; ideoque nec essentiam hominis constituit, nec eam immediate sequitur: non tamen est qualitas acquisita, nec hæc prior; nam primus homo justitiam originalem suis viribus non acquisivit, sed fuit ei concreata; nec nos peccatum originis acquirimus, sed illud nobis est connatum. Sic & habitus infusi sunt quidem qualitates adventitiæ, quia neque essentiam constituunt, neque eam immediate sequuntur, nam donum linguarum in Apostolis nec fuit essentia illorum, nec proprietas: non tamen hic habitus loquendi diversis linguis, fuit qualitas ab Apostolis acquisita studio & labore, neque enim studuerant, sed cœlitus à Deo infusa. At quarti generis habitus, ut artes omnes & scientiæ, verbi causa, Musica sunt qualitates simul & adventitiæ & acquisitæ, Musica enim nec essentiam hominis musici constituit, neque eam, ut proprium, immediate sequitur, ergo est adventitia: præterea, quia neque connascitur musico, neque concreatur, neque infunditur, sed frequenter canendo acquiritur, est insuper qualitas acquisita.

3. Habitus alii sunt corporis, alii sunt animi. Priores sunt qui opere & beneficio organorum corporis exercentur, ut ars natandi. Posteriores sunt, vel intellectus vel voluntatis. Habitus intellectus vulgo dicuntur intellectuales; sunt que, intelligentia,

scientia, sapientia, prudentia, & ars: Voluntatis habitus sunt vel boni, vel mali: boni sunt virtutes morales, mali sunt vitia. Hi omnes sunt adventitii & acquisiti crebris actionibus. Fides est qualitas quidem adventitia, sed non acquisita, verum infusa.

Quæst. IV. *Quid dispositio?*

Dispositio, est habitus imperfectus.

Dispositio, differt ab habitu, gradu tantum, seu imperfectione.

Quæst. V. *Illustra rem exemplo.*

Si quis in arte aliqua, scientia, aut virtute, puta Logica, Physica, aut Justitia, aliquantulum profecit, is dispositione affectus est: si quis, artis, scientiæ, aut virtutis culmen attigit; is dicitur esse præditus habitu.

Quæst. VI. *Quid potentia naturalis?*

Potentia naturalis, est qualitas sensibus non obvia, qua subjectum natura sua aptum est ad agendum vel patiendum.

[1. Omne operandi principium, est vel potentia naturalis, vel habitus, inter accidentia; vocaturque utrumque in Philosophia actus primus, quemadmodum ipsa operatio dicitur actus secundus.]

[2. Noranter dico, *inter accidentia*. Ipsa forma substantialis, à qua potentiæ naturales fluunt, & in qua habitus recipiuntur, est principium operandi, sed inter substantias; & est actus primus, sed substantialis: at vero potentiæ naturales, habitus sunt actus primi, sed accidentales: hinc, cum anima, quæ est forma, definitur actus primus, additur substantialis, quia est substantia: at visus est actus primus, quia principium est videndi; sed accidentalis, quia est accidens.]

3. Nullus actus primus, sensu externo percipitur; bene tamen actus secundus: sic nec potentia canendi, nec habitus canendi ipsa Musica, auditur; sed vero, utriusque operatio, τὸ canere, & sic in aliis.

[4. Actus primus, cum est naturalis potentia, vel spectatur ut proprietas animam consequens; vel, ut certæ parti corporis alligatus: priori modo nunquam tolli potest à subjecto; posteriori modo potest tolli & sæpe tollitur una cum actu secundo. Verbi causa, potest tolli & tollitur à surdo τὸ audire, actus secundus; item potentia audiendi, actus primus, prout alligatur auribus, ex quarum indispositione aufertur: sed non potest tolli potentia audiendi, in quantum immediate sequitur animam hominis

minis sentientem, sic enim unà ab homine tolleretur ipsa anima sentiens, atque homo furdus, non amplius foret animal, quod est absurdum.]

[5. Omnis potentia naturalis, in rebus animatis & organicis, dicitur vel prima, vel secunda: prima, quæ cum ipsa anima per totum corpus est diffusa; secunda, quæ certæ parti corporis & organo alligatur, illa tolli non potest, hæc potest. Verbi causa, visus, pront est proprietas animæ sentientis, cum ipsa anima sentiente diffunditur per totum corpus; & sic tam parum tolli potest ab homine, quam parum tolli potest ipsa anima sentiens: sed cum spectatur visus, prout potentia videndi alligatur oculo, quatenus eâ parte corporis, & isto tantum organo videmus, tolli potest. Priori modo, visus, ut est potentia prima, nullo modo auferetur à cœco, quia sic cæcus exueretur anima sentiente, consequenter & natura animalis, ac non esset animal, quod est falsum: sed posteriori modo, visus, ut est potentia secunda, est actus primus & principium operandi, æque ac potentia prima, sed actus secundus est ipsa operatio; verbi causa, *videre* est actus secundus, *visus* est potentia secunda, & actus primus. Potentia videndi, ut extra oculum, immediate sequitur animam sentientem, & cum ea diffunditur per totum corpus, est & potentia prima, & actus primus.]

[6. Nec *potentia naturalis*, nec *habitus*, *incurrunt in sensus*, ut quidem tertia & quarta species qualitatis: possumus videre aliquem ambulantem, sed non potest videri potentia ambulandi, neque habitus. Differt tamen potentia naturalis ab habitu, quod potentia naturalis fluat à natura, habitus non item: nascimur enim prædicti potentiâ sentiendi, videndi, tangendi, audiendi; sed non nascimur prædicti habitu; ille vero crebris actionibus acquiritur, aut inditur aliunde: illa facit subjectum agere vel pati; hic facilitatem confert agendi vel patiendi. Unusquisque quidem canere potest, sed non cum facilitate, servans modulos, & iis sese accommodans: qui vero servant istos modulos, illi canunt cum facilitate. Posse canere est à potentia naturali; facile & bene canere est ab habitu.]

Quæst. VII. *Quid impotentia?*

Impotentia, est diminuta potentia.

Quamvis particula *in* plerumque neget, ut, *indoctus*, *injustus*, hic tamen non negat potentiam naturalem, sed eam ponit, verum imperfectam & imminutam. Notandum hic venit discrimen inter potentiam naturalem primam & secundam, quod in rebus animatis & organicis locum habet tantum. Prima fluit immediate ab anima, estque proprietas ejus, à subjecto suo inseparabilis. Potentia secunda est eadem quæ prima, sed prout certæ portioni corporis aut organo adstringitur, cujus beneficio functiones suas exercet. Hæc tolli potest atque imminui: & de hac intelligitur definitio impotentiæ.

Quæst. VIII. *Adde exemplum.*

Ingenium, indoles, memoria, sensus, robur, &c. sunt potentiæ, sive facultates naturales: quum hæ notes admodum imperfectæ sunt, veluti si quis *obtuso sit ingenio, labili memoria, infirma valetudine*, &c. dicuntu impotentiæ.

Quæst. IX. *Quid est qualitas patibilis?*

Patibilis qualitas est, quæ efficit passionem in sensu, [hoc est, quæ facit sensum pati.]

1. Clarius, Patibilis qualitas est, quæ percipitur uno sensu externo.

2. Dicitur hujus tertiæ speciei qualitas, *patibilis*, active, non passive; non quia ipsa aliquid patiatur, sed quia ipsa facit aliud pati: sic *figura* nihil patitur, sed facit manum vel tactum pati.

3. Quodcunque aliud recipit, id dicitur *pati* ab eo, quod recipit; *pati* enim, est recipere affectum agentis in se; quia igitur patibilis qualitas recipitur in *sensu*, facit *sensum* pati.

4. *Pati* non significat, primo, tolerare injuriam, nec secundo, commoveri, quo sensu affectus dicitur *passio*; sed tertio, recipere in se qualitatem: vel realem, ut cum manus recipit calorem; vel intentionalem, ut, cum oculus recipit colorem, id est, coloris imaginem, quam vocant speciem visibilem.

[5. Omnis *passio* à patibili qualitate in sensum introducta, duplici fit modo: vel sic, ut ipsa qualitas organon sentiendi subeat, illudque penetret; tali modo calor ipsum subit tactum: vel sic, ut non ipsa qualitas, sed ejus imago atque similitudo primum organon sentiendi attingat; sic color ipse visum aut oculum non intrat, cum videtur; nam maneat in re colorata, sed ejus tantum imago aut similitudinem visum in oculo, subit atque attingit: hanc vulgo vocant speciem visibilem, & intentionalem, quia à visu quasi intenditur, tanquam medium ad videndum.]

6. Sic visus videndo patitur, quia recipit effectum coloris & lucis in se, scil. species visibiles, quibus in oculo impressis, videt. Species visibiles & omnes sensibiles, vulgo intentionales, sunt imagines rerum visibilium ac sensibilium, quæ ab iis fluunt, per aërem vagantur, & in oculo atque cæteris organis sentiendi recipiuntur; & sic efficiunt visionem, cæteralque sensiones.

7. Per *sensum* intelige externum, non internum.

8. Sensus dicitur externus, qui in exteriori parte corporis functiones suas exercet; ut visus in oculo, auditus in aure, &c. internus, qui in interiori parte corporis, puta cerebro, operatur; ut phantasia, memoria, &c.

[9. Quia

[9. Quia patibiles qualitates sunt objecta sensuum externorum, & objecta agunt in sensus, eóque movent, ipsi sensus patiuntur, ideóque dicuntur potentiæ passivæ: itaque licet *videre, audire*, &c. Grammatice sint verba activa; Logice tamen passionem significant.]

Quæst. X. *Quid passio?*

Passio est patibilis qualitas, quæ subito fit & cito perit,

Quæst. XI. *Da exemplum.*

Lux, color, sonus, odor, sapor, calor, frigus, humiditas, siccitas, gravitas, levitas, &c. sunt qualitates patibiles, si aliquandiu permaneant in subjecto: at si cito evanescant, ut *pallor ex metu, rubor ex verecundia*, dicuntur passiones.

Quæst. XII. *Quid est figura?*

Figura, est qualitas orta ex terminatione magnitudinis: ut, *triangulum, circulus, sphæra, pyramis, cylindrus.*

1. Tria hîc sunt distinguenda accurate.

I. Quantitas sive *magnitudo*, ut linea.

II. *Termini* magnitudinis, ut lineæ sunt puncta.

III. Id, quod *oritur ex magnitudinis* (puta, lineæ aut linearum) *terminatione*, punctis facta.

a b a b } quantitas, scil.
Δ } 3. linearum, aut
a c a c } 3. lineæ.
a b c sunt termini linearum.

2. Quod ex lineis cum suis terminis oritur, est *figura*. Hoc tertium, vocatur *figura*: quæ in rebus quantis est quidem cum & sub colore, consideratur tamen sine colore; quando enim spectatur cum colore, vocatur forma, & definitur quæstione sequente.

Quæst. XIII. *Quid est forma?*

Forma est figura cum colore; ut, *pulchritudo, deformitas.*

1. *Forma*) hîc non significat alteram partem corporeæ substantiæ, sed formositatem, quo sensu dicimus, aliquem esse *formâ venustâ.*

Quæst. XIV. *Quomodo differt figura & forma à patibili qualitate?*

Patibilis qualitas uno tantum; figura & forma pluribus sensibus percipitur.

Quæst.

Quæst. XV. *Quot sunt notæ qualitatis?*

Tres.

Quæst. XVI. *Quæ est prima nota?*

Habere contrarium. Nam calor frigori, & albor nigrori contrarius est.

[1. Hæc nota, non convenit secundæ aut quartæ speciei qualitatibus, sed tantum primæ aut tertiæ: quia qualitates secundæ & quartæ speciei sibi invicem quidem opponuntur, ut cæcitas visui, surditas auditui, sed privative, non contrarie; quia alterum eorum, quæ hic opponuntur, non est vera res, sed veræ rei negatio; at contrarietas est inter duo vera entia: cæcitas autem & surditas sunt veri entis scilicet visus & auditus negationes; sic & deformitas, est pulchritudinis negatio. Non tamen omnibus qualitatibus primæ & tertiæ speciei convenit hæc nota: quædam enim earum opponuntur privative, non contrarie; ut *lux & tenebræ*, *scientia & ignorantia*, scil. *puræ negationis*, non *puræ dispositionis*.]

2. *Ignorantia puræ negationis* dicitur, quando ipsi termini atque voces ignorantur, quibus aliquid effertur, qualis est in rustico, respectu rerum mathematicarum. *Ignorantia puræ dispositionis* dicitur, quando termini & voces quidem sciuntur, sed sub illis cognitis, errore tenetur opinio, atque totius enunciationis veritas ignoratur: ut, si quis sciat quid significet vox cœlum, quid igneum, atque exsistimet cœlum esse igneum, quod falsum est; is dicitur laborare ignorantiâ puræ dispositionis, quia ipsius intellectus, dum errat circa hujus enunciationis veritatem, prave disponitur. Prior ignorantia privatio est; posterior, habitus contrarius scientiæ.

Quæst. XVII. *Quæ secunda?*

Recipere magis & minus. Alius enim alio doctior, melior, aut prudentior est.

[1. *Recipere magis & minus*, idem est quod *intendi & remitti*.

[2. Res duobus modis augetur & minuitur; vel per partes, vel per gradus. Cum res augetur per partes, dicitur extendi, cum minuitur per partes, dicitur contrahi; & habet utrumque locum in quantitate, cum res fit vel major, vel minor. Res augetur per gradus, cum manens sub eadem quantitate, atque sub iisdem partibus, in iis recipit plures essentiæ suæ gradus; ac tum dicitur intendi; minuitur per gradus, cum manens iterum sub eadem quantitate, atque iisdem partibus, aliquot gradus essentiæ amittit, & tum dicitur remitti: hoc utrumque, habet locum in qualitate. Hæc nota non convenit omni qualitati,

tati, non saltem figuræ; unum enim triangulum non est magis triangulum quam alterum; sed iis tantum competit qualitatibus quæ contrarium habent, ut in prima & tertia specie; vel etiam iis, quarum subjectum inæqualiter disponi potest, ut in secunda specie: ita verbi causa, vitus acutior est in juvene, minùs acutus in sene quia oculus, subjectum ejus, melius est dispositus tempore juventutis, quam senectutis. Qualitas dicitur remitti, cum admiscetur ei qualitas contraria; intendi dicitur, cum liberatur à contraria qualitate: sic tantum intenditur calor aquæ, quantum liberatur à frigore; & tantum remittitur calor, quantum ei admiscetur frigoris.]

3. Si aqua, certa quantitate, in omnibus sui partibus incalescat, primum tepescet, tum incalescet, tandem effervescet: illa caloris accessio successive facta, dicitur fieri per gradus, & ipse calor intendi; si aqua calefacta sibi relinquatur, sensim redibit ad pristinum frigus: cum sic frigescit in iisdem sui partibus, dicitur calor remitti. Sed quando aquæ jam calefactæ ad aliquot gradus affunditur nova aqua frigida, calor prioris aquæ, quia ad affusam quoque aquam sese extendit, eam calefaciendo, dicitur non intendi, sed extendi, & quia per frigus affusæ aquæ aliquot gradus sui perdit, dicitur remitti.

[4. *Recipere magis & minus*) significat, vel adverbia *magis & minus* prædicari de qualitatibus, vel definitionem qualitatis in genere aut in specie magis uni qualitati quam alteri, huic quam illi, vel minus convenire. Si priori modo sumantur adverbia, conveniunt qualitatibus in concreto spectatis; dico enim recte, Petrus est magis doctus, Joannes est minus doctus: si secundo sensu accipiantur ista vocabula & applicentur qualitatibus in abstracto consideratis, nota ista fallit; quia non est verum, nec recte dictum, doctrina Petri, est magis doctrina, & Joannis, est minus doctrina, quasi definitio doctrinæ, ejusque essentia magis competat doctrinæ Petri, quam doctrinæ Joannis; nam essentia & definitio cujuscunque rei in indivisibili sunt positæ.]

5. Dicitur qualitas spectari in concreto, quando spectatur cum subjecto in quo est; sic doctus significat doctrinam in docto: in abstracto consideratur, quando consideratur absque subjecto in quo est; sic doctrina significat doctrinam animi, non significato homine docto, in quo est.

Quæst. XVIII. *Quæ tertia?*

Res ab illa dici similes, aut dissimiles.

Duo entia, quæ conveniunt in substantia, dicuntur eadem, quæ non conveniunt in substantia, dicuntur diversa: quæ conveniunt in quantitate, dicuntur æqualia; quæ non, inæqualia; vel paria, aut imparia: quæ conveniunt in qualitate, similia dicuntur; quæ non, dissimilia.

CAP.

CAPUT VII.

Quæst. I. *Quid sunt relata?*

RElata sunt, quæ, id ipsum quod sunt, aliorum esse dicuntur, vel alio aliquo modo ad aliud referuntur.

1. *Relata*) dicuntur à *referendo*; Græce Aristoteli τὰ πρὸς τὰ quasi dicas, quæ *ad aliud* scilicet sunt: nam relatio non inest proprie subjecto, uti quidem quantitas & qualitas; sed significat tantum respectum unius ad aliud.

2. *Aliorum vel alio modo*) id est, quæ de alio prædicantur in casu genitivo, vel in casu alio, dativo, ablativo, &c.

3. Distinguendum est relatum à relatione; hæc significat habitudinem ejus quod refertur, ad aliud ad quod refertur; at relata significant ea, quæ ad se invicem referuntur.

[4. Quantum differunt abstractum & concretum, tantum distinguuntur relatio & relatum: relatio enim est abstractum, ut paternitas, dominium; relatum est concretum, ut pater, dominus] Relatio nihil aliud est quam σχέσις sive habitudo unius ad aliud; relatum est id quod se habet ad aliud quocunque modo: itaque hæc duo non debent confundi, non magis, quam albor & album.

[5. Accidentia sunt duorum generum: alia sunt in subjecto, & vulgo vocatur physica, quæ sunt entia vera distincta à substantiis quibus insunt, ut quantitas & qualitas & exigunt subjectum inhæsionis; alia non sunt proprie in subjecto, sed ordinantur ac referuntur ad subjectum in quo non sunt, quod tamen denominant, & de quo prædicantur, unde exigunt subjectum denominationis aut prædicationis, & vocantur accidentia Logica: suntque relatio, & sex postrema reliqua prædicamenta, hæc, accidentium eorum quæ sunt vera entia, nomen non merentur, quia non sunt talia: sed sunt tantum modi fiendi, existendi, operandi, & denominationes extrinsecæ, quæ omnia impune possunt tribui Deo; unde non absurdum est, relationes Deo tribuere.]

6. Deo nulla accidentia tribui debent quæ insunt subjecto, ut quantitas & qualitas, hæc enim imperfectionem involvunt, & compositionem inferunt ex pluribus entibus realibus ac distinctis, nimirum ex substantia & accidente; sed in Deum non cadit imperfectio, nec talis compositio: at vero accidentia quæ non insunt subjecto, sed quæ illud tantum denominant, logica, non physica, Deo tribui possunt, quia nullam includunt imperfectionem, & nullam inferunt compositionem, utpote quæ non sunt entia realia, ac distincta à substantiis, sed tantum habitudines, vel modi, vel denominationes externæ, quæ omnia non sunt entia realia, sed media negationis, inter ens reale & nihil interjecta, de quibus vide Metaphysic. Burgersdicii lib. 1. cap. 3.

Quæst.

Quæst. II. *Explica definitionem exemplis.*

Pater dicitur, *filii* pater; *dominus*, *servi* dominus; *majus minore* majus: *simile*, *simili* simile. Hæc enim referuntur ad aliud, *hoc quod sunt*, ideoque sunt relata. At *tenebræ* dicuntur quidem *lucis*, verum non dicuntur *lucis tenebræ*, sed *lucis privatio*; & *Alexander* dicitur quidem *Philippi*, sed non dicitur *Alexander Philippi*, sed *filius*. Hæc ergo dicuntur quidem aliorum, sed non dicuntur aliorum, *hoc quod sunt*; ac proinde non sunt relata.

Quæst. III. *Quotuplicia sunt relata?*

Duplicia; alia secundum dici, alia secundum esse.

Quæst. IV. *Quæ vocas relata secundum dici?*

Quæ cum sint res absolutæ, nomine tenus referuntur ad aliud: ut, *scientia* & *scibile*, seu id quod scitur; *sensus*, & *sensibile* seu id quod sentitur.

Quæst. V. *Quæ secundum esse?*

Quorum tota essentia, consistit in respectu ad aliud: ut, *pater* & *filius*, *maritus* & *uxor*.

[1. *Relata secundum dici*, primo, & per se ponuntur in prædicamentis aliis; sic *scientia* & *sensus* ponuntur in prædicamento qualitatis: relata tamen vocantur, quia scientia non est, nisi sit aliquid quod sciatur; nec sensus est, nisi sit aliquid quod sentiatur. Vocantur ergo *relata* respectu objecti sui, ad quod referuntur.]

[2. *Scientia* & *sensus*, si spectentur in ordine ad subjectum, verbi causa, hominem, qui scit & sentit, sunt in prædicamento qualitatis; scientia enim est habitus, qui intellectum hominis reddit facilem ad sciendum, & sensus est potentia qua homo a natura aptus est ad sentiendum; & sic ambo sunt entia absoluta: sed quia nulla datur scientia, nisi detur res quæ scitur, nec sensus, nisi detur res quæ sentitur; propter illam habitudinem & respectum scientiæ & sensus ad objecta sua, ambo collocantur in hoc prædicamento relationis.]

3. *Relata secundum esse* sunt, quæ in nullo alio prædicamento quam relationis reponuntur, ille homo quidem qui est pater, est in prædicamento substantiæ; sed ut pater non item.

4. *Relata secundum dici* sunt, cum voces ex primaria significandi vi significant res absolutas,

tas, in nullo respectu positas, ut *scientia*; hæc vox audita atque intellecta, infert animo notionem habitus, rei absolutæ: sed relata secundum esse sunt, cum voces ex prima significandi vi significant res sitas in respectu ad aliud; ut vox *pater* audita & intellecta, menti importat notionem ejus qui genuit, cum respectu ad eum quem genuit.

Quæst. VI. *An non aliter etiam dividuntur relata?*

Dividuntur etiam in relata realia, & rationis.

Quæst. VII. *Quænam sunt realia?*

Qua sua natura referuntur ad aliud: ut, *dominus* & *servus*, *magistratus* & *subditus*.

1. *Relata* dicuntur *realia*, quæ ex parte sui, nulla cogitatione hominis intercedente, inveniuntur ad se invicem referri: quemadmodum Philippus est pater, & Alexander filius, nemine cogitante.

Quæst. VIII. *Quæ rationis?*

Quæ sola mentis opera referuntur ad aliud: ut, *dextrum* & *sinistrum*?

1. *Relata rationis* dicuntur, quæ ad aliud referuntur eatenus tantum, quatenus à mente humana cognoscuntur, extra quam cognitionem ad aliud non referuntur; ut genus & species: & quod hoc sit sinistrum, illud dextrum, ab homine est, qui istam relationum & σχέσιν mutare potest.

Quæst. IX. *An hæc omnia pertinent ad hanc categoriam?*

Non. Nam relata secundum dici, cum habeant essentiam absolutam, sunt aliarum categoriarum: [relata rationis, cum sint à mente, huc quoque non pertinent.]

[1. Est & alia divisio relatorum utilissima, in prædicamentalia & transcendentalia: priora dicuntur, quæ in hoc prædicamento tantum inveniuntur, ut, *pater* & *filius*; posteriora, quæ transcendunt omnium prædicamentorum limites, ut causa & causatum, subjectum & adjunctum, &c. Huc proprie faciunt relata priora.

Quæst. X. *Quænam sunt in unaquaque relatione consideranda?*

Subjectum, fundamentum, terminus, relatum & correlatum.

[1. Non

[1. Non est existimandum, quod hæc quatuor vocabula, subjectum, terminus, relatum, correlatum, significant quatuor res; sed subjectum & relatum significant unam eandemque rem, uti & terminus & correlatum: nempe Philippus absolute spectatus ut homo generans, dicitur subjectum, & Alexander, ut homo generatus, dicitur terminus; idem Philippus spectatus ut pater, cum respectu ad eum quem genuit, dicitur relatum: & idem Alexander spectatus ut filius, cum respectu ad eum à quo genitus est, dicitur correlatum. Fundamentum quoque interdum significat rem distinctam à subjecto & termino, interdum non, ut in commentat. quæst. 12. dicetur.]

2. Relatio, nihil est aliud, quam mutua rerum habitudo & respectus, Græce σχέσις πρὸς τι πρός τι, ut habitudo ab habere: itaque duo semper exigit, unum quod refertur; alterum ad quod refertur prius. [Atque hic interim omnium ad se invicem rerum respectus, extendit se latissime comprehenditque præterea rerum inter se convenientiam, atque à se invicem discrepantiam. Id quod refertur ad aliud vocatur subjectum, id ad quod aliud refertur dicitur terminus. Hæc duo sunt in omni relatione: sed interdum aliqua causa datur, cur unum referatur ad aliud, eaque distincta ab utroque, & subjecto & termino, vocaturque fundamentum; interdum nulla datur causa, distincta à subjecto & termino, cur unum referatur ad aliud. Quando illud quod refertur, sc. subjectum, spectatur cum ista habitudine qua refertur ad aliud, vocatur *Relatum*: quando illud aliud, puta terminus, spectatur cum habitudine opposita vocatur *Correlatum*.]

Quæst. XI. *Quid est subjectum?*

Subjectum est, cui inhæret relatio. [Sic melius; Subjectum est, quod refertur ad aliud.

1. *Relatio* proprie non *inhæret*, sed significat habitudinem, & respectum, quo unum refertur ad aliud. Hoc quod refertur, subjectum dicitur: sic Philippus, qui refertur ad Alexandrum, ut pater, est subjectum paternitatis.

Quæst. XII. *Quid fundamentum?*

Fundamentum est, quo mediante, relatio inhæret subjecto. [Melius; Fundamentum est, quo mediante, subjectum ad aliud refertur.

1. Non omnia relata exigunt fundamentum distinctum à subjecto & termino, sed illa tantum in quibus relatio non existit, subjecto & termino positis. Ita relatio dominii non existit, etiamsi existat Petrus & Paulus, subjectum & terminus; sed opus est, ut accedant conductio & locatio, dominii fundamentum:

tum : sed,ut existat relatio similitudinis inter duo ova, non requiritur fundamentum distinctum ab ipsis rebus similibus, aut earum existentia ; nam unum ovum coëxistens alteri ovo, eo ipso, alteri est simile.

[4. Omnis rerum convenientia & diversitas, nihil est aliud, quam unius rei ad aliam relatio : neque enim potest una res convenire cum alia, neque ab alia distingui, nisi una ad aliam referatur. Sic convenientia inter Petrum & Paulum, qua conveniunt in substantia, relatio est quædam, qua referuntur ad se invicem in quantum ambo sunt homines, ac conveniunt in communi natura humana, prout ambo constant ex anima & corpore ; hæc convenientia duorum in substantia vocatur identitas : sic inter duo ligna, quæ ambo sunt decem pedum, & conveniunt quantitate, est relatio quædam, quæ hic dicitur æqualitas : sic convenientia ovi unius cum altero in oblonga figura, & colore albo, est relatio unius ovi tanquam subjecti ad alterum tanquam terminum, & hæc dicitur similitudo. In hisce tribus relationem generibus, fundamentum non est distinctum à subjecto & termino, sed iis tantum existentibus, & ipsæ existunt relationes.]

[3. Totidem sunt oppositæ relationes diversitatis, inæqualitatis & dissimilitudinis : nempe cum duæ substantiæ à se invicem discrepant, ut homo & brutum, in eo quod homo sit substantia rationalis, brutum sit substantia irrationalis ; hæc substantiarum discrepantia, seu diversitas, seu distinctio, est relatio quædam : sic inæqualitas duarum magnitudinum, quarum altera sit centum, altera sit decem pedum, est relatio quædam : sic dissimilitudo duarum qualitatum, ut alboris & nigroris, est relatio quædam.]

Quæst. XIII. *Quid terminus ?*

Terminus est, cum quo subjectum in relatione comparatur.

Terminus) id est, ad quod subjectum refertur : sic Alexander est terminus paternitatis, quia ad eum Philippus refertur, ut pater.

Quæst. XIV. *Quid est relatum ?*

Relatum, est subjectum cum relatione.

Relatum) non differt reipsa à subjecto, sed tantum ratione ac respectu : sic Philippus spectatus cum paternitate, ut pater, est relatum, sine ea consideratus, est subjectum.

Quæst. XV. *Quid correlatum ?*

Correlatum, est terminus cum relatione oppositа.

Correlatum) idem quoque est cum termino ; & differunt quoque solo respectu ac ratione : sic Alexander spectatus cum filiatione, ut filius, est correlatum ; sine ea consideratus, est terminus.

Quæst.

Quæst. XVI. *illustra hæc omnia exemplis.*

In relatione patris ad filium, subjectum est aliquis homo, puta, *Philippus*; fundamentum, *generâsse*; terminus, alius homo *Alexander generatus*; relatum *pater*; correlatum, *filius*, Philippus enim propterea est pater Alexandri, quia Alexandrum generavit. Contra, in relatione filii ad patrem, subjectum est *Alexander*; fundamentum, *generatum esse*; terminus, *Philippus qui generavit*; relatum *filius*; correlatum, *pater*.

1. Ex exemplo hoc patet, relationes esse mutuas, hoc est, inter subjectum & terminum intercedere relationes duas; in quarum una quod fuerat subjectum fit terminus in altera, & vice versa. Relatio patris ad filium vocatur paternitas, incipitque a patre, & desinit in filium: relatio filii ad patrem vocatur filiatio incipitque a filio, & desinit in patrem: hinc, quod in una relatione est relatum, in altera est correlatum, & vicissim.

[2. Quod videantur relationes duæ non mutuæ, id proficiscitur ex defectu & inopia vocabulorum; sæpe enim fit, ut, vel relato vel correlato, non sit positum idoneum vocabulum: sic relatio quædam est inter partem & totum, & sæpe alterutri significando non est posita idonea vox, ac tum, ut appareat relationem esse mutuam, vocabulum aliquod est fingendum. v. c. ala ut pars refertur ad totum, tanquam subjectum ad terminum, relatum ad correlatum; & hic est relatio mutua, sed quæ non apparet, quia termino sive correlato non est positum idoneum vocabulum: quodnam enim illud est? an avis? ut dicas, ala est avis ala; sed non licet reciproce dicere, omnis avis habet alas, dantur enim aves quæ carent alis: hic itaque fingendum est vocabulum, & dicendum, omnis ala est alati ala, &, omne alatum habet alas. Sic in alio exemplo, caput ut pars refertur ad totum, tanquam subjectum, & relatum ad terminum & correlatum: hic iterum termino & correlato nullum positum est nomen; nam non illud est vocabulum corpus; quamvis omne caput sit corporis caput, non tamen, vice versa, omne corpus est capitis corpus, quia dantur corpora quædam interdum ἀκέφαλα, id est, sine capite: ergo & hic fingendum est vocabulum, dicendumque, omne caput est capitati caput, & omne capitatum est capitis capitatum.]

Quæst. XVII. *An relatum & correlatum semper differunt appellatione?*

Non semper: sæpe enim idem nomen utriusque est:

ut, *amicus, hospes, rivalis, &c.* Atque hæc vocantur relata æquiparantiæ. Cætera, quæ appellatione differunt, ut *dominus* & *servus, pater* & *filius*, dicuntur relata disquiparantiæ.

Et Petrus, qui refertur ad Paulum in relatione amicitiæ, vocatur amicus, & Paulus, ad quem refertur Petrus, vocatur amicus; uterque eodem nomine *amicus*.

Quæst. XVIII. *Quot sunt notæ relatorum?*

Quinque.

Quæst. XIX. *Quæ est prima nota?*

Habere contrarium. Amicus enim & *inimicus, simile* & *dissimile*, contraria sunt.

Sensus hujus notæ non est, quod relatum sit contrarium correlato, nam se mutuo ponunt; nam pater est filii pater, & contra; at contraria se mutuo tollunt: sed sensus est, quod subjectum unius relationis, sit contrarium subjecto alterius relationis; aut, quod fundamentum unius relationis, sit contrarium fundamento alterius relationis; non quidem semper, & in omni relatione, sed interdum in quibusdam, sic *amicus & inimicus* sunt contraria, quia fundamentum unius, scil. amicitiæ, est contrarium fundamento alterius, scil. inimicitiæ, concordia animorum discordiæ: sic *simile* & *dissimile* sunt contraria, quia subjecta, v. c. albor & nigror, sunt contraria.

Quæst. XX. *Quæ secunda?*

Recipere magis & minus. Aliud enim alio *similius* est aut *dissimilius* ei cum quo comparatur.

1. Hæc nota non convenit omnibus relatis, ut nec precedens prima; sed iis tantum, quorum vel subjecta vel fundamenta contrarium habent, aut recipiunt magis & minus.

[2. Nota hæc, *recipere magis & minus*, convenit relatis in concreto spectatis, non in abstracto consideratis; ut & nota præcedens, *habere contrarium.*]

Quæst. XXI. *Quæ tertia?*

Reciprocari: nam *pater* est *filii pater*, & *filius* viciſſim est *patris filius.*

1. *Reciprocari*) dicuntur, duo quæ in enunciatione convertuntur, hoc est, quorum subjectum ponitur loco prædicati, & vice versa: hoc aut fit, vel in casu recto, vel in casu obliquo. In casu recto reciprocantur subjectum & proprium; in obliquo, relatum

tum & correlatum. Exemplum prioris est, homo & risibile; nam omnis homo est risibilis & omne risibile est homo: exemplum posterioris est in textu quæst. 21.

2. Reciprocatio relatorum, & conversio mutua subjecti ac prædicati, sæpe non apparet, quia desunt vocabula idonea ad exprimendum vel subjectum, relatum, vel prædicatum, correlatum: & hinc fit, quod nonnullis videantur ac dicantur esse relationes non mutuæ.

Quæst. XXII. *Quæ quarta?*

Esse simul natura: nimirum, quatenus relata sunt. Etsi enim qui *pater* est, *prius* fuit quam *filius*; non tamen *prius pater* fuit quam *filium* haberet.

Subjectum prius quidem natura sæpe & tempore est termino, v. c. Philippus Alexandro: sed relatum non est prius correlato; non enim prius est in Philippo ut sit pater, quam in Alexandro ut sit filius: simul enim & Philippus est pater Alexandri, & Alexander est filius Philippi.

Quæst. XXIII. *Quæ quinta?*

Esse simul cognitione; Unum enim relatum nequit sine altero cognosci.

1. Prius quidem potest cognosci subjectum, sc. ille homo qui est pater, quam terminus, scil. ille homo qui est filius; sed non cognoscitur prius aliquem esse patrem, nisi simul cognoscatur illum habere filium: sic cum cognosco Philippum esse patrem Alexandri, simul cognosco etiam Alexandrum esse filium Philippi.

[2. Illa res quæ refertur ad aliam, ut est res absoluta, prior natura est, sæpe etiam cognitione ac tempore, illa re ad quam refertur, prout & illa est res absoluta, & sic subjectum est prius natura, & sæpe etiam cognitione ac tempore, termino; sed tamen relatum nunquam aut natura, aut cognitione est prius correlato. Hoc est, quod scholastici efferunt suis terminis; Relata sunt simul natura & cognitione formaliter, non vero materialiter aut subjective: clarius; esse absolutum relati, prius natura aut cognitione est, vel saltem esse potest, esse absoluto correlati; sed esse respectivum unius, nunquam prius est ullo modo τῷ esse respectivo alterius.]

CAPUT VIII.

ACtio est [modus] à quo dicimur agere.

[1. *Actio* & *passio* constituunt duo prædicamenta, propter diversum modum prædicandi; alioquin, si respiciatur diversa entitas, non sunt diversa prædicamenta, quia non sunt diversa entia: vocantur autem una voce communi *motus*, qui, ut est à movente, dicitur actio, ut est in mobili, dicitur passio; ut calefactio est actio in quantum est ab igne, & est passio in quantum est in aqua, quæ calefit.]

2. *Actio* & *passio* non sunt duæ diversæ res, sed sunt unius ejusdemque rei habitudinis diversæ, quibus refertur dum fit, nunc ad agens, & dicitur actio, nunc ad patiens & dicitur passio.

[3. Quando categoria dicitur *series rerum*, vox ista *rerum* sumenda est latissime, prout comprehendit & vera entia, & verorum entium modos.]

[4. Vocula ens sumitur vel latissime, pro eo quod est aliquid, & non est nihil; sic comprehendit non tantum substantiam & accidens, sed & ista quæ neutrum sunt, ut privationes, relationes, modos rerum: vel strictius pro ente reali, quod est vel substantia vel accidens, vel Deus, vel creatura, & sic excludit relationes, privationes, ac modos entium. Totidem modis sumitur vocabulum res: ac latissime quidem accipitur in definitione categoriæ, quando definitur series rerum: & sic actio & passio, quamvis sint modi, sub hac latissima significatione voculæ res constituunt prædicamenta.]

[5. Per *modus* intelligo aliquid in rebus, quod non est res ipsa, quod non est nihil: sunt que modi, vel fiendi, vel essendi, ut unitas, vel existendi, vel operandi; id est, res diverso modo vel existunt, (Deus existit independenter, creatura dependenter à causa efficiente; substantia per se, accidens in alio ut subjecto) vel operantur & fiunt, vel sunt. Actio & passio sunt modi quibus res operantur & fiunt: sic calefactio non est ipse ignis qui calefacit, non aqua quæ calefit, non calor qui fit; non est tamen nihil, sed est ipsum fieri caloris, & modus quo ignis operatur, & calorem efficit in aqua.]

[6. *Modus*] nullus, est vel substantia, vel accidens, quia nullus est ens reale, quod in substantiam & accidens dividitur: sic nullus modus est Deus, vel creatura, quia nullus est ens reale, quod in Deum & creaturam dividitur: sed omnis modus est vel in substantia, vel in accidente, vel in Deo, vel in creatura; estque medium negationis inter omnia ista, quia de omnibus istis, quatenus sunt talia, modus negatur.]

[7. Deus dicitur existere independenter, quia à nullo existentiam suam accepit; creatura dependeret, quia eam accepit à Deo:

Deo: subſtantia dicitur exiſtere per ſe, quia nulli creaturæ exiſtentiam ſuam debet; accidens exiſtere dicitur in alio ut in ſubjecto, quia exiſtentiam ſuam debet ſubſtantiæ creatæ, cui inheret, tanquam ſubjecto inhæſionis.]

[8. *Modus* in genere poteſt deſcribi, quod ſit aliquid veri entis ac realis, quo illud vel fit, vel eſt, vel exiſtit, vel operatur; atque tam late ſeſe extendit, ut non tantum in rebus creatis, ſed & in Deo inveniatur, in quo ſunt tres modi ſubſiſtendi, conſtituentes tres perſonas, Patrem, Filium & Spiritum S. ſunt & modi operandi, creatio, conſervatio, cooperatio. In creaturis, tum ſubſtantiis tum accidentibus, varii occurrunt modi; & quibus fiunt, & quibus ſunt; & quibus exiſtunt, & quibus operantur.] *Actio* eſt *modus*, quo res *operatur*. *Paſſio* eſt *modus*, quo res *fit*.

9. Notandum autem bene eſt, nunquam debere confundi modum cum illa re, cujus eſt modus; ſic calefactio eſt modus quo ignis calefacit, & qua calcfit, neque debet illa confundi cum igne, neque cum aqua, nam diſtinguitur ab utroque: ſic in alio exemplo, gradus luminis, quibus illud in meridie eſt lucidius, circa auroram & crepuſculum eſt minus lucidum, ſunt modi luminis, & diſtincti ab ipſo lumine; ſic & gradus caloris, quibus nunc magis nunc minus incalcſcit, ſunt modi caloris. Ubi & Quando ſunt modi exiſtendi: Actio eſt modus operandi reſpectu agentis, eſt modus fiendi reſpectu termini ad quem, eſt modus exiſtendi reſpectu patientis.]

10. Actio & paſſio diverſas conſtituunt categorias, propter modum prædicandi diverſum; alia enim eſt quæſtio, quid agit res, & alia, quid patitur, ſunt quoque inter ſe diſtinctæ aliquo modo; nam aliud eſt verberare, aliud vapulare; aliud calefacere, aliud calefieri: attamen non ſunt aut modi aut motus diverſi, multo minus res diverſæ; nam unus idemque eſt modus, & motus & operatio, qua ignis calefacit ut agens & aqua calcfit ut patiens; qua Petrus verberat, & Paulus vapulat. Quemadmodum eadem eſt via, qua Hagæ Leidam, & Leida Hagam tenditur, & idem eſt ſpatium in monte, quod reſpectu baſis eſt declive; ita quoque eadem eſt operatio & actio reſpectu agentis, ut calefactio reſpectu ignis, & paſſio reſpectu patientis, ut eadem calefactio reſpectu aquæ: ſic quoque eſt eadem calefactio qua frigus expellitur, tanquam terminus à quo, & calor acquiritur, ut terminus ad quem, in aqua.

Quæſt. II. *Quid eſt agere?*

Agere eſt aliquid efficere.

Quæſt. III. *Quid eſt paſſio?*

Paſſio, eſt [modus] à quo dicimur pati.

Quæst. IV. *Quid est pati?*

Pati, est recipere effectum agentis.

1. *Pati)* hic non significat tolerare aut perferre; nam sic paries, tanquam res inanimata, dici non posset pati: attamen patitur, quando denigratur, & sic sumitur vox passio, in definitione patibilis qualitatis.

[2. *Effectum)* vel realem ut cum manus recipit calorem ignis; vel intentionalem (qui sic dicitur, quia intenditur ut medium sentiendi aut intelligendi) ut cum oculus recipit species seu imagines rei visæ.]

Quæst. V. *Da exempla.*

Generare, augere, calefacere, movere, &c. sunt actiones: *generari, augeri, calefieri, moveri,* sunt passiones.

Quæst. VI. *Quænam sunt in actionibus spectanda?*

Agens, patiens, terminus à quo, & terminus ad quem.

[1. In omni actione tria semper inveniuntur, *agens, terminus à quo, terminus ad quem*; sed non semper invenitur *patiens*, verum tunc tantum, quando terminus ad quem actio terminatur, est accidens, quod requirit substantiam tanquam subjectum inhæsionis: ita calor, terminus ad quem calefactionis, quia est accidens, requirit substantiam in qua sit, atque hæc est subjectum, sive patiens, in quo est calefactio: sed cum terminus ad quem actionis est substantia aliqua completa, actio non requirit subjectum sive patiens: ut in creatione est tantum agens Deus; terminus à quo, non esse creaturam; terminus ad quam, esse completum creaturæ; sed nullum est patiens aut subjectum, in quo sit creatio, Deus enim omnia creavit ex nihilo.]

[2. Substantia completa dicitur, quæ utramque sui partem obtinet essentialem: substantia incompleta dicitur altera pars essentialis, vel materia tantum, vel forma tantum.]

[3. Quando Deus dicitur omnia creasse ex nihilo, id dupliciter intelligi potest: vel ex nihilo materiæ sive subjecti, cum nulla creationem præcedit materia aut subjectum, quæ dicitur creatio immediata, quo modo Deus creavit cœlum & terram; vel ex nihilo sui, sive termini ad quem, quando quidem præcedit creationem aliqua materia, sive subjectum, sed tamen in ea, aut in illo, nihil præcedit ipsius rei creandæ, quæ dicitur creatio mediata, quo modo Deus creavit Adamum ex gleba terræ, & Evam ex costa Adami; nam nihil Adami creandi erat

erat in ista gleba terræ, nec Evæ erat creandæ in costa Adami, ante utriusque creationem.]

4. *Agens* est principium à quo est actio. *Patiens* est subjectum in quo est actio. *Terminus à quo* est id, quod in actione deponitur atque amittitur. *Terminus ad quem* est id quod per actionem acquiritur & possidetur.

5. Oppositio inter terminum à quo & ad quem, est vel privativa, quando terminus à quo est privatio termini ad quem, ut in illuminatione, tenebræ sunt privatio lucis; vel est contraria cum terminus à quo est res positiva, vere opposita termino ad quem, ut in calefactione, frigus est calori contrarium. Cum terminus à quo & terminus ad quem opponuntur privative, actio est perficiens; cum contrarie, corrumpens.]

Quæst. VII. *Declara hæc omnia exemplis.*

In calefactione, agens est ignis aut sol; patiens, is qui calefit; terminus à quo, frigus; terminus ad quem, calor, à quo calefactio nominata est. Similiter in generatione hominis, agens est pater; patiens, semen; terminus à quo, privatio humanæ formæ in semine, sive, non esse hominem; terminus ad quem, is qui generatur: nam qui generatur, ex non homine fit homo.

Quæst. VIII. *Quot sunt notæ actionis & passionis?*

Duæ; *habere contrarium*, & *recipere magis & minus*: nam calefactio frigefactioni contraria est; & alia magis, alia minus calefaciunt aut frigefaciunt, calefiunt ac frigefiunt.

1. Hæ notæ non conveniunt omni actioni aut passioni; sed tantum iis quæ habent terminos ad quem contrarios, aut recipientes magis & minus.

[2. Dicitur actio *habere contrarium*, id est, una actio alteri contraria est, propter terminos ad quem contrarios, id est, quando terminus ad quem unius actionis, est contrarius termino ad quem alterius actionis: ut v. c. exsiccatio est contraria humectationi, quia exsiccationis terminus ad quem, *siccitas*, est contrarius humectationis termino ad quem, *humiditati*. Quando terminus ad quem unius actionis, non est contrarius termino ad quem actionis alterius, actio non habet contrarium; sic *figurare* non habet actionem contrariam, quia terminus ad quem figurationis est quantitas aut figura; at quantitas aut figura non habet contrarium; figura enim sexangularis, non est contraria octangulari. Interdum una actio alteri contraria est non quia termini ad quem utriusque sunt contraria, sed quia uni eidemque utriusque termino ad quem accidunt contraria:

sic generatio & corruptio, auctio & diminutio, sunt contraria, quia substantiæ & quantitati, quæ contrarium non habent, accidit, isti esse & non esse, huic, magnum & parvum. Hæc eadem applicanda sunt notæ secundæ de *receptione magis & minus*.

CAPUT IX.

Quæst. I. *Quid est Ubi?*

UBI est modus, [sc. existendi] quo res finitæ alicubi esse [i. e. existere] dicuntur.

[1. Cum modus sit triplex, fiendi, essendi, id est, existendi, & operandi, *Ubi est modus* secundi generis. Existere autem dicitur id quod stat, id est, constitutum est in hoc universo, sive rerum natura, extra causas suas producentes.]

[2. Modus, quo res finitæ alicubi sunt, duplex est: unus, qui convenit corporibus; alter, qui spiritibus. Corpora alicubi sunt *circumscriptione*, id est, ita ut ab aliis corporibus circumscribantur, & alia excludant ex eodem loco. Causa est quantitas; quia si duo corpora possent esse in eodem loco, daretur corporum ac dimensionum penetratio: ideoque, quo loco est corpus Pauli, eo non est corpus Petri. At spiritus sunt alicubi *definitive*, id est, definiuntur quidem certo spatio, ut hic sint, & non alibi, multo minus ubique (hoc enim soli Deo convenit;) ita tamen sunt in spatio, ut non circumscribantur à partibus spatii, neque ex eodem spatio alia corpora excludant, quia quantitate carent, ideoque nulla hic est dimensionum penetratio: ita potest angelus esse in eodem spatio in quo est Petrus, & anima est in eo spatio in quo est corpus.]

[3. Circumscribi ab alio corpore dicitur id, quod sic est in loco, ut partes ejus respondeant partibus loci: ita ut quæ pars corporis, verbi causâ, pes, est in una parte loci, in eadem non sit pars alia corporis, ut caput; quo enim loco pes est, eodem non est caput.]

[4. Dimensio vocatur in philosophia, magnitudo qua unumquodque corpus potest mensurari: estque triplex, longitudo, latitudo, & crassities; unde omne corpus dicitur præditum trinâ dimensione. Penetratio dimensionum vocatur, quando unius corporis longitudo, aut latitudo, aut crassities, est in eodem loco in quo est alterius corporis qualiscunque dimensio; quod si possibile esset, jam unum corpus fieret ac foret alterum, & non amplius essent duo corpora, sed unum corpus: nam, quemadmodum physicæ dimensiones si invicem penetrent, fieret una dimensio; sic & materia unius corporis, quæ penetrat materiam alterius corporis, fit eadem cum illa, consequenter unum corpus fit aliud, atque sic non erit amplius unum: ergo duo corpora non possunt esse

in eodem loco simul, quia hinc sequeretur dimensionum & materiæ penetratio, quæ est impossibilis; qua admissa, duo corpora non amplius essent duo, sed facta essent unum, quod est contra hypothesin ipsam adversariorum.]

[5. Notandum est, omne quod existit, esse in loco. Deus est in omni loco; omnia enim replet, quia immensus est; & ideo *ubi*, in quo est Deus, vocant *repletivum* philosophi: Creaturæ sunt in certo loco, non omni; verum modo diverso, qui expositus est nunc.

6. Nota, in hoc prædicamento collocari, non rem quæ est in loco, illa enim ad substantiam pertinet; non ipsum locum, qui pertinet ad quantitatem; sed modum, quo creatura est in loco. Nota insuper, vocem *ubi* non hic sumi interrogative, ut cum dico, ubi est Petrus? sed definitive, pro ubicunque: idemque dicendum est de *quando*. Et, si liceret per Latinæ linguæ genium, melius hoc prædicamentum vocaretur *ubietas*, quam *ubi*; quia significatur tantum ratio & modus existendi in loco.

Quæst. II. *Quomodo differt ubi à loco?*

Locus, solis corporibus tribuitur; *ubi*, etiam spiritibus. Deinde, *loci* vocabula pertinent ad quæstionem, qua quæritur, *quanta* res sit; at vocabula hujus categoriæ spectant ad quæstionem, qua quæritur, *ubi* aut *unde* res sit, vel *qua* & *quo* abierit; ut, *domi, foris, ruri, in foro, in curia*, &c.

[Quia *locus* ab Aristotele definitur per superficiem, & superficies est species quantitatis, & quantitas soli corpori convenit; ideo locus pertinet ad quantitatem, & tantum convenit corporibus: at si locus definiatur per spatium rei locatæ, etiam angeli & spiritus dici possunt esse in loco. Locus stricte dictus competit corporibus solis; sed late sumptus, etiam spiritibus.]

Quæst. III. *Quid est quando?*

Quando est modus, [sc. existendi,] quo res finitæ aliquando [existere, seu] esse, fuisse, aut fore dicuntur.

1. *Finitæ)* id est, creatæ: nam Deus non *aliquando*, sed semper esse dicitur, quia est æternus.

[2. Quodcunque existit, existit in tempore. Deus est in omni tempore, quia ab æterno fuit, in æternum est, & erit. Creaturæ existunt in certa temporis parte, nam aliquando non fuerunt, quædam nunc sunt, quædam adhuc erunt. Sed modus quoque hic diversus est, quo res creatæ sunt in tempore; nam spiritus alio modo, quam corpora dicuntur esse in tempore: nempe, cum tempus dicat successionem

partium (nam unus dies alium sequitur, & hora una aliam) corpora quoque habent in se suarum partium successionem, spiritus vero, non item: unde, ut nullæ spiritûs partes respondent partibus loci, ita nec respondent partibus temporis.]

3. Nota hic quoque, *quando* non sumi interrogative, ut, cum dico, quando veniet Petrus? sed definitivè, pro *aliquando*.

Quæst. IV. *Quomodo differt quando à tempore?*

Eodem fere modo, quo *ubi à loco*. Nam *tempus* proprie tribuitur rebus physicis, quæ in successione consistunt, & mutationibus obnoxiæ sunt: *quando* tribuitur etiam rebus permanentibus. Deinde, *tempora* vocabula solvunt quæstiones quæ fiunt per *quamdiu*; vocabula hujus categoriæ solvunt quæstiones, quæ fiunt per *quando*; ut, *hodie, cras, heri, æstate, vere, calendis, nonis, consule Manlio*, &c.

[1. Tempus ideo tribuitur corporibus tantum, quia consistit in partium, id est, præteriti & futuri, successione, quæ in solis corporibus locum tenet, in quibus una pars alteri succedit, quod patet ex eorum incremento: cum enim manus crescit, aut digiti, aut totus homo, una particula in accretione ad alteram accedit. Sed quia angeli non crescunt, nec habent partes sibi invicem succedentes (nam essentiam possident totam simul:) hinc est quod eorum duratio non dicatur tempus, sed ævum. Præterea, tempus est species quantitatis continuæ, ideoque iis convenit tantum quæ quantitatem habent continuam: at eam habent sola corpora, non spiritus: ergo tempus est tantum corporum.]

2. Nota ex textu, res rectè dispesci in *successivas*, ut corpora; & *permanentes* ut spiritus.

3. Res successivæ sunt, in quibus dantur partes essentiæ, quæ diversis temporis partibus sibi invicem succedunt; ut fit in omnibus corporibus. Res permanentes sunt, in quibus nullæ sunt partes, quæ diverso tempore sibi invicem succedant; at non sunt tales in angelis & animabus rationalibus.

Quæst. V. *Quid est situs?*

Situs, est modus seu ordo partium [sc. integrantium] inter se: ut *sedere, stare, pronum, supinum esse*.

[1. *Partes integrantes* sunt quæ loco & situ à se invicem distant; ut, pes, caput, &c.]

2. *Ordo partium*) quia à natura est, ut, quod caput loco supremo sit, pedes, infimo, vocatur situs naturalis: qui est à voluntate, dicitur voluntarius, ut, *sedere, stare*, &c.

3. *Situs*) tantum invenitur in corporibus, quia sola corpora partes habent, spiritus, non item.

Quæst.

Quæst. VI. *Quid est habitus?*

Habitus est modus, quo vestis, aut aliquid instar vestis, corpori circumpositum, appensum, aut alio aliquo modo adjunctum est: ut, *vestitum, armatum, togatum, galeatum, hastatum, barbatum, tapetibus instratum esse*, &c.

[1. *Habitus*) hoc loco distingui debet ab habitu in prima specie qualitatis, & ab habitu qui opponitur privationi, de quo c. 22. q. 12.]

2. *Habitus* hic nec significat vestem, nec substantiam quæ vestitur, sed modum quo vestitur.

CAPUT X.

Quæst. I. *Atque hæc de thematum simplicium categoriis; quid porro sequitur?*

Affectiones, quas diximus ex varia rerum in categoriis dispositarum collatione oriri.

[1. *Affectiones*) thematum simplicium, vel sunt philosophicæ, vel logicæ: illæ reales, hæ notionales dicuntur, ac rationis. Hic intelliguntur *affectiones* logicæ, seu notionales, seu rationis, quæ conveniunt rebus, in quantum menti proponuntur cognoscendæ: nam affectiones reales, seu philosophicæ, quæ conveniunt rebus in se & natura sua, absque respectu ad mentem cognoscentem, in aliis disciplinis ac philosophiæ partibus traduntur. Exempla affectionis philosophicæ, sunt risibilitas, eruditio probitas, magnitudo, &c. in homine; figura, color, &c. in lapide. Exempla affectionum logicarum, sunt genus, species, &c.]

[2. *Affectiones logicæ* sic dicuntur, quia in Logica explicantur: vocantur & *notionales*, quia earum adminiculo res noscuntur: vocantur & *rationis* quia ratio intelligendo iis utitur tanquam instrumentis. Contra, affectiones *philosophicæ* dicuntur, quæ in aliis præter Logicam, philosophiæ partibus doceri solent: vocantur & *reales*, quia rebus conveniunt per naturam suam, sive cognoscantur ab intellectu, sive non.]

Quæst. II. *Quotuplices sunt affectiones* [*sc. rationis*] *thematum simplicium?*

Duplices; aliæ sunt simplices, aliæ conjunctæ.

Quæst. III. *Quas vocas simplices?*

Quæ singulæ singulis rebus seorsim conveniunt: ut, prædicabilia, totum & pars, causa & causatum, subjectum & adjunctum.

Affectio simplex dicitur, quæ in una aliqua re invenitur; ita una aliqua res est causatum, ut mundus; res una alia est subjectum, ut paries; alia adjunctum, ut albor: vid. c. 20. quæst. 1. in com.

Quæst. IV. *Cur vocas has affectiones simplices?*

Quia, licet genus, *animal*, referatur ad speciem, *hominem*; totum, *corpus*; ad partem, *caput*: causa, *Deus*, ad causatum, *mundum*; subjectum, *homo*, ad adjunctum, *risibilitatem*; alterumque sine altero non consistat; unaquæque tamen res seorsim, genus, totum, causa, aut subjectum dici potest.

Exempli gratia, corpus non sit totum, nisi in respectu, ad membra tanquam partes: tamen esse *totum*, convenit uni rei, puta, corpori, sicut esse *partem*, convenit uni quoque rei, puta, vel manui, vel pedi, &c.

Quæst. V. *Quid sunt prædicabilia?*

Prædicabilia sunt, quæ de pluribus vere, proprie, naturaliter atque immediate affirmantur.

[1. *Prædicabilia*) debent distingui à prædicamentis. Licet utraque vox derivetur à prædicando; hoc discrimen est: quod prædicamenta significant ipsas res quæ prædicantur, prædicabilia modum quo prædicantur, sic homo & animal, ambæ istæ res, sunt in prædicamento substantiæ; sed cum animal dicitur de homine, modus ille quo prædicatur, ut genus de specie, est inter prædicabilia inveniendus, genus enim & species sunt prædicabilia: modus autem quo animal prædicatur de homine hic est, quod prædicetur de eo in quid, & de pluribus specie differentibus prædicetur; nam prædicatur non tantum de homine, sed & de bruto, quæ sunt duæ species distinctæ: atque hic modus prædicandi facit animal genus, hominem speciem, utrum ue prædicabile.]

[2. Extat in Aristotelis organo tractatus cujusdam Porphyrii, sub nomine εἰσαγωγῆς, in quo agit de prædicabilibus, qui ab interpretibus Aristotelis præmitti solet doctrinæ categoriarum, quia in eo explicantur hæc nomina, genus, species, differentia, proprium, accidens, quia horum vocabulorum maximus est usus in categoriis intelligendis; nam in illis, sub uno summo genere disponuntur species cum suis differentiis, & proprietatibus sæpe, atque accidentibus. Eum tamen ordinem non secutus est author, quia hæc prædicabilia oriuntur & eruuntur ex rebus per categoriarum classes dispositis, inter se collatis, & à se invicem abstractis, eo, quo capite tertio explicatum est, modo: itaque primum dispositionem oportet cognoscere, ipsam in categoriis

goriis rerum dispositionem, ex quarum comparatione & aliæ affectiones rationis oriuntur, antequam & ipsa & hæ tradantur.]

[3. *Prædicabile* in genere quidem dicitur de omni eo, quod de altero enunciatur, sive affirmetur sive negetur: sed speciatim hoc loco dicitur de iis quæ affirmantur de alio, sic, ut quæ de alio negantur, huc non pertineant. Prædicabilia dicuntur aliis Logicis universalia, non tamen bene: quia non omnia prædicabilia prædicantur de pluribus, ut quidem universalia; solum enim genus & species prædicantur de pluribus, nempe genus de pluribus speciebus, quia natura generis pluribus speciebus inest; & species de pluribus individuis, quia natura speciei pluribus individuis inest: sed differentia, proprium, & accidens, sunt quidem prædicabilia, non tamen universalia, quia, si referantur ad subjecta sua quibus insunt, prædicantur tantum de uno, quia uni tantum insunt. Si dicas, rationalitatem, quæ est differentia, & risibilitatem, quæ est proprietas, inesse pluribus hominibus, scilicet Petro, Paulo, Joanni, &c. respondeo, id quidem verum esse, sed non sunt tamen aut differentia, aut proprietas Petri, Pauli, Joannis, &c. sed ipsius atque unius hominis, de quo immediate prædicantur solum: non sic de Petro, Paulo, Joanne; quod enim de iis dicantur, id fit, quia sunt homines: & cum rationalitas ac risibilitas prædicantur de rationalitate Petri, Pauli, Joannis, amittunt & deponunt notionem & rationem differentiæ ac proprii, atque induunt notionem ac rationem generis vel speciei: atque idem dicendum est de accidente, quod omne & unumquodque, quia uni inest subjecto (neque enim unius albor potest inesse pluribus subjectis,) de uno quoque tantum dicitur subjecto; sed cum albor prædicatur de albore parietis, chartæ, nivis, lactis, &c. non habet rationem accidentis, sed, vel generis, vel speciei. Itaque prædicabilia non tantum de pluribus, sed & de uno prædicantur, ut differentia, proprium, & accidens, quatenus sunt talia, id est prædicabilia. Ita rationalitas, ut differentia est, dicitur de uno & solo homine: risibilitas, ut est proprium, de eodem tantùm: color, ut est accidens, de corpore tantum. Quando ista tria prædicantur de pluribus, verbi causa, rationalitas & risibilitas de rationalitate & risibilitate Petri, Pauli, Joannis, &c. color de albore, nigrore, rubedine, &c. non sunt amplius differentia, proprium, & accidens sed prædicantur ut genera & species, respectu eorum de quibus dicuntur; & quia prædicantur de pluribus, dicuntur universalia, sicut quoque ipsa genera & species: sed cum prædicantur de uno tantum, non sunt universalia, sed prædicabilia solum.]

4. *Vere*) id est, non falso: quæcunque igitur prædicantur falso, non sunt prædicabilia: ut cum dico, *Lapis est homo, homo*, quia prædicatur falso de lapide, non est lapidis genus, nec species, nec differentia, nec proprium, nec accidens.]

5. Præ-

5. Prædicatio *propria* dicitur, quæ sit verbis usitatis in nativa significatione; ut, *homo est animal.*

6. *Impropria*, quæ sit verbis tropicis; ut, *mors est somnus.*

7. Prædicatio *naturalis* est, cum prædicatur superius de inferiori; ut, *homo est animal:* concretum de abstracto; ut, *lac est dulce:* accidens de substantia; ut, *homo est doctus:* si contra fiat, prædicatio est non naturalis.

[8. Prædicatio *immediata* est, quando inter prædicatum & subjectum nullum est subjectum medium; ut, *animal sentit: mediata*, contra; ut, *Petrus sentit*; nam inter *Petrum* & *sentit*, medium subjectum est animal; Petrus enim sentit, quia est animal, vid. lib. 2. cap. 22. quæst. comult. pag. 214. Talis prædicatio dicitur *immediata ex parte subjecti*, ac distinguitur à prædicatione *immediata ex parte causæ*, quando non datur causa media, cur prædicatum subjecto insit.]

9. Notandum est, has conditiones in definitione generali prædicabilium positas, esse repetendas ad speciales singulorum prædicabilium definitiones.

Quæst. VI. *Quot sunt prædicabilia?*

Quinque genus, species, differentia, proprium, accidens.

CAPUT XI.

Quæst. I. *Quid est genus?*

GEnus est, quod de pluribus specie differentibus prædicatur, in quæstione qua quæritur, quid res sit; ut, *Quid est homo, aut bestia? animal. Quid pyrus, aut pomus? arbor.*

1. Genus *generis* est *Prædicabile*; quod hic, & in reliquorum prædicabilium definitione subintelligitur.

2. Variæ sunt formulæ, quibus aliquid de re aliqua quæri potest: sed duæ potissimum eminent, scilicet, *quid res sit*, *qualis sit*, atque hæc tantum spectantur in prædicabilibus. Dicitur vero hoc vel illud prædicabile prædicari in hâc vel illa quæstione, qua respondetur ad quæstionem hanc vel illam de re institutam. Genus & species tantum prædicantur ad quæstionem factam hac formula, *quid est hæc aut illa res?* Differentia, proprium, & accidens, ad quæstionem factam hac formula, *qualis est hæc aut illa res?*

3. *Genus*

3. *Genus* prædicatur in *quid*, sed imperfecte ac confuse: ut, si quis roget, *quid est Petrus?* atque ipsi respondeatur, *est animal*, eo ipso, tantum imperfecte & confuse cognoscitur natura Petri. Species prædicatur in quid perfecte, attamen confuse: ut, si quis roget, *quid est Petrus?* atque ipsi respondeatur, *est homo*; cognoscitur quidem perfecte natura Petri, non tamen distincte; utraque enim pars essentialis Petri, materia ejus & forma, puta, corpus & anima ejus rationalis, involvuntur ambo in una voce, *homo*. Sed definitio prædicatur in quid & perfecte & distincte: ut, si quis roget, *quid est Petrus?* & ei respondeatur, *est animal rationale*, eo ipso, perfecta cognitio Petri gignitur, & distincta partium ejus.

[4. *Specie* dicuntur *differre*, quæ differunt essentialiter, id est, quæ ita sese habent, ut aliqua pars essentialis inveniatur in uno, quæ non inveniatur in alio: sic in homine invenitur anima rationalis (pars ejus essentialis) quæ non invenitur in bruto; & in bruto invenitur anima irrationalis, (pars ejus essentialis) quæ non invenitur in homine.]

5. Solent in philosophia hæ duæ phrases distingui; differre essentialiter, & differre essentia. Individua, ut Petrus & Paulus, differunt essentia, sed non essentialiter: species, ut homo, & brutum, differunt essentialiter. Differre essentia dicuntur illa, quæ sic se habent, ut essentia unius non sit essentia alterius, licet nulla pars essentiæ inveniatur in uno, quæ non item reperiatur in altero: sic essentia Petri non est essentia Pauli, nec enim materia & forma ejus, corpus & anima rationalis illius, sunt materia & forma, corpus & anima rationalis alterius, scilicet Pauli, nulla tamen pars essentiæ est in uno, quin eadem sit in altero: uti enim materia Petri est corpus organicum, forma est anima rationalis: ita materia quoque Pauli est corpus organicum, & forma est anima rationalis, At vero, quæ differunt essentialiter, sic se habent, ut in uno sit vel alia materia, vel alia forma, quàm est in altero: sic in bruto quidem est eadem materia, quæ in homine, corpus scilicet utrobique organicum, sed in homine forma est alia, anima scilicet rationalis, quæ non est in bruto; & ideo non tantum essentia, sed essentialiter differunt. Quæ essentia, tantum differunt numero; quæ essentialiter, differunt specie.]

6. Partes essentiales compositi, sunt materia & forma: quando earum altera invenitur in uno composito, non item in alio, ea dicuntur differre specie: sicuti contra, quando materia & forma eadem reperiuntur in compositis duobus, ea dicuntur differre numero, quia materia & forma unius compositi non est materia & forma alterius compositi.]

7. Verba significantia actum in definitionibus; plerumque per potentiam explicari debent: sic, *prædicatur* hic significat, quod prædicari potest; & in definitione accidentis, *quod adest & abest*, id est, adesse & abesse potest.

Quæst.

Quæst. II. *Quid est species?*

Species est, quæ collocatur sub genere, ita ut de ea genus prædicetur in quæstione, qua quæritur quid sit.

Species collocatur sub genere) directe, secundum gradus superiores & inferiores; differentia indirecte, secundum gradus collaterales; species enim (ut homo) collocatur directe descendendo ab animali, sub animali; sed differentia (rationale) non collocatur directe sub animali, sed à latere, quod liquere potest inspicienti tabulas prædicamentales à Keckermanno, Eustachio, aliisque confectas.

Quæst. III. *Quotuplex est genus?*

Duplex: summum sive generalissimum, & medium sive subalternum.

[Quomodo dividitur genus? Aliud est remotum, aliud proximum. Remotum est, inter quod & speciem, aliud intercedit genus: proximum, inter quod & speciem, nullum intercedit genus, atque hoc semper est unum, illud scil. quod in categoria proxime adjacet speciei; remota vero genera sunt numero plura: sic hominis genus proximum, est solum animal; remota sunt, vivens, mixtum, corpus, substantia.]

Quæst. IV. *Quotuplex species?*

Item duplex: infima sive specialissima, & media sive subalterna.

Quæst. V. *Quid est genus summum?*

Quo non est aliud superius genus.

[1. *Genus summum* & species infima opponuntur; nam genus summum nunquam est species, & species infima nunquam est genus: sed genus subalternum & species subalterna non opponuntur; nam eadem res simul est, & genus subalternum, & species subalterna, sed respectu tamen diverso, sic, verbi causa, substantia nunquam est species, homo nunquam est genus; corpus, mixtum, vivens, animal, sunt vel genera vel species: genera, quotiescunque referuntur ad illa, quæ in tabulis prædicamentalibus sunt infra se; species, quando referuntur ad illa quæ sunt supra se.]

[2. An species, dicta infima, tantum debeat dici species, ut homo, & nunquam genus; atque, an individuum, ut Petrus, tantum debeat dici individuum, & nunquam species: gravissima est inter Peripateticos & Ramæos quæstio: illi affirmant, & sic quoque author noster: hi negant; nam Ramus diserte in sua Logica hominem vocat genus, &

& Petrum ac Paulum aliaque individua vocat species. Quod si illa tantum sunt species, quæ constant genere & differentia specifica seu essentiali, non videntur individua esse species, quia hæc talem differentiam non habent: differentia enim essentialis desumitur à forma: ut rationalitas, ab anima rationali; sed in individuis non sunt diversæ formæ; ergo quoque non habent differentiam essentialem, quæ speciem novam constituat; ideoque specifica non est, nisi hic cum Ramo dicas & Rameis differentiam essentialem inter Petrum & Paulum quidem dari, sed utramque esse ignotam.

3. Genera summa sunt decem totidem puta, quot sunt categoriæ. Si daretur genere summo aliquid *superius*, non esset genus *summum*: summo enim nihil est superius.

Quæst. VI. *Quid est species infima?*

Quâ non est alia inferior species.

1. *Species infima*, dicitur alissima vel specialissima, quæ proxima est individuis; ut, homo, qui proximus est Petro, Paulo, &c.

2. Si daretur species *inferior* infimâ, tum illa non esset *infima*. Datur quidem aliquid inferius specie infima: sed vero illud non est species, sed individuum, quia non est universale, sed singulare; at species est universale, sic homine inferiores sunt Petrus, Paulus, Joannes; sed hi non sunt species: verum individua, quod patet ex cap. 2. quæst. 9.

Quæst. VII. *Quid est genus subalternum?*

Quod respectu inferiores est genus, & respectu superioris species.

Genus subalternum, respectu inferioris prædicatur, respectu superioris subjicitur; quod liquet ex quæst. 9. hujus capitis, & ex tabulis præcamentalibus.

Quæst. VIII. *Quid est species subalterna?*

Quæ respectu superioris est species, & respectu inferioris genus.

Species subalterna & genus subalternum non sunt duo entia distincta, sed significat unum idemque ens, quod generum habet nomen: & vocatur genus, si referatur ad aliquid infra se; & species, si referatur ad aliquid supra se: sic animal est genus hominis, & species viventis.

Quæst. IX. *Illustra rem exemplo.*

In categoria substantiarum, *substantia* est summum genus; *homo*, infima species; quæ inter substantiam & hominem interjecta sunt, ut, *animal*, *vivens*, *mixtum*, *corpus*, sunt genera, & species subalternæ. Nam *animal* est hominis genus, & species viventis; *vivens* est genus animalis, & species mixti; *mixtum*, genus viventis, & species corporis; *corpus* est genus mixti, & species substantiæ. Eodem modo res se habet in cæteris categoriis.

Quæst. X. *Quænam species constituit secundum prædicabile?*

Infima. Species enim subalterna prædicatur, ut genus, sed subjicitur, ut species.

1. *Infima*) Discrimen inter speciem infimam & subalternam, hoc est, quod species infima, sive subjiciatur sive prædicetur, semper teneat rationem speciei; at subalterna, non item: sed hæc, cum subjicitur, rationem habet speciei, at cum prædicatur, rationem tenet generis.

[2. Cum dico animal est vivens, animal est species, idem est genus: at cum dico homo est animal, homo est species; & cum dico, Petrus est homo, iterum est species.]

Quæst. XI. *Quomodo definitur species specialissima?*

Hoc modo: Species est, quæ de pluribus & numero differentibus prædicatur in quæstione, qua quæritur, quid sit res: ut, *Quid est Socrates, Plato? homo. Quid Bucephalus, Cyllarus? equus. Quid Phylax, Melampus? canis.*

[1. *Numero*) dicuntur differre, quæ ita sese habent, ut in uno nulla inveniatur pars essentialis, quin eadem reperiatur in alio: quemadmodum in Petro invenitur anima rationalis, & corpus organicum, seu debitis organis instructum; at hæc utraque pars essentialis reperitur quoque in Paulo, Joanne, aliisque hominibus individuis: sed differunt tantum in eo, quod hæc essentia unius, exempli causa, Petri, non sit essentia alterius, exempli causa, Pauli, & quod corpus & anima Petri non sit corpus & anima Pauli. Et quia numerari possunt essentia & partes essentiales Petri, quæ faciunt hominem unum, puta Petrum, atque insuper numerari possunt essentia & partes essentiales Pauli, quæ faciunt hominem secundum, puto, Paulum; ideo dicuntur Petrus & Paulus differre *numero*.]

2. Res

2. Res dicuntur differre, vel genere, vel specie, vel numero. Quæ differunt genere, differunt tota essentia: quæ differunt specie, differunt parte essentiæ: quæ differunt numero, nec tota essentia, nec parte essentiæ differunt, sed utrinque conveniunt; tantum differunt, quod hæc essentia, & hæ partes essentiales unius, scilicet Petri, non sint essentia aut partes essentiales alterius, scilicet Pauli.]

CAPUT XII.

Quæst. I. *Quid est differentia?*

Differentia est, qua res à re differt.

Hæc generalissima est differentiæ definitio.

Quæst. II. *Quotuplex est differentia?*

Duplex; accidentalis & essentialis.

Quæst. III. *Quid est differentia accidentalis?*

Qua res differunt accidentibus: idque vel ab aliis; sic Europæus differt ab Afro, colore; vinum ab aceto, sapore: vel etiam à se invicem; sic doctus differt à seipso indocto, senex à seipso puero.

1. *Accidens* hic vocatur id, quod nec materia nec forma est compositi, nec pars essentiæ ejus; sed quod vel materiæ, vel formæ, vel essentiæ supervenit.

[2. Accidens hic Paulo latius sumitur, quam cum opponitur substantiæ dicitirque hoc loco, omne id quod est extra essentiam alterius, sive ipsum sit substantia, sive accidens prædicamentale, sive medium aliquod inter substantiam & accidens interjectum, ut privatio: exempli gratia, differentia accidentali differt togatus à palliato, per togam & pallium, quæ sunt substantiæ; Æthiops ab alio homine per nigrorem & alborem, quæ sunt accidentia prædicamentalia; cæcus à surdo, per surditatem & cæcitatem, quæ nec substantiæ nec accidentia sunt, sed privationes.]

3. Res differunt accidentibus vel separabilibus, vel inseparabilibus. Posteriori modo differunt corvus & cygnus; nam niger à corvo, & albor à cygno naturaliter non possunt separari: priori modo differunt Petrus doctus & Paulus indoctus; doctrina enim & ignorantia naturaliter separari possunt ab homine.

Quæst. IV. *Quid est differentia essentialis?*

Quæ [ut rationalitas] addita generi [ut animali] speciem [ut hominem] constituit, & ab oppositis speciebus essentialiter distinguit.

[1. *Differentia essentialis* dicitur, quæ petitur a parte aliqua essentiæ, quæ est pars definitionis qua species definitur: ut *rationalitas* petitur ab anima rationali (forma, & parte essentiali hominis;) rationalitas addita animali, generi, constituit hominem, speciem, unde vocatur differentia constitutiva; atque insuper hominem a bruto, specie oppositâ, essentialiter distinguit, unde vocatur differentia divisiva: & hominem ex parte definit; partes enim definitionis hominis sunt, *animal* & *rationale*. Itaque differentia constitutiva & divisiva non sunt duæ diversæ differentiæ, utcunque sint diversa nomina, sed ejusdem differentiæ munera diversa, orta ex respectu diverso quem differentia dicit nunc ad genus, quod dividit, nunc ad speciem, quam constituit: sic rationalitas, differentia vocatur divisiva, respectu animalis, quod dividitur per rationale, & oppositam differentiam irrationale; & dicitur constitutiva, respectu hominis quem constituit.]

[2. Respectus diversi non inferunt aut ponunt diversas res, nec essentias rerum multiplicant, sed reperiuntur sæpe in una eademque re: ita unus idemque homo respectum dicit diversum, qua pater, ad filium, qua maritus, ad uxorem, qua magistratus, ad subditos. Unde videre est, quod diversitas definitionum non necessario inferat diversitatem rerum, cum fundari illa possit in sola diversitate respectuum: idem enim homo aliter definitur qua pater, aliter qua magistratus, & diversa sunt officia ejusdem hominis, pro triplici isto respectu diverso; ita etiam in eadem differentia, verbi causa, rationalitas, aliter definitur ut dicit respectum ad genus animal, quod dividit, & aliter definitur quatenus dicit respectum ad speciem, hominem quem constituit; unde respectu prioris muneris vocatur divisiva, respectu posterioris, constitutiva.]

[3. Accurate distingui debet differentia specifica à differentia numerica. Prior vocatur, quando res duæ aut plures ita se habent, ut aliqua pars essentiæ sit in uno, quæ non sit in alio; atque hæc proprie est differentia essentialis: posterior dicitur, quæ res ejusdem omnimodo essentiæ, differunt tantum eo, quod hæc non sit illa, quæ vulgò accidentalis differentia appellatur; an rectè nunc non dixero. Illa dicuntur differre specie, hæc numero.

Quæst. V. *Quænam sunt munera differentiæ essentialis?*

Dividere genus, & speciem cum genere constituere.

Quæst.

Quæst. VI. *Da exemplum.*

Facultas ratiocinandi dividit animal, & addita animali constituit hominem.

Quæst. VII. *Quænam differentia constituit tertium prædicabile?*

Differentia essentialis: differentiæ enim accidentales pertinent ad quartum & quintum prædicabile.

[1. Differentia essentialis dicitur, quando tertium illud, quo differunt duo, est pars essentiæ; accidentalis, quando tertium illud, quo differunt duo, est accidens, sive proprium, sive commune.]

Quæst. VIII. *Quomodo definitur differentia essentialis?*

Hoc modo: Differentia essentialis est, quæ de pluribus vel numero, vel etiam specie differentibus, essentialiter prædicatur in quæstione, qua quæritur, qualis sit res: *Quale animal est homo? rationale. Qualis ars Logica? quæ instrumenta conficit, iisque dirigit intellectum in cognitione rerum.*

[1. *Prædicari essentialiter)* est prædicari, ut pars essentiæ, & quidem ut forma: sic rationalitas est pars essentiæ hominis, de quo prædicatur. Per vocem *essentialiter* distinguitur differentia à proprio & accidente, quæ prædicantur accidentaliter, quia non sunt partes essentiales subjecti, de quo dicuntur; unde nec ejus definitionem ingrediuntur: sic nec risibilitas, nec eruditio, hominem vel constituunt, vel definiunt, ut quidem facit utrumque rationalitas. Exemplum differentiæ, quæ prædicatur de pluribus differentibus *numero*, est rationalitas respectu Petri & Pauli. Exemplum differentiæ, quæ prædicatur de pluribus differentibus *specie*, est potentia sentiendi seu sensibilitas, differentia animalis respectu hominis & bruti, de quibus prædicatur.

[2. Hæc tria æquipollent; esse partem essentialem alicujus rei, sive essentiam rei constituere, sive definitionem rei ingredi: nullum istorum competit proprio aut accidenti, sed, præter genus & speciem, differentiæ tantum essentiali.]

[3. Nemo hic erret, nec existimet differentiam, quæ dicitur de pluribus numero, ideo esse differentiam numericam; quia non est differentia individuorum, sed speciei, quæ prædicatur de individuis numero differentibus: sicut rationalitas differentia est hominis, speciei, & prædicatur de Petro, Paulo, reliquisque individuis numero differentibus. Sic nemo putet differentiam, quæ de pluribus specie differentibus prædicatur, ideo esse specificam; nam est

generica, quia est differentia generis quæ de speciebus dicitur: sic potentia sentiendi, differentia animalis, generis, prædicatur de homine & bruto, differentibus specie.]

[4. *Differentia* quæ prædicatur de pluribus differentibus *numero*, vocatur *specifica*, quia est differentia speciei; quæ prædicatur de pluribus differentibus specie, est *generica*, quia est differentia generis. Exemplum differentiæ specificæ est rationalitas quæ prædicatur de individuis distinctis numero, Petro, Paulo, Joanne. Exemplum differentiæ genericæ est sensibilitas, quæ prædicatur de homine & bruto, differentibus specie, quia sunt diversæ speciei.]

5. Per id quo differentia *prædicatur in quale*, distinguitur a genere & specie, quæ prædicantur in *quid*.

CAPUT XIII.

Quæst. I. *Quot modis dicitur proprium?*

Quatuor modis. Proprium primo modo dicitur, quod convenit soli alicui speciei, sed non omnibus illius individuis; ut, *hominem esse statuarium.* Secundo modo, quod convenit omnibus individuis alicujus speciei, sed non soli; ut, *hominem esse bipedem.* Tertio modo, quod convenit soli alicui speciei, omnibúsque illius individuis, sed non semper, ut *hominem ridere*, aut *canescere.* Quarto modo, quod convenit soli alicui speciei, omnibúsque illius individuis, & semper; ut, *hominem risibilem esse.*

1. Quantum discriminis est inter actum primum & secundum, seu principium operandi & ipsam operationem; tantum discriminis est inter proprium quarto modo & tertio modo, *Risibilem esse* significat actum primum, & principium operandi, quod est proprium quarto modo: *ridere* significat actum secundum, & ipsam operationem, estque proprium tertio modo.

Hic proponitur tantum distinctio vocis.

Quæst. II. *Quænam propria constituunt quartum prædicabile?*

Propria quarti modi: reliqua pertinent ad quintum prædicabile.

Quæst. III. *Quid est proprium quarto modo?*

Proprium est, quod non declarat, quid res sit, & tamen soli inest, & cum ea reciprocatur. Sic *risibilitas* reciprocatur

tur cum *homine*, (omnis enim homo risibilis est; &, quicunque risibilis est, etiam est homo) *facultas hinniendi* cum *equo*, *latrandi* cum *cane*, &c.

1. *Proprium* dicitur *non declarare quid res*, id est subjectum, *sit*; quia nec ex toto nec ex parte continetur in essentia subjecti, neque ejus definitionem ingreditur: sicut quidem genus & differentia continentur ex parte, in essentia ejus de quo dicuntur, & ambo definitionem ingrediuntur; species vero continetur ex toto, in essentia ejus de quo dicitur, totamque ejus definitionem absolvit. Sed proprium neutro modo in essentia subjecti includitur, verum essentiam ejus constitutam immediate sequitur; ideoque proprium dicitur essentiale subjecto, non constitutive, (nam non constituit essentiam subjecti, sicut faciunt genus, species, differentia) sed consecutive, quia essentiam subjecti jam constitutam consequitur proxime. Verbi causa, risibilitas nec ex toto, nec ex parte essentiam hominis constituit; nam tum deberet ingredi definitionem hominis quod non facit, nam *homo* definitur *animal rationale*, absque mentione *risibilis*: at genus, *animal*, & differentia, *rationale*, utrumque, ex parte essentiam hominis constituit, atque etiam definit, *homo* vero (species) ex toto *Petri* (individui) essentiam & constituit & definit.

[2. Illud dicitur *declarare quid res sit*, quo respondetur ad quæstionem institutam hac formulâ, *quid est res?* quemadmodum sic prædicantur in quid genus & species; & quamvis differentia non simpliciter prædicetur in *quid*, Logicis tamen dicitur prædicari in *quale quid*, quia est qualitas essentialis: at proprium, uti accidens, nec prædicatur in *quid*, nec in *quale quid*; id est, nec prædicatur in quale essentialiter, ut differentia, sed tantum in quale accidentaliter; & ideo non declarat quid res sit, id est, quænam sit rei quidditas sive essentia, sed rei constitutæ in sua quidditate sive essentia accidit.]

[3. Hic observandum hoc est quoque, quod esse de essentia alicujus, dupliciter etiam intelligatur, vel constitutive, vel consecutive: priori modo de essentia hominis est rationalitas, posteriori modo risibilitas.]

[4. Contineri in essentia alicujus rei, sive ejus definitionem ingredi, idem significant; utrumque fit duobus modis, vel ex toto, vel ex parte; convenitque generi, speciei, differentiæ. Genus & differentia ambo ex parte tantum ingrediuntur definitionem, & constituunt essentiam ejus, de qua dicuntur; ita & animal, & rationale & irrationale, ex parte hominem vel brutum definiunt ac constituunt: sed species, homo, ex toto essentiam Petri, Pauli, aliorumque de quibus dicitur, & definit & constituit. At proprium, neutro modo vel constituit vel definit essentiam subjecti sui de quo dicitur; sic risibilitas, quæ dicitur de homine, nec ex toto, nec ex parte hominis essentiam vel definit, vel constituit; nihilominus

cicitur essentialis hominis & naturalis, quia tam arcta est colligatio inter illam & hominem, ut essentia hominis nunquam inveniri possit, nisi inveniatur quoque risibilitas, & vice versa: atque pariter dicendum est, de omni proprio & subjecto.]

5. Vox *soli* excludit à proprio alia subjecta; non subordinata, genera, species & individua; sed opposita, scilicet species ejusdem generis contrarias: sic risibilitas inest soli homini, sic, ut non excludat Petrum vel Paulum, & cætera individua quæ homini subordinantur, sed, ut excludat oppositum, brutum.

[6. Cum proprium dicitur inesse *soli* subjecto, significatur illud non posse communicari subjecto alteri alterius speciei oppositæ; at non repugnat, ut proprium unius subjecti cui inest soli, nihilominus communicetur subjectis inferioribus ac subordinatis: quia subordinata non sunt opposita: verbi causâ, risibilitas inest soli homini, ideoque non potest inesse speciei oppositæ, scil. bruto; sed non repugnat quo minus insit Petro, Paulo, & inferioribus ac subordinatis, individua enim subordinantur speciei: & ratio est, quia ipsa natura hominis inest Petro, & Paulo, non item bruto: unde & proprietas hominis inesse potest Petro, & Paulo, non item bruto.]

[7. Gravissima est quæstio, an proprium possit communicari subjecto alteri, quam ei cui inest; si enim uni soli inest, non potest inesse alteri: attamen calor, proprium ignis, videtur communicari ferro. Resp. communicatio tripliciter accipi potest. Vel ut superius aliquid communicet inferiori, Genus speciebus, species individuis; & hæc Aristoteli dicitur *μέθεξις*: sic dicitur species *μετέχειν* generis, quatenus particeps sit naturæ & proprietatem quæ sunt generis; & sic animal, genus, naturam habet, qua est substantia, corporea, vivens, sentiens, & omnes suas proprietates communicat homini & bruto, species: & homo, species, naturam humanam & proprietates suas, ut risibilitatem, communicat Petro, Paulo, reliquisque individuis: hanc communicationem admittimus. Alia est communicatio quæ dicitur *συνάφεια*, qua duæ naturæ unitæ sibi invicem una alteri communicant suas proprietates; ut qua ignis ferro igesto communicat calorem. Tertia communicatio Græce dicitur *κοινωνία*, quæ ex duabus naturis ac rebus separatis, una alteri sibi oppositæ, proprietates suas communicat; ut, qua ignis communicat calorem aquæ. Hæc utraque posterior communicatio a nobis hic negatur: nam ignis non communicat ferro calorem suum, aut aquæ calefactæ; sed sui similem, & specie eundem, non numero, in ferro & aqua efficit. Id enim proprie dicitur communicari, quod subjectum, in quo est, deserit, & in aliud in quo non erat transit: at calor non deserit ignem, cum vel ferrum reddit igitum, vel aquam calefactam; nam ille calor qui in ferro est igneus, aut aqua calefacta, nunquam fuit in igne, sed est ab igne productus, manitque igni suus calor internus

in omnis qui est proprietas ejus. Et impossibilis est talis communicatio proprii, & transitus de uno subjecto in aliud, quia accidens non potest migrare de subjecto in subjectum; sed omne proprium est accidens. Itaque distinguatur inter communicationem & affectionem, in utroque exemplo allato est affectio caloris, non communicatio, aut, si eam placet sic vocare, distinguatur inter communicationem effectivam & subjectivam: ignis quidem calorem alteri rei communicat, cum producendo, ut effectum, sed non eum amittendo, & transfundendo in aliud subjectum. Hinc sequitur, quod nulla detur realis communicatio idiomatum sive proprietatum naturæ divinæ in humanam. Est & alia quæstio nominis gravis. An propria possint separari à subjecto suo separatione reali, ut inveniatur subjectum, non existente proprio, aut detur proprium, non existente subjecto. Resp. quod non; quia sic subjectum & proprium non reciprocarentur; quæ enim reciprocarentur, se mutuo ponunt & tollunt: at vero si aut proprium à subjecto, aut subjectum à proprio posset separari, ut uno existente, non existeret alterum, non se mutuo ponerent & se mutuo tolerent, & sic non reciprocarentur, quod est contra naturam & definitionem.]

8. Reciprocatio hic fit in casu recto, in relatis fiebat in casu obliquo: dicimus enim, omnis homo est risibilis, &, omne risibile est homo; sed non dicimus, omnis pater est filius, aut, omnes filius est pater; sed omnis pater est filii pater, & omnis filius est patris filius.

Quæst. IV. *Quid est accidens?*

Accidens est, quod abest & adest sine subjecti interitu: hoc est, quod sine contradictione de subjecto suo affirmari & negari potest.

[1. *Accidens* huius loci, opponitur proprio, estque prædicabile, & distinguitur ab accidente, ut vocant, prædicamentali, quod opponitur substantiæ. hoc accidens latius patet accidente prædicamentali; nam accidens prædicamentale quod est ens substantiæ inhærens, nunquam potest esse substantia, quia ei opponitur; sed vero accidens prædicabile, ut visus, potest esse substantia, & opponitur essentiæ.]

[2. Totum discrimen inter accidens prædicamentale & prædicabile in eo est situm, quod accidens prædicabile aliquando possit esse substantia, prædicamentale nunquam.]

[3. Accidens prædicamentale vocatur illud, quo omne ens in prædicamentis dispositum, dividitur in substantiam & accidens; sunt autem novem prædicamenta accidentium, unum substantiæ: hæc inter se sic pugnant, ut nunquam unum possit esse

esse aliud; nam sunt species oppositæ, quæ in æternum confundi nequeunt, & quodcunque est in prædicamento substantiæ, id nullo modo esse potest in ullo prædicamento accidentis; potest tamen id, quod est substantia, contineri sub accidente hujus loci, quinto scilicet prædicabili, ut toga, quia potest abesse & adesse sine hominis interitu.]

4. *Adest & abest.*) Alterum horum verborum intelligendum est de actu, alterum de potentia: ideoque hæc verba sumi debent, non in sensu composito, quasi eodem tempore unum idemque accidens adsit & absit subjecto; sed in sensu diviso, ut accidens, quod nunc adest, possit abesse. & vice versa; ita, qui albor nunc est in pariete, potest abesse à pariete, sine destructione parietis.

5. Sensus compositus est, cum duo prædicata opposita enunciantur de eodem subjecto, intellecta de eodem tempore, qui sensus est falsus.

6. Sensus divisus est, quando duo prædicata opposita enunciantur de eodem subjecto, sed intellecta de tempore diverso, qui sensus est verus. Hac de re vide in doctrina de sophismate compositionis & divisionis.

[7. *Interitus* est vel physicus, vel logicus. Physicus est rei destructio atque corruptio: Logicus est enunciationis contradictio. Interitus logicus dicitur, quia per contradictionem interit & destruitur veritas prioris enunciationis; ut, cum huic enunciationi, *ignis est elementum*, contradicitur per hanc, *ignis non est elementum*, prioris enunciationis veritas quasi annihilatur & interit. Uterque intelligi potest. Nam 1. sanitas tollitur ab homine, non destructo homine, & si à corvo tolleretur nigror, non tamen interiret corvus: at si ab homine tolleretur risibilitas ejus proprium, destrueretur ipsa hominis essentia, quia propria emanant ab essentia subjecti, id est, ea posita ponuntur, sublata tolluntur, & vice versa; ita posita anima rationali ponitur risibilitas, & posita risibilitate ponitur anima rationalis, & sublata alterutra, tollitur altera. Unde 2. contradictio est, dicere, *homo non est risibilis*; nam tantundem est, ac si dicas, *homo non est rationalis*, id est, *homo non est homo*: at nulla est contradictio, si dicas, *homo non est sanus*, aut, *corvus non est niger*; neque enim hoc idem est, ac si dicas, homo non est homo, aut, corvus non est corvus; quia nec sanitas ab hominis essentia, nec nigror ab essentia corvi emanat, nec enim se mutuo ponunt & tollunt.]

[8. Omnis quidem contradictio est falsitas, sed non omnis falsitas contradictio: si dixeris homo non est rationalis, & falsum dicis & contradictorium; tantundem enim est, ac si dicas, homo non est homo. Illud autem dicitur contradictorium in enunciatione, quando prædicatum tollit essentiam subjecti, aut id dicit, quo essentia subjecti destruitur; sed falsum dicitur, quando simpliciter prædicatum affirmatur de subjecto, quod erat negandum, & vice versa. Accidens inseparabile, ut est nigror in Æthiope, si negetur de subjecto, dicendo, Æthiops non est niger, est enunciatio quidem falsa, sed non contradictoria, quia prædicatum, non esse nigrum,

grum, non tollit nec destruit essentiam subjecti, scilicet Æthiopis; neque enim hæ enunciationes æquipollent, Æthiops non est niger, &c, Æthiops non est homo, aut non est animal, aut non est rationalis: at si proprium negaveris de subjecto, dicendo, homo non est risibilis, non tantum enunciatio hæc est falsa, sed insuper contradictoria; quia non esse risibilem, destruit essentiam hominis, & tantundem est, ac si dicas, homo non est rationalis, aut, homo non est homo, & ratio est, quia risibilitas ab essentia hominis emanat, id est, illa posita ponitur: sed nigror non emanat ab essentia Æthiopis; nam neque ab ejus materia, neque ab ejus forma fluit: at risibilitas fluit à forma hominis, anima scilicet rationali.]

9. Quæ se mutuo ponunt & tollunt, non possunt à se invicem separari, nec de se invicem simul affirmari & negari, sine contradictione: tali modo se habent proprium & subjectum: sed quia accidens & subjectum possunt à se invicem separari, nec se mutuo ponunt & tollunt, etiam possunt de se invicem affirmari & negari, non quidem absque falsitate, sed tamen absque contradictione. Scilicet accidens non potest affirmari & negari de eodem subjecto sine falsitate; si enim enunciavero eruditionem, negando de homine, qui est eruditus, falsa erit enunciatio: at potest accidens affirmari & negari de eodem subjecto sine contradictione; quia negando eruditionem de homine erudito, non destruitur essentia hominis, nec prædicatum tollit essentiam subjecti. sed vero, cum proprium negatur & affirmatur de eodem subjecto, ut cum dico, homo est risibilis, & homo non est risibilis, posterior enunciatio non tantum falsa est, sed & prædicatum tollit essentiam subjecti; tantundem enim est, ac si dicas, homo non est homo.

Quæst. V. *Quotuplex est accidens?*

Duplex; separabile, & inseparabile.

Quæst. VI. *Quid est accidens separabile?*

Quod naturaliter à subjecto suo separari potest; ut, *stare, sedere, sanitas, eruditie*, &c.

[1. *Separari*) vel significat simpliciter tolli aut auferri, uti hic; vel significat diverso loco exist.re, quo sensu dicitur, Quæcunque separantur, aut separari possint, distinguuntur realiter.]

2. *Naturaliter*) id est, naturalibus mediis, seu naturæ viribus.

Quæst.

Quæst. VII. *Quid inseparabile?*

Quod naturaliter nequit à subjecto separari; ut, *nigror in corvo, albor in cygno, nigror in Æthiope.*

Quæst. VIII. *Quomodo dici potest, accidens inseparabile esse accidens, si non possit separari à subjecto suo?*

Accidens inseparabile revera nequit à subjecto separari, & ideo dicitur inseparabile: idem tamen separari potest à subjecto, cogitatione, & hactenus dicitur accidens, in eoque à proprio distinguitur, quod ne cogitatione quidem potest à subjecto separari.

1. *Separatio*, seu abstractio unius rei ab alia, vel fit reipsa, quemadmodum albor separatur à pariete eum denigrando; vel fit per mentem, rationem aut intellectum, idque dupliciter: vel ut mens ex duabus rebus conjunctis alteram de altera neget, quæ vulgo dicitur abstractio negationis, vel remotionis; vel, ut mens ex duabus rebus alteram cogitet atque intelligat, altera non cogitata, non intellecta, quæ dicitur abstractio præcisionis. Separatio præcisionis vocatur abstractio simplex; separatio negationis, abstractio complexa sive composita. Ratio utriusque est, quia prior fit per apprehensionem mentis simplicem; posterior per operationem mentis complexam, scil. per compositionem & divisionem. *Accidens separabile* potest separari separatione reali à subjecto, ut sanitas ab homine, cum fit æger, ut dicitur homo non sanus: *inseparabile* non potest; nam nunquam invenitur corvus qui non sit niger: hoc tamen potest separari separatione mentali, tum negationis, tum præcisionis, nam potest corvus concipi, & negato & præciso per rationem nigrore: at proprium à subjecto separari nequit, nec separatione reali, quia non invenitur homo qui non sit risibilis; nec mentali ulla, quia risibilitas non potest concipi, vel negato vel præciso homine: sed potest subjectum separari à proprio separatione mentis simplici, seu abstractione præcisionis; non potest separari à proprio separatione reali, aut abstractione mentis complexa, sive negationis: nam homo potest concipi, non quidem negata, sed præcisa, seu non concepta risibilitate. Differentia à subjecto, & subjectum à differentia, nullo plane modo possunt à se invicem separari, nec reali separatione, nec mentali, sive negationis sive præcisionis: nam nec reperitur homo qui non sit rationalis; nec potest homo concipi, negata rationalitate, nec præcisa rationalitate, & vice versâ.

2. Quod

[2. Quod subjectum concipi possit, non concepto proprio, seu quod abstrahi possit à proprio, abstractione mentis simplici, v. c. *hom*, conceptu essentiali, quod sit animal rationale, intelligi possit non intellecta risibilitate, ejus rei causa est, quod risibilitas hominis, & proprietas subjecti sui essentiam & definitionem non ingrediatur: contra, quod proprium non possit abstrahi à subjecto, abstractione mentis simplici, v. c. *risibilitas* non possit concipi, quin in illo conceptu risibilitatis, involvatur conceptus *hominis*; ejus rei causa est, quod subjectum ingrediatur definitionem & essentiam proprii; risibilitas enim definitur facta mentione hominis secundum quæst. 8. cap. 2. lib. 2.]

3. Discrimen inter abstractionem simplicem & complexam est, quod in priorem non cadat falsitas, unde vulgo dicitur, Abstrahentium non est mendacium; in posteriorem falsitas cadat. V. c. si quis ignem apprehendat, non apprehensio calore, is nec fallit, nec fallitur, nec mentitur, utcunque ignis & calor à parte rei nunquam separentur; sed qui & ignem & calorem apprehendit, utrumque alterum de altero negando, ut concipiat ignem non esse calidum, is & fallit, & fallitur, & mentitur.

4. Quando accidens inseparabile abstrahitur à subjecto, abstractione complexa, sive negationis, ut cum quis concipit & Æthiopem & nigrorem, alterum de altero negando, is quidem falsum concipit; sed non tamen id quod implicat contradictionem, id est, quod essentiam subjecti destruit: sed qui abstrahit proprium à subjecto, aut differentiam, is implicat contradictionem, id est, concipit id, quod essentiam subjecti destruit. V. c. qui concipit hominem non esse risibilem, aut non esse rationalem, is non tantum falsum concipit, sed tantundem ac si conciperet hominem non esse hominem: nam rationalitas est pars essentialis hominis, ideoque homo concipi nequit ut totum, nisi conceptis omnibus partibus; risibilitas, etsi non sit pars essentialis hominis, quia tamen ita arcta necessitudine homini connectitur, ut se mutuo ponant & tollant, hinc fit, ut non possit mens concipere hominem non esse risibilem, quin simul concipiat hominem non esse hominem.]

CAPUT XI.

Quæst. I. *Quid est totum?*

TOtum est, quod constat plurimum convenienti unione

[1. Caput hoc inscribitur de toto & partibus, quia & hæc est affectio logica, sive rationis, conveniens themati simplici in quantum ab intellectu confertur cum alio themate simplici: tum enim deprehenditur omne thema simplex vel esse totum vel pars, sumpta utraque voce quam latissime. Difficile autem latis est intellectu, quomodo res spirituales & indivisibiles dicen-

dicantur esse totæ in loco divisibilis; quemadmodum vulgo dicitur anima esse tota in toto corpore, & tota in qualibet parte corporis, sc. hoc sensu, quod nulla pars corporis sit expers animæ rationalis, hæc tamen non sit in partibus corporis per partes sui, sed modo indivisibili, quia ipsa est indivisibilis; qui tamen modus præsentiæ, difficulter est comprehensibilis: & hoc quoque sensu dicitur Deus totus in hoc mundo, & omnibus mundi partibus.]

2. Vox hæc, *totus, a, um*, vel effertur de substantiis immaterialibus, vel de materialibus: priori modo sumitur negative, posteriori positive; & sic hic definitur. Totum negative partes negat: sic Deus, cum dicitur esse totus ubique, significatur esse ubique non per partes sui. At totum positive ponit partes, & præter eas, *partium unionem*: ut totius quasi materia sint partes, quæ significantur voce *plurium*; & quasi forma sit *unio*. Debet autem vox hæc, *partes*, latissime extendi.

3. Quemadmodum diversa est natura spiritus & corporis (nam spiritus caret materia, ideoque & quantitate, consequenter & partibus; corpus præditum est materia, ideoque & quantitate, consequenter & partibus) ita alio modo de spiritu, alio de corpore dicitur vox hæc, *totus, a, um*: nempe, spiritus est totus in spatio aut loco divisibili, modo indivisibili, id est, ut non habeat partes in se, quibus respondeat partibus spatii aut loci; sed corpora sunt in loco divisibili modo divisibili, quia habent partes in se respondentes partibus loci.

Quæst. II. *Quotuplex est totum?*

Duplex; aliud per se, aliud per accidens.

Quæst. III. *Quid vocas totum per se?*

Cui partes insunt per se.

Melius: Quod partibus suis est essentiale, vel cui partes sunt essentiales.

Quæst. IV. *Quid per accidens?*

Cui partes insunt per accidens.

1. Melius: Quod partibus suis non est essentiale, vel cui partes non sunt essentiales.

2. *Partes* dicuntur *per se inesse, quando aut totum suam essentiam largitur partibus, aut partes largiuntur essentiam suam toti*: si neutrum fiat, *partes insunt per accidens, & est totum per accidens.* Animal, respectu hominis & bestiæ, est totum per se, quia essentiam, qua est substantia, corporea, vivens, sentiens, suam largitur homini & bestiæ; quia, quod homo aut bestia vivat aut sentiat, ideo est, quia est animal: idem animal est totum per se respectu corporis & animæ, quia

quia corpus & anima, partes, essentiam suam largiuntur animali, toti; quod enim animal sit extensum in longum, latum, & profundum, debet corpori, quod nutriatur, crescat, loco se moveat, &c. debet animæ. Sed quando homo dividitur in doctum & indoctum, tanquam totum in partes, nec partes hic largiuntur essentiam toti, nec totum, partibus.

[3. Ut dijudicari possit, num aliquid sit totum per se, an per accidens, hoc signum infallibile docebit: quotiescunque aliquod totum disponitur in enunciatione cum una ex partibus, sic, ut appareat relatio totius ad partem, toties est totum per se: contra, quando disponitur in enunciatione totum & una partium, & non apparet relatio totius ad partem, est totum per accidens, ut, si dixero, herba calefacit, nemo mortalium hic dijudicare valeat, herbam se habere ut totum, calefacere ut partem, quatenus dividitur in calefacientem & frigefacientem: sed unusquisque facile dijudicabit, esse dispositionem causæ & effecti, uti revera est: at cum dico, homo est animal, hic apparet nulla alia relatio quam totius ad partem, non vero causæ ad causatum, vel subjecti ad adjunctum, aut contra, Exempla vid. quæst. 12, & 14, hujus cap.]

Quæst. V. *Quænam partes dicuntur toti inesse per se, & quæ per accidens?*

Partes per se inesse dicuntur, cum aut ipsum totum partibus essentiale est, aut partes toti: per accidens, contra.

Quæst. VI. *Explica rem exemplo.*

Animal est totum per se respectu *hominis* & *bestiæ*, [scil. priori modo, id est, ut totum partibus essentiale] & respectu *corporis* ac *animæ*, [scil. posteriori modo, ut partes respectu *servorum* & *liberorum*, *bonorum* & *malorum*. Nam *animal* pertinet ad essentiam *hominis* & *bestiæ*; illiusque essentia ex *corpore* & *anima* constituitur: at *liberum* aut *servum*, *bonum* aut *malum* esse, non convenit *homini* ratione essentiæ, sed sunt accidentia, quæ ad essentiam extrinsecus accedunt.

1. Priori modo, id est, cum totum suam essentiam largitur partibus quemadmodum *animal* facit *homini* & *bestiæ*; posteriori modo, cum partes largiuntur essentiam suam partialem toti, ut *corpus* & *anima* faciunt *animali* aut *homini*. Cum neutrum fit, est totum per accidens; sic *libertas* & *servitus* non largiuntur

tur essentiam *homini*, nec *homo* largitur essentiam *libertati* aut *servituti*; ideoque, cum *homo* dividitur in *servum* & *liberum*, ut partes, est divisio totius per accidens.

2. Qui dicunt, totum per se esse, cujus partes sunt ejusdem prædicamenti, illi intelligunt hoc non tantum de partibus inter se, sed & cum toto collatis: nam fieri potest, ut aliquod totum per accidens habeat partes inter se ejusdem prædicamenti, ut liquet in exemplis notatis; attamen partes non sunt ejusdem prædicamenti cum toto. Omnia illa tota quæst. 16. notata, sunt tota per accidens, &c.

3. Sic, v. c. libertas & servitus sunt in eodem prædicamento relationis: at homo, qui ut totum, dividitur in liberum & servum tanquam partes, est substantia.

Quæst. VII. *Quotuplex est totum per se?*

Quadruplex; universale, formale, essentiale, & integrale.

1. Totum *universale* dat essentiam partibus, genus speciei, species individuis: contra, totum *formale*, *essentiale*, *integrale*, accipit essentiam à partibus, & partes dant essentiam toti; quod in exemplis videre est, quæst. 12.

Quæst. VIII. *Quid est totum universale?*

Totum universale nihil aliud est quam genus respectu specierum, aut species respectu individuorum: & quia species in genere, & individua in specie, non actu, sed potentia continentur, factum est, ut totum universale sit appellatum *totum potentiale*: cæteræ species totius dicuntur *totum actuale*.

1. *Species)* hic vocantur partes generis, in quantum genus, ut totum, in species distribuitur, ut in partes; ut animal in hominem & bestiam: si vero genus spectetur, ut pars definiens speciem, species est totum formale, & genus est tum pars speciei; ut cum homo definitur per animal. Sic & individua sunt partes specierum, prout species est totum universale, quod in individua dividitur; ut, cum homo dividitur in Petrum & Paulum: contra, species est pars individui, in quantum individuum definit, ut, cum Petrus definitur animal rationale.

[1. Vel genus confertur cum una specie, ut animal cum homine, & sic genus est speciei pars, & quidem formalis, ut animal, hominis, qui, ut totum formale, per animal tanquam partem formalem unam, & per rationale tanquam alteram, definitur: vel genus confertur cum omnibus speciebus suis si-

n

mul sumptis, ut animal cum homine & bruto simul; & tum genus est totum universale, ut animal; species sunt partes universales, ut homo & brutum.]

[2. Ex hoc præcedenti commentario solvi potest hæc objectio, Quod est pars speciei, non potest dividi ut totum in species ut partes; sed genus est pars speciei; ergo non potest dividi in species. Resp. Utrumque verum est, & genus est pars speciei, & item, ut totum dividitur in species, ac unaquæque species est pars generis, si distinguatur totum & pars: cum genus dicitur pars speciei, & species totum, quod ex genere & differentia constat, intelligitur totum formale, item & partes formales: at contra, quando genus dicitur totum, & species pars generis, intelligitur totum universale, item & talis pars.]

[4. Totum universale nihil est aliud quam thema universale, quod, puta, non requirit ut actu prædicetur de pluribus, sed quia sufficit, ut per naturam de pluribus prædicari possit si ista existant, ideo *totum universale* recte dicitur *totum potentiale*.]

[5. *Totum universale* dicitur *potentiale*, quia *universale* definitur, quod de pluribus natura sua prædicari *potest*: itaque, genus non requirit ut omnes suæ species actu sint, nec species requirit ut omnia sua individua actu sint. Sic animal erat genus, cum solum existeret brutum, & homo erat species, cum solus existeret Adam. (hinc videre est, quod genus possit conservari in una specie, & species in uno individuo) Reliqua omnia tota requirunt, ut omnes suæ partes actu sint, ideoque dicuntur *totum actuale*. Vide exempla Quæst. 12.]

[6. Sic, verbi causa, totum formale seu definitum respectu partium definientium, homo respectu animalis & rationalis, generis & differentiæ, quibus definitur, requirit ut ambo actu sint; & idem homo ut totum essentiale respectu partium essentialium, requirit ut ambæ sint actu, scilicet & corpus & anima rationalis; & dein homo ut totum integrale respectu membrorum, capitis, pectoris, ventris, &c. requirit ut omnia actu sint, si enim harum partium aliqua absit, non est totum.]

Quæst. IX. *Quid est totum formale?*

Totum formale nihil aliud est, quam species respectu generis & differentiæ, quibus definitur.

1. *Species*) sive sit subalterna, sive infima; utraque enim est totum formale, quia utraque definiri potest per genus & differentiam.

2. *Totum formale*) est omnis res definita, respectu partium definientium; ut homo respectu animalis & rationalis, quæ duo hominem definiunt.

Quæst. X. *Quid est totum essentiale?*

Quod constat materia, [sc. ex qua, non in qua, non circa quam, vid. comm. quæst. 5. cap. seq.] & forma.

1. Hinc *materia* & *forma* vulgo dicuntur *partes essentiales*, & totum dicitur *compositum*.

Quæst. XI. *Quid est totum integrale?*

Quod partem habet extra partem.

1. *Totum integrale*) differt à toto essentiali; quod partes totius essentialis se mutuo pervadant, & loco ac situ non differant: ut anima permeat totum corpus, nec est in alio loco aut spatio quam ipsum corpus: partes totius integralis se mutuo non pervadunt, sed loco ac situ differunt ac discernuntur; ut, caput est alio loco, & alibi situm quam pes, manus, venter, &c. nec se mutuo penetrant.

Quæst. XII. *Declara harum specierum discrimen exemplo aliquo, puta, animalis.*

Animal est totum universale respectu *hominis* & *bestiæ*, [quia essentiam suam dat *homini* & *bestiæ*; & *homo* est totum universale respectu *Petri*, *Pauli*, &c. quia essentiam suam humanam, animam sc. rationalem & corpus, dat illis:] & *animal* est totum formale respectu *corporis viventis* & *sensus* (definitur enim, *corpus vivens sentiens.*) totum essentiale respectu *corporis*, *ventris*, *artuum*, &c. [hæc tria posteriora tota accipiunt essentiam suam à partibus.]

1. *Totum universale* vocatur *logicum*, quia universale ad Logicam pertinet.

2. *Totum formale* dicitur *metaphysicum*, quia partes totius formalis, genus & differentia, vulgo dicuntur materia & forma metaphysica, quia conveniunt tam spiritibus quam corporibus: at materia & forma physica, conveniunt solis corporibus.

3. *Totum essentiale* nuncupatur *physicum*, quia partes ejus, materia & forma, ad physicam pertinent.

4. *Totum integrale* appellatur *mathematicum*, quia illud consideret mathematica.

5. Partes totius universalis differunt reipsa; ut, homo & brutum.

6. Partes totius formalis differunt ratione; ut, animal & rationale.

7. Partes totius essentialis differunt reipsa, sed non loco; ut, anima & corpus.

8. Partes totius integralis differunt reipsa, & simul loco; ut pes, manus, caput, &c.

9. Di-

9. Dicuntur partes differre reipsa, quæ diversa constituunt entia, diversasque habent essentias, ac inter sese distinguuntur, nemine cogitante: ita differunt Petrus & Paulus, homo & brutum, partes universales; anima & corpus, partes totius essentialis; caput, pectus, crura, &c. partes integrales. Ratione vero differunt partes, quæ non constituunt diversa entia, sed cum unum faciant ens, per rationem tamen ut duo apprehenduntur entia, & quidem duobus actibus: sic differunt animal & rationale, partes formales, quæ constituunt unum ens, unam substantiam, unum hominem, qui cum non possit à nobis uno conceptu intelligi, discerpitur quasi in duas partes, scil. animal, & rationale, quibus & concipitur, & definitur.

Quæst. XIII. *Quomodo dividitur integrale?*

In homogeneum & heterogeneum, sive similare & dissimilare.

Quæst. XIV. *Quid est totum homogeneum?*

Quod partes habet ejusdem nominis ac naturæ; ut, substantia inanimis, *aqua*, *vinum*, *caro*, *lapis*; item *magnitudo*, *tempus*, *motus*, &c.

1. Non requiritur ut in toto homogeneo partes sint ejusdem naturæ ac nominis cum toto; sufficit, si eandem habeant naturam ac idem nomen inter se: sic quælibet pars carnis vocatur caro, & habet hanc naturam ut nutriat; & quælibet gutta maris vocatur gutta, & humectat; non tamen habet idem nomen cum toto mari, quia non potest quælibet gutta maris dici mare.

Quæst. XV. *Quid est totum heterogeneum?*

Quod partes habet diversi nominis ac naturæ; ut, substantiæ animatæ; item *exercitus*, *ecclesia*, *mundus*, & id genus alia.

1. In toto heterogeneo requiritur, ut partes sint diversi nominis ac naturæ & inter se, & à toto: sic partes humani corporis & nomine & natura differunt à corpore toto, & inter se.

Quæst. XVI. *Quotuplex est totum per accidens?*

Quadruplex: 1. vel enim causa diversorum effectorum totum dicitur; 2. vel effectum diversarum causarum, 3. vel subjectum diversorum adjunctorum; 4. vel adjunctum diversorum subjectorum. Sed hac de re plura in doctrina de divisione.

1. Exempla totius per accidens sunt; 1. cum herbæ dividuntur in calefacientes & frigefacientes; 2. cum calor dividitur in eum qui à sole, & in eum qui ab igne producitur; 3. cum homo in doctum & indoctum; 4. cum morbi dividuntur in morbos animi, & in morbos corporis.

CAPUT XV, & XVI.

Quæst. I. *Quid est causa?*

CAusa est, cujus vi res est.

[1. Multa sunt metaphysicæ & Logicæ communia, ut doctrina de toto & parte, causa & causato, subjecto & adjuncto, &c. sed modus considerandi utrobique est diversus: spectantur enim illa in metaphysicis ut dividunt ens reale, suntque notiones primæ, id est, affectiones entis realis, primo omnium de eo cognitæ; in logicis spectantur ut sunt principia definiendi, & res quaslibet cognoscendi, atque ut sunt notiones secundæ, id est, quæ secundo loco de ente cognoscuntur.]

[2. *Causa*] spectatur vel metaphysice, ut est affectio rei, ac philosophica; & sic ejus genus est principium: vel logice, ut est affectio rationis, & logica, Vulgo ens rationis; & tum genus ejus non est principium, sed notio secunda, aut affectio logica seu rationis; hoc enim ei cum genere, specie, & differentia, est commune.]

[3. Genus causæ spectatæ metaphysice est principium; omnis enim causa principium est, sed non omne principium causa est; ideoque principium latius patet causa. Principium est primum unde aliquid fit, esti, operatur, aut cognoscitur; atqui multa sunt principium rei quæ fit, non tamen causæ: sic privatio in physicis est principium, & primum à quo corpus naturale fit, non tamen ejus est causa; rursum locus & tempus possunt dici principia conservationis corporum naturalium, quatenus hæc sine iis existere nequeunt; non sunt tamen locus & tempus, causæ conservantes corpora naturalia: porro adjunctum potest esse principium cognoscendi subjecti. Principium cognoscendi est vel complexum, vel incomplexum: complexum est axioma sua luce clarum: ut *Totum est majus sua parte, Idem non potest esse & non esse, Nihil est causa sui ipsius*, &c. incomplexum est terminus simplex deducens in cognitionem alterius termini simplicis; ut subjectum deducit in adjuncti, genus in speciei notitiam, & vice versa.]

[4. Quod principium latius pateat causa, vel ex eo patet, quod in divinis Pater dicitur principium Filii, at non potest dici ejus causa: præterea, adjunctum est principium cognoscendi saltem ipsius subjecti, sed non est causa; privatio est principium corporis naturalis, sed non causa.]

[5. Cum

[5. Cum principium dicitur esse unde aliquid fit, est, aut cognoscitur, addi debet, aut operatur; nisi principium operandi sub principio fiendi quis comprehendat.]

[6. De principiis complexis intelligendum est illud vulgatum philosophorum *Contra negantem principia non est disputandum.*]

[7. Verum ut ratio causæ constet, ratio principii explicanda venit. Duo requiruntur ad rationem principii; primo, ut sit prius alio; secundo, ut illud aliquo modo à priori dependeat, aut dum fit, aut dum existit, aut dum operatur, aut dum cognoscitur, aut omnibus modis simul, aut aliquibus horum. Causa est principium sui causati omnibus modis simul.]

[8. Principium cognoscendi insuper, non fiendi, non essendi, non operandi, est vel complexum vel incomplexum. Principia cognoscendi complexa habent locum in demonstrationibus & scientiis, suntque potissimum axiomata, id est, enunciationes tam manifestæ veritatis, ut absque omni probatione, sola vocabulorum significatione acceptæ, ab audientibus vel legentibus assensum impetrent: tale principium cognoscendi non est causa; sed incomplexum est, aut terminus, aut thema, aut principium simplex, quo mens nostra provehatur in cognitionem effecti, tanquam alterius thematis aut termini simplicis.]

9. Vi) id est *efficacia*, seu *virtus*; ut cum dicimus, vi ignis calefieri aquam: non violentia, quo sensu invitum per vim dicitur in Ethicis.

Res) id est, *causatum.*

Fit) id est, *fit* vel *constat.*

Quæst. II. *Quid est causatum?*
Quod à causis [producitur aut] constituitur.

Quæst. III. *Quot sunt causæ?*
Quatuor; materia, forma, efficiens, & finis.

1. *Causæ* istæ *quatuor* dividuntur in *internas* & *externas*. Discrimen inter causas internas & externas, est hoc; quod causæ internæ nunquam possint causare sine externis, externæ vero possint sine internis: ut, cum Deus creavit angelos ad gloriam suam, causa efficiens fuit Deus, finis gloria ejus: sed hic nulla fuit materia, nulla forma, utraque enim carebant angeli. Deinde causæ internæ aliquam imperfectionem involvunt in causando, quia sunt partes causati, omnis autem pars imperfecta est; sed causæ externæ nullam imperfectionem involvunt in causando, quia non causant largiendo suam entitatem; sed tantum conferendo suam virtutem: nam architectus, verbi causa non confert domui suum esse quod habet, sed tantum suam vim ædificandi; ideoque causæ internæ de Deo dici nequeunt, externæ ipsi tribui possunt: Deus enim, nullus rei aut materia est aut forma, idem tamen omnium rerum est efficiens ac finis, hæ enim

causæ nullam imperfectionem involvunt in causando. *Internæ* dicuntur, quæ ipsam causati essentiam ingrediuntur ut partes constituentes; suntque materia & forma: *externæ*, quæ causatum quidem producunt, non tamen illud constituunt ut partes; suntque efficiens & finis, exempli gratia, Anima, *forma*, & corpus, *materia*, partes sunt constituentes hominem, vel essentiam hominis; sed vero faber lignarius & inhabitatio, *efficiens* & *finis*, non sunt partes domus constituentes, sed eam tantum producentes.

[2. Non est absurdum, ut eadem res, & causa sit & pars, licet diversæ sint affectiones logicæ, pars & causa, quia respectus hic est diversus: nam materia & forma, corpus & anima rationalis, dicuntur partes, in quantum constituunt compositum, scilicet hominem; sunt causæ, in quantum causant, seu producunt seu quasi hominem ut causatum: ut eadem res ac substantia, idemque homo, esse potest & pater respectu filii, & maritus respectu uxoris; respectus enim diversi non faciunt diversas res.]

Quæst. IV. *An ut causa, ita quoque causatum dividitur?*

Non; una enim & eadem res est causatum omnium causarum: idque, *compositum* dicitur respectu materiæ & formæ, *effectum* respectu efficientis, & *medium* sive *destinatum* respectu finis.

1. *Causatum respectu materiæ & formæ)* idem habet nomen & vocatur *compositum*, quia materia & forma semper simul causalitatem suam exercent: sic nunquam corpus sine anima, nunquam anima sine corpore, hominem constituit.

2. Quia materia & forma sunt concausæ, id est, simul causant, etiam utriusque causalitas philosophis uno venit nomine, verbi causa, unio; nam ad compositum producendum & constituendum, debet materia uniri formæ, & forma materiæ.

Quæst. V. *Quid est materia?*

Materia est causa interna, ex qua res fit, aut constat. Exempli gratia, semen est materia viventis, ex qua fit; corpus est materia, ex qua constat: illa solet appellari *materia generationis*; hæc *materia compositionis*.

1. *Materia)* vulgo dividitur divisione vocis, non rei, in *materiam in qua*, quæ subjectum, ut mensa respectu coloris; *circa quam*, quæ objectum, ut tabula respectu pictoris; & *ex qua*, quæ causa est, atque hujus loci, ut lignum respectu mensæ.

2. Ma-

2. Materia ex qua, solis convenit corporibus; materia in qua & circa quam, etiam spiritibus: sic rationalis anima est materia in qua suarum potentiarum & habituum, eadem est materia circa quam creationis.

3. *Materia generationis* vocatur etiam *transmutationis*; & *materia compositionis* dicitur quoque *constitutionis*.

Quæst. VI. *An materia generationis & materia compositionis semper diversæ sunt?*

Non semper. Nam scamnum fit & constat ex ligno; nubes, ex vapore; glacies, ex aqua.

[1. *Materia* vulgo dividitur in *primam & secundam*. Materia *prima* est materia universalis, *secunda*, particularis seu singularis, quia operatio est simplex in materia singulari. Materia prima est capax omnium formarum, non quoad existentiam, sed quoad essentiam: id est, non potest existere sub omnibus formis simul; sed ejus essentiæ non repugnat, ut successive existat sub omnibus; existit enim in materiis secundis, quæ varias, imo omnes formas sui variatione suscipere valent temporibus diversis.]

[2. De materia prima multa otiose disputantur à philosophis. Erant qui eam faciunt ens, coæternum Deo, ut Aristoteles; & illi qui eam, licet creatam, faciunt ens distinctum à materia qualibet singulari, quippe nil est aliud quam universale, at universalia non existunt nisi in singularibus. Nempe sic se res habet: quia & cœlum habet aliquam materiam, ex qua constat, præter suam formam, & aliquam quoque habent elementa, item & mineralia, & plantæ, & bruta, & homines, & omnia corpora naturalia; illud commune, ex quo omnia constant præter formam, nihil est aliud quam materia prima, ideoque magis est ens rationis quam ens reale, quia universalia sunt entia rationis; & cum ei tribuitur essentia & existentia distincta, id intelligendum est respectu formæ, non respectu materiæ secundæ seu singularis in qua est: nam essentia & existentia materiæ primæ, ut rei universalis, est ipsa essentia atque existentia omnium materiarum singularium; at vero essentia & existentia materiæ, distincta est ab essentia & existentia formæ, quia duo sunt distincta principia corporum naturalium. Notandum autem est hic, non dici materiam primam aut secundam eo sensu, quo divisa fuit substantia in primam & secundam: nam substantia prima fuit substantia singularis, & secunda, universalis; at materia prima est universalis, & secunda, singularis. Porro & hoc sciendum est, divisionem materiæ in primam & secundam, non esse divisionem generis in speciem, imò ne quidem divisionem rei, sed tantum distinctionem vocis.]

Quæst. VII. *Quid est forma?*

Forma est causa interna, per quam res est id quod est. Sic *anima* est forma *viventis*, *figura* forma *statuæ*, &c.

[1. *Forma)* spectatur vel logice, vel physice; quæ duplex consideratio non debet confundi. Logice spectata, nihil est aliud quam ratio essentiæ cujuscunque rei, sive sit naturalis, sive artificialis; unde etiam forma dividitur in naturalem & artificialem: sic in exemplis authoris, forma naturalis *viventis* est *anima*; *figura* autem *statuæ* est forma artificialis; illa substantialis, hæc accidentalis. Forma vero physice spectata, est principium corporis naturalis internum activum: estque substantialis, non accidentalis; naturalis, non artificialis. Ex confusione autem formæ logicæ & physicæ error ille ortus est in communi philosophia, quod in substantiis omnis forma logica, id est, ratio essentiæ, putetur esse forma physica, id est, substantia; at eo nihil potest cogitari falsius: quid enim? in uno eodemque Petro sunt multæ formæ logicæ, seu rationes essentiæ, una qua est homo, altera qua est animal, tertia qua est vivens, quarta qua est mixtum, quinta qua est corpus, sexta qua est substantia: quid ergo? an totidem erunt Petro formæ physicæ, id est, totidem substantiæ, aut formæ substantiales? nihil minus, & error hic inde ortus est, quod vox græca οὐσία, quæ proprie significat *essentiam*, derivatur enim ab ὤν οὖσα ὄν, interdum sit versa per *substantiam*, quæ tamen græce dicitur ὕπαρξις· unde putarunt, omnem diversam rationem essentiæ, esse diversam rationem substantiæ, & omnem formam logicam, esse diversam formam physicam. Sed refutatur hic error; primo, quod forma logica, seu ratio essentiæ, inveniatur etiam in accidentibus, atque ipsa sæpe sit accidens, ut *figura* in *statua*, & tunc saltem illa non potest dici substantia, ut tum ratio essentiæ non sit idem, quod ratio substantiæ, nec essentia, quod est substantia: nam *figura* est essentia *statuæ*, qua est *statua*, non tamen est substantia; aut est ratio essentiæ in *statua*, non tamen ratio substantiæ. Secundo, si totuplex esset substantia, aut forma substantialis, quotuplex est essentia aut ratio essentiæ in substantia, ergo totidem dabuntur formæ substantiales in uno eodemque composito, quot sunt rationes essentiales in eodem composito: posterius est falsum; ergo & prius. Minor probatur: Rationes essentiales, sive essentiæ aliis dicuntur attributa quidditativa, aut prædicata essentialia; quibus vocibus significatur id, quo responderi potest ad quæstionem, quid est res? ut, si quis rogetur, quid est Petrus? potest respondere, est homo, est animal, est vivens, est mixtum, est corpus, est substantia: tot sunt in Petro rationes essentiæ tot attributa quidditativa, tot

tot prædicata essentialia ; sed non sunt tot formæ substantiales physicæ, id est, tot substantiæ distinctæ : attamen tot sunt in eo rationes essentiæ, seu formæ logicæ ; ergo aliud est forma logica, aliud forma physica, quod erat probandum.]

[2. Esse rerum, est vel commune, vel proprium : prius est à materia, posterius à forma, sic corpus homini commune est cum brutis, materia utrisque ; anima rationalis homini propria, & forma ejus, hinc specifica rerum differentia à formis desumi solet.

[3. *Forma* græcis sæpe dicitur εἶδος, id est, *species*, quia speciem constituit, & ab alia specie essentialiter distinguit ; ac tum solet vocari differentia specifica, aut essentialis, aut hæc, unde desumitur.]

4. Quod *res sit* seu existat, hoc debet & materiæ & formæ, ut quod sit seu existat homo, debet & animæ & corpori : sed quod res sit talis, aut talis, hujus vel illius speciei, puta, quod sit homo, & non brutum, debet soli formæ & non materiæ ; ideoque *forma est causa per quam res est id quod est*, id est, per quam res est talis vel talis speciei, scilicet rationalis potius quam irrationalis, &c.

Quæst. VIII. *An res non est etiam per materiam?*

Omnino : sed per materiam, non est *id quod est*, hoc est, non est certa species. Quod enim res sit, hoc æque materiæ debetur ac formæ ; sed quod sit hoc potius quam illud, id totum debetur formæ.

1. Utilissima & usitatissima est divisio formæ in materialem & immaterialem : cujus divisionis membra longe aliter sunt intelligenda, quam cum dividitur substantia in materialem & immaterialem ; nempe substantia materialis dicitur, quæ materia constat, ut parte componente ; immaterialis, quæ non constat illa : sed forma dicitur materialis, non quasi materia constet, tanquam parte componente, hoc enim sensu nulla forma datur materialis, nam tum forma non foret causa, sed causatum ac compositum : sed dicitur forma materialis, quæ cum fit & existit, & cum operatur, à materia dependet ; immaterialis contra dicitur, non quod careat materia, licet hoc sit verissimum, sed quod nec in fieri, nec in esse, nec in operari, dependeat à materia : talis est unica & sola anima rationalis, reliquæ omnes formæ, præter hanc sunt materiales.

[2. Cum anima rationalis dicitur forma immaterialis, duplici nomine sic vocatur : primo, quia nulla constat materia tanquam parte componente, uti quidem constat corpus ; secundo, quia non dependet à materia in fieri, esse, & operari, ut anima vegetans, sentiens, & omnes aliæ formæ, sunt quidem materiales, non quatenus constat materia tanquam parte componente, neque enim sunt corpora ; sed sunt materiales, quatenus à materia dependent in fieri, esse, & operari.]

CAP.

CAPUT XVII.

Quæst. I. *Quid est causa efficiens?*

CAusa efficiens est causa externa, à qua res, vera causalitate proficiscitur.

1. De ordine causarum, quænam sit prima disputari solet à philosophis. Multi putant finem esse causarum primam, quia ante efficientem, materiam & formam causat; nam inhabitatio primum movet efficientem, antequam ædificet, & formam domus in materiam introducat. Alii primam causarum faciunt materiam, quia illa omni actioni, excepta creatione, præsupponitur. Author noster incipit a materia. Ob illam causam Suarez & alii incipiunt ab efficiente, quia ante ullam aliam causam existit efficiens, puta, Deus. Sed in causarum ordine, quæ nunc tractetur primo loco, non multum est situm.]

2. Ut commentarii hujus quæstionis, & etiam quæst. 2. c. 18. bene inteligantur, scien-dum est, quod *efficientis causalitas* dicitur *vera*, quia revera effecti productionem attingit, & ab efficiente quædam virtus derivatur, terminata in ipsum effectum: causalitas vero finis dicitur metaphorica, quia non attingit immediate ipsum effectum, nec in eum terminatur, & non est alio modo causa effecti, quam impellendo efficientem ad agendum. Itaque accurate debet discerni duplex causæ finalis respectus: unus, quo refertur ad efficientem; alter, quo refertur ad causatum. Causalitas finis respectu efficientis est vera & propria, non metaphorica aut impropria; nam vere impellit efficientem, estque ipse impulsus realis: sed respectu causati, finis causalitas non est vera nec realis, quia reaple finis non attingit ullo modo causati productionem, utpote quæ non datur est; & ideo dicitur finis causa causati per causalitatem metaphoricam, id est, improprie.]

3. Vocatur *efficiens*, uti finis, causa *externa* quia neutra est pars causati ingreditur: ut pars constitutiva; sicut quidem faciunt *materia* & *forma*, quæ ideo dicuntur causæ internæ, uti notum est ad quæst. 3. cap. præced.

[4. Efficiens & finis attingunt tantum causatum sua virtute, non largiendo essentiam suam: sed differunt in eo, quod efficientis virtus in ipsum terminatur causatum; virtus vero finis, non nisi per & propter efficientem, quem agendum movet, & sic per ac propter eum, causatum attingit quæ ipsius motio metaphorica dicitur, non quia efficientem revera non moveat; sed quod efficientem vere movendo, improprie & secundum similitudinem effecti productionem attingat. Ita inhabitatio non

aliter

aliter producit domum, quam inhabitantem movendo ad ædificandum: at ipse architectus, sua ædificandi virtute ipsam domum attingit immediate.]

5. Vera causalitas efficientis opponitur motioni metaphoricæ finis, quæ idem significat, ac si diceres motionem sive causalitatem impropriam, ac per similitudinem: quemadmodum enim homo pictus, qui est similis homini vivo, non est verus homo, & sicuti significatio vocis metaphorica non est propria, sed impropria; ita causalitas aut motio metaphorica, est causalitas ac motio impropria, & non vera. Notandum vero est, duplicem esse habitudinem & respectum finis: vel enim respicit efficientem, quem movet & impellit ad agendum; vel respicit ipsum causatum, quod ab efficiente producitur; sicuti inhabitatio respicit vel ædificantem, vel domum. Respectu efficientis, finis non agit causalitate metaphorica, sed vere ac proprie; nam inhabitatio vere ac propria movet ædificantem sed respectu causati ipsius domus quæ propter inhabitationem, ut finem exstruitur, agit metaphorice, & causalitate impropria, ac non vera; quia cum finis, verbi causa, inhabitatio, ante causati, scilicet, domus, productionem non existat, vere & proprie agere non potest; non entis enim nullæ sunt affectiones aut operationes sive affectiones physicæ, licet ei tribui possint operationes morales, qualis est impulsus & motio efficientis ad operandum, facta à fine nondum existente: quemadmodum eruditio nondum acquisita, movet & impellit studiosum ad studia. Et hæc faciunt ad intelligendum quoque quæst. 1. cap. 18. & commentarium subjectum.

Quæst. II. *Cur dicis causalitate vera?*

Ut causam efficientem à fine distinguerem. Nam res effecta etiam proficiscitur à fine, sed causalitate sive motione metaphorica.

1. Improprie dicitur causatum esse à fine: nam à sive *ab* proprie est nota solius causæ efficientis; quemadmodum *ex* materiæ, *per* formæ, *propter* finis est symbolum ac character.

Quæst. III. *Quot modis dividitur causa efficiens?*

Octo potissimum modis.

[1. Divisio causæ efficientis petitur vel ab effecto, vel à modo causandi. Quæ divisiones sunt authoris, petitæ sunt à modo causandi, qui ut est diversus, ita facit causæ efficientis species diversas: sola divisio causæ efficientis in procreantem & conservantem,

vantem, desumpta est à diversitate effecti; nam aliud est affectum causæ procreantis, aliud conservantis, procreans efficit causæ existentiam, conservans effecti existentis durationem.]

Quæst. IV. *Quæ est prima divisio?*

Causa efficiens alia est emanativa vulgo dicta, alia activa.

1. Omisit author divisionem causæ efficientis in procreantem & conservantem, quæ tamen maximi est usus. *Procreans* vocatur, quæ producit ipsum rei esse seu existere, facitque ut res, quæ ante non erat seu existebat, nunc sit seu existat. *Conservans* dicitur, quæ rei nunc existenti largitur in existendo continuationem, facitque, ut in existentia quam accepit à causa procreante perseveret. Hæ causæ, interdum sunt distinctæ; ut, cum parentes procreant sobolem, nutrix eam conservat: interdum utraque est eadem; ut, cum Deus dicitur & procreans, & conservans causa mundi. Notandum vero est, causam conservantem æque esse veram speciem causæ efficientis, atque procreans, quia vera causalitate & vero influxu influit in causatum quod conservat.

[2. Nonnulli Logici causam conservantem exterminârunt ex numero causarum efficientium, quasi causa conservans nihil sit aliud quam non corrumpens, aut non destruens: sed plus dicit causa conservans, quam rei non-corruptionem, aut non destructionem: certe ad eam nulla requiritur causalitas: sed causa conservans aliquid dicit amplius, nempe realem influxum in rem ipsam, quæ conservatur. Atque hoc manifestissime patet exemplo solis, qui est causa conservans luminis à se procreati; non tantum quia illud non destruit aut corrumpit, sed quia continuo influxu, eoque vero ac reali, radios suos diffundendo, usque & usque continuat.]

Quæst. V. *Quænam causa vocatur vulgo emanativa?*

A qua res immediate, ac sine ulla actione media, emanat. Sic ignis est causa caloris sui interni, qui in se manet; omnisque forma est causa emanativa suarum proprietatum.

1. In *causa emanativa* non est causalitas distincta ab ejus existentia; sed ejus essentia posita, statim ponitur & causatum existere; unde, hæc causa & causatum suum se mutuo ponunt & tollunt: sic, posita anima rationali ponitur ejus potentia intelligendi, & vice versa; & posita anima vegetante, ponitur potentia nutriendi, & vice versa.

2. *Im-*

2. *Immediate*) id est sine omni medio, quodcunque tandem illud fuerit. At activa causa admittit non tantum medium, patiens, aut conditionem ad agendum requisitam, sed & actionem mediam, quæ distincta est ab existentia tum causæ tum causati: ita ignis, præter materiam combustibilem, & præter approximationem sui ad eam, elicit combustionem, qua materiam combustibilem consumit.

[3. Causa emanativa dividi solet in internam & externam: interna dicitur, quæ est in eodem subjecto, in quo est effectum emanans; ut anima rationalis est in eodem homine, in quo est potentia intelligendi: externa dicitur, quæ est in alio subjecto quam in quo est effectum emanans; sic interpositio terræ inter solem & lunam, causa emanativa eclipseos, non est in luna, in qua ut subjecto est eclipsis tanquam effectum emanans.]

Quæst. VI. *Quid est causa activa?*

Quæ effectum producit agendo. Sic ignis est causa caloris externi [quem in alio producit] in eo qui calefit.

[1. Cum & actio ipsa, & effectum actione productum, sit ab efficiente, verbi causa, & calefactio, & calor in aqua productus, ab igne, difficilima est quæstio, qualis causa sit efficiens respectu actionis, ignis verbi causa respectu calefactionis, an activa, an inactiva. Quin sit causa activa caloris in aqua producti, nullum est dubium; sed qualis sit causa efficiens respectu caletactionis, non facile est dictu. Nam si calefactionis est causa activa, oportet dari aliquam aliam actionem, qua mediante ista caletactio sit producta ab igne, & sic ibitur in infinitum, quod est absurdum: si sit causa ejus emanativa, ergo calefactio nunquam poterit tolli ab igne, quia causa emanativa & effectum se mutuo ponunt; sed poni potest ignis, non posita caletactione, quod exemplo ignis in fornace Babylonica nec calefacientis, nedum comburentis injectos juvenes, probari solet: aut danda sic erit tertia species causæ efficientis, quæ nec sit activa nec emanativa, Resp. non necesse est, ut detur tertium genus causæ efficientis, nec ignem caletactionis esse causam activam, nec ullam causam efficientem esse causam activam suæ actionis, sed emanativam: si dicas, effectum non posse tolli à causa emanativa, & actionem posse tolli, non sublata causa efficiente, concedo prius, nego posterius: nam neque caletactio, neque combustio ablata fuit ab igne in fornace Babylonica, licet injectos juvenes illos nec calefecerit, nec combusserit; nam quomodo non tantum calefacere, sed adurere potuisset circumstantes iste ignis, quod refertur Danielis capite

capite tertio, si sublata fuisset vel calefactio, vel combustio? Quid igitur, quæ causa est, quod non sint calefacti vel combusti isti juvenes? Respond. causam esse, non actionem sublatam vel calefaciendi vel comburendi, sed impeditum à Deo positum in ipsis corporibus juvenum injectorum, quo minus & calefactio & combustio potuerint illa consumere.]

2. *Causa activa* præter existentiam, habet virtutem qua effecti productionem juvet & promoveat, quæ est distincta ab ejus essentia & existentia; quemadmodum calefactio est distincta ab essentia & existentia ignis calefacientis.

3. Ex generali definitione causæ, constat, tria esse consideranda: ipsam causam quæ causat; vim, sive virtutem, sive causalitatem qua causat; & rem, sive causatum quod à causa per causalitatem producitur. Hæc tria plerumque sunt distincta inter se, non tamen semper. Causa quidem & causatum semper distinguuntur; sed causalitas, seu vis ac virtus causandi, non semper distinguitur ab ipsa causa, sive ejus existentia: sicuti hoc patet in causa emanativa, ubi tantum duo reperiuntur, ipsa causa & causatum; causalitas vero nullo modo distinguitur ab ipsa causæ existentia, sed simul atque hæc causa existit, eodem momento existit causatum. Sed longe secus res se habet in causa activa, ubi tria sunt distinctissima, causa, causalitas, causatum: neque ista causa posita in existendo, statim sequitur existere causatum; sed causa diu potest fuisse in rerum natura, ut tamen non exstiterit causatum. Exemplum utriusque est in igne, à quo proficiscitur calor duplex; unus igni internus, atque in eo manens, qui est ignis proprietas, & ab eo nunquam separatur; alius igni externus, qui ab igne extra se producitur in corpore alio, & non proprietas est ejus, sed effectus caloris interni, qui proprietas ignis est. Caloris interni, ignis est causa emanativa; externi, activa: ratio est, quia simul atque ignis existit, ipso illo instanti existit calor, qui internus est igni, & ejus proprietas; nam subjectum & proprium ne ad momentum quidem à se invicem separari possunt, ideoque hic nulla est causalitas distincta ab existentia ignis, qua calorem sibi internum producat: verum calorem externum producit ignis in aqua per causalitatem, scil. calefactionem, tanquam actionem mediam, distinctam à sui ipsius existentia; neque enim statim atque ignis existit, eo ipso temporis articulo calorem producit in aqua; potest enim diu in rerum natura existere ignis, ut non calefaciat aquam. Itaque totum discrimen inter utramque causam hanc, emanativam & activam, consistit in voce *immediate*, quæ in causa emanativa excludit omnia media, quæcunque cogitari possunt: sed causa activa admittit inter se & causatum mediam actionem, distinctam à se & causato; quemadmodum generatio est distincta à patre generante, & filio genito. Atque hinc oritur, quod dicamus vulgo, causa emanativa & causatum se mutuo ponunt

ponunt & tollunt, &, posita causa emanativa ponitur causatum : quod neutrum verum est de activa ; neque enim hic causa & effectum reciprocantur.

Quæst. VII. *Quæ est secunda divisio ?*

Causa efficiens vel est immanens, vel transiens.

Quæst. VIII. *Quæ est causa immanens ?*

Quæ producit effectum in seipsa. Sic dicitur intellectus causa suorum conceptuum.

1. Vocatur *causa immanens* clarius, quando effectum & causa sunt in eodem subjecto, scil. inhæsionis ; quemadmodum intellectus & conceptus, id est, species intelligibilis qua intellectus intellexit, sunt in eadem anima rationali.

[2. Non est confundenda causa immanens cum emanativa : nam omnis quidem causa emanativa interna est immanens, sed non omnis immanens est emanativa ; datur enim causa activa immanens, nempe intellectus est causa & activa & immanens : sunt enim hic tria ; intellectus, causa ; intellectio, actio ; species intelligibilis in intellectu manens, causatum.]

[3. A multis hæc duo solent confundi, causa immanens & emanativa, sed pessime ; nam datur causa immanens quæ non sit emanativa, sed activa : sic ut hæc duo debeant distingui, Omnis causa emanativa est immanens, sed non omnis causa immanens est emanativa : nam in causa emanativa tantum duo sunt, causa, & causatum ; in activa, tria sunt, causa, causalitas, & causatum : at hæc tria inveniuntur sæpe in causa immanente ; sic intellectus est causa, intellectio, causalitas, species intelligibilis, aliis idea, aliis verbum mentis, est causatum, & tamen intellectus est causa immanens.]

Quæst. IX. *Quæ transiens ?*

Quæ producit effectum extra se. Sic architectus est causa domus ; qui projicit, causa projecti lapidis.

1. *Causa transiens* dicitur quando effectum extra efficientem abit, sic domus est extra architectum.

[2. Circa causam transeuntem duo sunt observanda. Primum est, ut causa transiens causatum attingat, vel sua existentia

tia sive suppositо, sicuti aqua abluens manum tali modo attingit manum; vel virtute sive causalitate, quemadmodum ignis tali modo attingit manum, eam calefaciendo, sol aërem, eum illuminando; neque enim ipsum corpus ignis manum, aut corpus solis aërem attingit, sed utriusque tantum virtus, in igne calefaciendi, in sole illuminandi, pertingit vel ad manum, vel aërem: hinc natum est illud axioma, *Nihil agit in distans*, id est, in illud quod tam longe à se est remotum, ut neque sua existentia neque virtute attingere valeat. Alterum requisitum in causa transeunte est, ut illa sit dissimilis patienti, vel quoad speciem, vel quoad gradum: sic frigus agit in calorem, ubi est distinctio speciei; vel major calor in minorem, ubi est distinctio graduum.]

[3. Acris est disputatio inter philosophos, utrum aliquid agere possit in distans, id est, an possit agens agendo attingere terminum à se remotum & distantem, sic, ut neque existentia agentis, neque virtus ad illum pertingat. Resp. quod non: nam si objectum eo usque removeatur ac distet ab agente, ut neque existentia, neque virtus agentis eo pertingat nulla dabitur actio: quia in omni actione requiritur ut patiens sive objectum approximetur agenti; atqui nulla erit approximatio, si agens, neque existentia, neque virtute objectum sive patiens attingat.]

Quæst. X. *Quæ est tertia divisio?*

Causa efficiens alia libera est, alia necessaria.

Quæst. XI. *Quænam causæ dicuntur liberæ?*

Quæ consulto [id est, ex judicio rationis] causant. Sic, qui pro arbitratu suo ambulat, domum struit, bella gerit, aut aliud aliquid agit, dicitur causa libera istarum rerum quas efficit.

[1. *Consulto causare)* est agere ex prævio consilio ac rationis judicio; quo modo agunt tantum causæ rationales, ut Deus, angeli & animæ rationales. Deus agit ex prævia ratione, non ex consilio proprie, quia non consultat: homines agunt interdum ex prævio judicio simpliciter, ut dum appetunt finem ultimum; interdum ex præcedenti consilio, cum versantur circa media indifferentia, quæ non necessario cum fine ultimo cohærent. Aliæ omnes causæ agunt necessitate naturæ, a qua instigantur, quia ante actionem non ineunt rationem, an velint agere aut non agere, sed naturæ instinctu ad actionem proruunt: neque enim deliberat ignis, an velit urere, neque etiam judicat sibi esse urendum, quia ratione caret. Necessitas naturæ

naturæ dicitur, quæ oritur ab alio principio quam voluntas. Libertas, quæ causam denominat *liberam*, est potestas faciendi quod libet; hoc vero libet quod rationi placet; illud rationi placet, quod post consultationem vel rationem initam, ab illa judicatur esse faciendum: itaque esse causam liberam, tantum cadit in agentia ex ratione, aut prævia consultatione. Deus quidem non consultat; nam hoc aliquam imperfectionem, puta, vel ignorantiam, vel dubitationem, in ipso poneret; attamen agit ex ratione, atque omnia facit ex consilio voluntatis suæ, *ad Eph.* 1. nam sapienter omnia fecit, facitque. Præter Deum, non tantum ex ratione, sed & ex consultatione prævia agunt homines. An & consultent angeli, multum disputari solet: videtur tamen, cum non omnia sciant, in illos cadere consultatio; agunt saltem ex præcedaneo rationis judicio. In homine vero sunt duûm generum actiones; quædam sunt ipsi communes cum rebus aliis, quædam homini propriæ. Quæ sunt prioris generis, circa eas interdum est causa libera, interdum necessaria: verbi causa quod crescat, quod nutriatur, quod bene vel male valeat, quod vitam suam ad certum tempus perducat & non ultra, &c. horum omnium causa est necessaria; sed quod videat, audiat, appetat, amet, oderit, irascatur, loco se moveat, vigilet, &c. harum actionum est causa libera: exercet autem eas, quia vult, & vult, quia judicat per rationem: non quod ad singulas hujus generis actiones singula explicite ferantur judicia, neque enim ad singulos motus digitorum in clavicymbalo, aut ad singulos motus pedum versus hunc aut illum locum, singula fert judicia homo; sed unum tantum generale elicit, in quo implicite involvuntur judicia specialia ad singulares actiones requisita. Circa actiones vero homini proprias, quales sunt intellectus & voluntatis, homo semper & tantum est causa libera; uti & circa omnes actiones quæ ab intellectus judicio & voluntatis imperio proficiscuntur, uti sunt omnes actiones morales, civiles, domesticæ, familiam regere, rempublicam administrare, unicuique suum tribuere, &c.]

[2. Illa duo sunt accurate discernenda, consilium & judicium rationis. Consilium significat deliberationem; sed multa fiunt absque deliberatione, & tamen libere: appetimus finem ultimum indeliberate, neque enim quisquam deliberat, an velit esse beatus; attamen expetit beatitudinem ex prævio rationis judicio; nam non expetit illam, nisi ut judicaverit illam esse expetendam: ad causam tamen liberam plus requiritur quam judicium rationis, nam requiritur insuper consilium, id est, consultatio seu deliberatio, quæ non cadit nisi circa illa quæ indifferenter se habent, qualia sunt media omnia quæ non necessario cum fine ultimo cohærent. Hinc manifestum est, Deum esse causam liberam, non isto sensu, quasi agat ex consilio, neque enim consultat; sed quia agit ex prævia ratione: nihil enim agit nisi sapienter; at sapientia est aut habitus, aut actus rationis.]

[3. Natura & naturale interdum opponitur violento, interdum voluntati aut voluntario in Ethicis. Dicitur motus hominis delapsi in fossam, quando ex illa extrahitur, motus violentus, quia est contra naturam, principium internum, rei gravis, ut moveatur sursum, & sic ille motus est violentus; sed si spectetur ratione voluntatis ejus qui ex fossa extrahitur, est motus liber, quia vult extrahi: itaque quamvis oriatur à principio externo, scilicet ab extrahente, quia tamen is, qui extrahitur vult extrahi, est motus non necessarius, sed liber.]

[4. Verissimum est, quod omnem actionem voluntatis præcedat aliquod rationis judicium, sed illud est vel explicitum, vel implicitum: explicitum vocatur illud quod fertur in actionibus deliberatis; implicitum dicitur illud quod non quidem ad singulas actiones instituitur, sed quod in genere fertur, & in quo involvuntur atque implicantur judicia singularia, de actione hac aut illa instituenda.]

Quæst. XII. *Quænam dicuntur necessariæ?*

Quæ causant necessitate naturæ. Sic lapis descendens, ignis ascendens, aut urens materiam idoneam, dicitur causa necessaria motus; aut ustionis.

[1. *Necessitas naturæ*) vocatur, qua corpus aliquod naturale ex instinctu naturæ agit, sine prævia deliberatione aut consultatione, aut rationis judicio, quo modo lapis necessario tendit deorsum: & distinguitur à necessitate coactionis, quæ est à principio externo cogente, ut cum fur necessario ascendit ad patibulum; & à necessitate determinationis, quæ vel à Deo omnia agentia determinante, quo sensu omnia fiunt necessario quæ fiunt, quia Deus decrevit ea fore, & causas secundas in tempore applicat atque determinat ad ea facienda; vel ab intellectus judicio determinante voluntatem hominis, quo sensu homo appetit necessario summum bonum, quia intellectus judicat illud esse appetendum, & ad illud voluntatem determinat. Prima sola necessitas, puta *naturæ*, libertatem tollit, non item reliquæ. Necessitas actionis libertatem non tollit, quia voluntas cogi non potest, & omnis coactio est in actibus imperatis. Necessitas determinationis libertatem non tollit, quia non tollit voluntatem agentis; nam voluntas consentit in agendo; igitur nec Deus, nec intellectus, determinando voluntatem hominis, hoc efficit, ut homo agens id ad quod determinatur, agat illud contra voluntatem.]

[2. Vox *necessitas* multis modis sumitur: interdum oritur à principio interno, interdum ab externo. Necessitas quæ hic intelligitur est à principio interno, quod est ipsa natura, vel materia, vel forma rei. Necessitas quæ oritur à principio externo, libertatem non tollit. Dicitur autem principium externum, quæcunque conditio posita extra ipsam causam, quæ agit necessario;

necessario: illa vero conditio vel antecedit, vel concomitatur, vel sequitur causam, quæ agit necessario. Quæ conditio antecedit, est vel decretum Dei, vel præscientia ejus, vel concursus prævius: quæ conditio concomitatur causam necessariam, est concursus Dei simultaneus; nam eo præsente, non potest non fieri, quin causa agat, unde etiam vocatur necessitas temporis præsentis: quæ conditio sequitur causam necessariam, ea facit necessitatem finis; sic necesse est aliquem studere, si velit eruditionem. Omnes autem hæ conditiones, sive præcedant, sive concomitentur, sive sequantur causam necessariam, optime consprant cum causa libera: nam nulla earum libertatem tollit, uti quidem facit necessitas interna, quæ ideo vocatur necessitas naturæ; quia natura est principium internum. Quod necessitas actionis dicatur libertatem tollere, id intelligendum est de actibus imperatis, sed non elicitis: vocantur autem actus imperati, qui à facultatibus inferioribus ex imperio intellectus instituuntur; sic videre, & omnes actiones sensuum externorum sunt imperatæ, quia videmus & sentimus quando volumus, & volumus quando judicamus: actus vero eliciti, sunt ipsum judicium & imperium voluntatis, in quæ non cadit coactio; neque enim cogi potest, ut aliter judicet quam judicat, neque voluntas, ut aliud velit quam vult.]

[3. Præter hominem, angelos, & Deum, reliquæ omnes, causæ sunt necessariæ. Necessitas autem alia est interna, in ipsis causis, quæ agunt necessario; alia est externa, & aliunde in causas, quæ agunt necessario, derivata. Intelligitur hic prior, quæ vocatur naturæ necessitas (natura enim est principium agendi internum) non vero posterior, qualis est necessitas coactionis & determinationis divinæ: nam cum quis agit quippiam necessario coactus, id quod ipsum cogit, extra illum est; ita carnifex extra furem est, qui ab eo cogitur ascendere, & coactus ascendit necessario scalas ad patibulum; sic & cum homo agit necessario necessitate determinationis divinæ, uti quando agit illa quæ & Deus decrevit & præscivit, ut ageret, & qui ad agendum ipsum determinat, illa quoque necessitas est à principio extra hominem; neque enim provenit à natura hominis, quæ ipsum ad hoc agendum tantum determinet, quod agit ex necessitate decreti, præscientiæ, ac determinationis divinæ, quia sic auferretur ab ipso potestas non agendi, vel aliud agendi, quod non fit: ideoque, nec necessitas hæc neque prior impedit, quo minus homo sit & maneat causa libera istarum actionum quas agit, coactus ac determinatus à Deo. Sed, neque hic intelligitur necessitas determinationis factæ à judicio intellectus humani ultimo, licet sit interna homini, quia externa adhuc est ipsi actioni, quam homo ex illo prævio judicio instituit: ut cum quis proficiscitur Hagam aut Amstelodamum, quia judicat pro ratione rerum suarum, omnibus expensis circumstantiis, illud esse faciendum, is, postquam

judicium illud latum est, necessario iter suscipit; non tamen naturæ necessitate, neque enim naturali instinctu determinatur ad hanc actionem; tantum habet enim & servat, etiam cum nunc iter facit, potestatem non faciendi iter, seu illud alio instituendi quam Hagam versus aut Amstelodamum. Sed causæ necessariæ non habent potestatem ullam aut non agendi, aut agendi aliud, quam hoc ipsum quod agunt: ut ignis non habet potestatem frigefaciendi, aut non calefaciendi, cum omnia ad calefaciendum sunt requisita, neque unquam deliberat an calefacere velit; sed talem accipit naturam, ut non possit non calefacere, atque ideo dicitur calefacere necessitate naturæ.]

[4. Causæ liberæ libertas consistit in simultate potentiæ, sed non in potentia simultatis: hoc est, causa libera agit libere, etiamsi non possit non agere hoc quod agit, quia habet potestatem & non agendi, & agendi aliud, quam quod agit, in sensu scilicet & tempore diviso; sed non habet causa libera talem potestatem, qua simul agat & non agat, nam hæc potentia simultatis contradictionem implicat; fieri enim nequit, ut aliquod agens simul & agat & non agat, ideoque illa potentia simultatis nullo modo cadit in causam liberam.]

[5. Intellectus, ejusque judicium, est quidem internum homini, quia est intra hominem: est tamen externum actioni imperatæ, quæ ab homine exercetur: verbi causa, quando aliquis judicat, esse huc aut illuc eundum, illud judicium est quidem intra hominem judicantem, & sic ei est internum; attamen externum est respectu ejus abitionis.]

Quæst. XIII. *Quæ est quarta divisio?*

Causa efficiens alia est per se, alia per accidens.

Quæst. XIV. *Quid est causa per se?*

Quæ producit effectum naturæ suæ, aut consilio consentaneum.

1. *Causa per se* producit effectum *consilio* suo *consentaneum*, cum est causa libera; & *naturæ suæ* conveniens, cum est necessaria.

Quæst. XV. *Quid causa per accidens?*

Quæ effectum producit præter consilium, aut naturæ suæ propensionem.

1. *Causa per accidens præter consilium producit effectum*) quando est libera; & præter *naturæ suæ propensionem*, quando est necessaria.

Quæst.

Quæst. XVI. *Explica rem exemplis.*

Cum piscator pisces capit, dicitur causa per se capturæ piscium; cum extrahit aureum tripodem, dicitur causa per accidens: illud enim propositum erat, hoc evenit præter consilium. Similiter, cum animal sibi simile generat, dicitur causa per se generati animalis; cum generat monstrum, dicitur causa per accidens: quia hoc accidit præter propensionem naturalem animalis. Dicitur etiam alio modo causa per accidens: sed vide hac de re Institutiones nostras.

1. Hæc divisio, intelligenda est de causis creatis & secundis, non de prima & increata, scilicet, Deo; nihil enim fit præter Dei intentionem aut consilium: hoc enim si esset, aliquid fieret præter Dei vel scientiam vel voluntatem, quod utrumque in Deo arguit imperfectionem; quicquid enim fit, id Deus & decrevit ut fieret, & scivit fore, antequam fiat: bonum quidem decrevit & scivit fore, sic, ut ipse illud cum creatura faceret; malum vero sic decrevit & scivit fore, ut non faceret, sed ut permitteret tantum fieri à creaturis: & sic Deus nullius, seu rei, seu actionis, est causa per accidens. Mala quidem fiunt contra voluntatem Dei revelatam: hoc est, contra ipsius legem; sed non præter voluntatem Dei decernentem: sic enim mala eximerentur providentiæ divinæ, quod impium est.

2. Vulgaris est distinctio, apud metaphysicos & theologos, voluntatis divinæ, in voluntatem signi & beneplaciti: priorem vocant revelatam, posteriorem occultam. Voluntas signi aut revelata, dicitur illa, qua Deus significat quid fieri velit ab homine; ac mélius diceretur signum voluntatis divinæ: ad hanc pertinent omnes leges verbo Dei expressæ; & contra hanc voluntatem Dei multa fiunt, quando, scilicet, homo illa facit quæ Deus vetat, aut illa non facit quæ Deus jubet. Sed voluntas Dei arcana illa dicitur, qua Deus omnia decrevit aut ipse facere, aut permittere ut fiant ab homine. Decrevit, facit, & ipse facit, ea quæ sunt bona: at mala decrevit quidem ut fierent; non tamen se efficiente, sed permittente tantum: & contra hanc voluntatem arcanam, occultam, decernentem, aut beneplaciti, nihil fit, nec præter eam aliquid fit. Si enim aliquid fieret, sive bonum sive malum, aut præter, aut contra eam, tum aliquid fieret præter Dei intentionem: atqui illud diceret aliquam imperfectionem in Deo. Si roges, an hac voluntate Deus voluerit aut ordinaverit mala culpæ, seu peccata; Resp. omnino, quia novit ex malis bonum elicere: sunt enim peccata ipsi medium illustrandæ, tum misericordiæ in condonando, tum justitiæ in puniendo: si enim peccata permittere non decrevit, non potuisset aut misericordiam suam aut justitiam patefacere.

Quæst. XVII. *Quæ est quinta divisio?*

Causa efficiens alia est principalis; alia minus principalis.

1. *Causa principalis)* dividitur in univocam & æquivocam. Causa univoca est, quando causa & effectus sunt ejusdem speciei; ut, cum calor efficit calorem, aut mus generat murem, &c. Causa æquivoca est, quando causa & effectus sunt diversæ speciei; veluti cum sol producit mures ex putri materia.

[2. Causa univoca vulgo dicitur effectum suum continere formaliter, quia eadem forma est causæ, quæ est effecti; sic eadem forma est anima sentiens muris gignentis quæ est muris geniti. Causa vero æquivoca dicitur effectum suum continere eminenter; quia licet non habeat formam eandem quæ est effecti, habet tamen in se virtutem aliquam eminentem, qua forma effecti productionem attingat: sic licet sol non sit animatus, animæ tamen tum vegetantis tum sentientis productionem, tum in plantis tum in brutis, attingit sua virtute, qua influit in productionem omnium effectorum subcœlestium.]

Quæst. XVIII. *Quam vocas principalem?*

Quæ sua virtute effectum producit.

1. *Principalis causa*, dicitur sua virtute effectum producere, id est, non tantum virtute quæ in se existit, sed & quæ, nulla causæ secundæ alterius virtute eget ad causati productionem: sicut, ex oppositio, causa dicitur minus principalis, quæ eget præsentia & virtute alterius causæ secundæ. Dico notanter *alterius causæ secundæ*; quia causa secunda, sive principalis sive minus principalis, eget virtute causæ primæ ad operandum: in Deo enim non tantum sumus & vivimus, sed & movemur.

2. Vocula ista *sua* significat non tantum aliquem agendi virtutem inesse causæ principali, nam & illa inest instrumentis singulis, sua, cultro scindendi, penicillo pingendi, calamo scribendi, &c. nec tantum notat, causas principales habere virtutem sibi propriam, licet dependentem à Deo; sed significat, virtutem causæ principalis non dependere à virtute alterius causæ secundæ: cujus contrarium videre est in causis instrumentalibus, quæ licet habeant in sese virtutem existentem, atque etiam dependentem à Deo; insuper dependent à virtute causæ alterius secundæ, sine cujus præsentia & auxilio operari non possunt: quemadmodum nec culter scindere, nec calamus scribere potest, etsi habeant virtutes in se & scindendi & scribendi, nisi insuper, præter Dei concursum, applicentur atque adjuventur à manu scindentis, scribentis, causæ secundæ.

[3. Er-

[3. Errant, qui causam principalem definiunt, quæ virtute independenti effectum producit: sic enim solus Deus foret causa principalis, utpote cujus virtus à nullo dependet; & ceteræ omnes forent causæ instrumentales, aut minus principales, quia virtutem habent dependentem à Deo: atqui hoc absurdum est, ut nulla creatura sit causa principalis actionis suæ, & effecti: ideoque ad rationem principalis sufficit, ut habeat virtutem non dependentem ab alia causa secunda, licet omnis creaturæ virtus dependeat à causa prima, nempe Deo.]

Quæst. XIX. *Quam minus principalem?*

Quæ principali causæ inservit ad effectum producendum.

Quæst. XX. *Quotuplex est causa minus principalis?*

Triplex; causa procatarctica, causa proegumena, & instrumentum.

Quæst. XXI. *Quam vocas causam procatarcticam?*

Quæ causam principalem efficientem extrinsecus incitat ad agendum.

1. Ad *causam procatarcticam* referri quoque debet objectum, quando movet potentias cognoscentes, intellectum aut sensum; ut cum color movet visum ad videndum: nam quando movet potentiam appetentem, referri debet ad finem; ut cum bonum, scilicet, esca, movet voluntatem ad sui appetitionem.

2. Objectum est vel terminativum, vel motivum. Priori modo dicitur, quatenus est terminus actionis cujuscunque, & sic pertinet ad adjunctum; sic tabula est objectum pictoris, in quantum pingendo terminatur in tabulam. Motivum dicitur, quatenus non tantum terminat actionem agentis, sed movet insuper agentem ad operandum: atque tum refertur vel ad causam efficientem, cum illud movet potentias cognoscentes, sic dicimus vulgo; *objecta movent sensus*; vel ad finem, ut cum dicimus, eruditio movet studiosum ad studendum. Primo sensu ut motivum, huc ad causam pertinet procatarcticam.

[3. Objectum motivum nunquam tribui debet Deo; nam ille à nullo objecto extra vel impellitur, vel incitatur, vel movetur ad agendum: at objectum terminativum impune ei tribui potest, sic objectum divinæ creationis est hic mundus; quia creando in ipsum terminatur.]

4. *Causæ procatarcticæ* quoque species est causa moralis, quæ agit suadendo vel dissuadendo: sic causa moralis lapsus primorum parentum fuit serpens, aut diabolus.

5. Recepta est divisio causæ efficientis in physicam & moralem. Physica dicitur, quæ reali & naturali virtute effectum producit, ut ignis calorem: moralis dicitur, quæ vel activa applicat passivis; ut si quis ignem sumat, & admoveat tecto stramineo, est causa combustionis, non physica, quasi ipse sua virtute naturali ædes comburat, sed moralis, quia ignem, principium activum combustionis, applicat tecto stramineo, principio combustionis passivo; vel quæ agit hortando & dehortando, & per rationes motivas, ut David fuit causa moralis occisi Uriæ; non quod physice sua naturali virtute ipsum occiderit, sed quia hortatus est Joabum, ut ipsum collocaret in prima acie: & sic dicunt jurisconsulti, quod quis per alium facit, per se ipsum facere censetur: posteriori modo huc pertinet.]

[6. Utilissima est divisio causæ efficientis in physicam & moralem, circa arduam quæstionem de conversione hominis ad Deum: nam quæri hic solet, sitne Deus causa moralis, an physica conversionis nostræ, hoc est, an Deus tantum proponat media, ut hortationes, monita, consilia, de nobis convertendis, an vero ipsam conversionem in nobis operetur, posterior sententia vera est: neque enim Deus tantum nos hortatur, ut nos convertamus; sed ipse nos convertit, intellectum illuminando, voluntatem renovando; nam operatur in nobis, & velle, & perficere.]

Quæst. XXII. *Quam proegumenam?*

Quæ causam principalem intus disponit, vel etiam proritat ad agendum.

1. *Causa* proegumena bonarum & malarum actionum, sunt affectus boni vel mali: quemadmodum bonæ vel malæ valetudinis causa proegumena, est bona vel mala corporis temperatura.

Quæst. XXIII. *Quid est instrumentum?*

Quod causæ principali in ipsa rei effectione subservit.

1. Melius definitur quod à causa principali secunda adjuvatur, elevatur, applicatur ad effectum, quod sola attingere non valet: neque enim calamus ex se solus scribere potest, nisi à manu ad scribendum adhibeatur ac promoveatur.

2. Notandum est, omne instrumentum producere effectum se nobilius, & quod se solo attingere nequit: causa vero principalis effectum producit, vel se ignobilius, vel sibi par atque æquale.

3. Causæ instrumentali sua quoque inest virtus qua operatur, quæ in diversis instrumentis est diversa; in cultro ad scindendum, in securi ad findendum: nulla tamen ex se sola est sufficiens ad effecti productionem, sed, præter influxum causæ primæ, indiget adjumento alterius causæ secundæ, à quo ad operandum applicetur. At principalis solius causæ primæ influxu eget.

Quæst.

Quæst. XXIV. *Declara hanc divisionem exemplo.*

Causa principalis ædificii, est architectus sive faber; causa procatarctica, merces, aut is qui mercedem pollicetur; causa proegumena, lucri cupiditas; instrumenta, ferra, securis, &c.

Quæst. XXV. *Quæ est sexta divisio?*

Causa efficiens, vel est prima, vel secunda.

Quæst. XXVI. *Quæ causa dicitur prima?*

Quæ non pendet à causa priore. Estque vel absolute prima, [qua non datur prior in universum] ut, *Deus*; vel prima in suo genere [creaturarum, qua datur prior in alio genere entis increati] ut, *cœlum, anima.* Deus enim est prima causa omnium rerum: cœlum est prima causa motuum ac mutationum naturalium & animalium; anima prima causa operationum vitalium; non absolute, sed in genere causarum naturalium.

1. Causa secunda seu inferior, *pendet à prima* seu superiori tribus modis; vel quoad entitatem, id est, essentiam & existentiam, vel quoad causalitatem, vel quoad utrumque. Primus modus est, cum causa prima largitur secundæ quod sit; secundus modus, cum ei largitur quod operetur; tertius modus, cum illi largitur utrumque: filius dependet à patre primo modo; calamus in scribendo à manu, secundo modo; creatura à Deo, tertio modo.

2. Quia nulla creatura potest seipsam producere, in tantum dependet à causa prima, quæ facit illam omnem esse: sed nulla quoque creatura potest seipsam traducere in actum, & potentiam agendi, sic, ut postea operetur, cum ante non operaretur; in Deo enim & ab eo omnia moventur, quia facit ut omnis creatura se moveat, eam præmovendo: sed nec creatura potest seipsam in suo esse, quod accepit à Deo, vel ad momentum conservare: ideoque non tantum quod sit, & quod operetur, Deo debet; sed etiam quod duret ac perseveret. Et hæc est triplex creaturæ indigentia, quæ indicatur commentario ultimo hujus quæstionis.

3. Causa *absolute prima* definitur, *qua in universum* aut totum, *nulla datur prior: in suo genere prima* dicitur, *qua datur alia prior in alio genere* operationum. Sic in genere operationum supernaturalium, aut fidei aut respiscentiæ, & immaterialium, ut intellectionis aut volitionis, datur prior causa cœlo, scilicet ipse Deus.

4. Ma-

4. *Mutationes naturales)* vocantur, quæ non pendent a voluntate hominis, sed à natura, prout opponitur voluntati rei cujusque per certas causas operantis: ut, quod planta crescat vel exarescat, est operatio plantæ naturalis; item quod sol ab oriente moveatur in occidentem, est actio naturalis solis.

5. Natura interdum opponitur arti, interdum vi, interdum voluntati. Primo modo corpus naturale distinguitur ab artificiali: estque illud, quod producitur ab agente naturali, quo modo producitur planta; hoc, quod ab artificiali, quo modo domus producitur ab architecto. Secundo modo motus dividitur in naturalem & violentum: priori sensu dicitur, qui oritur à principio interno, scilicet forma, ut cum lapis naturaliter, sponte sua, movetur deorsum; posteriori sensu dicitur, qui oritur à principio externo, ut cum lapis movetur sursum, à manu projicientis. Tertio modo dicitur causa agens necessitate naturæ, naturalis; & causa libera, voluntaria: uti hoc explicatum est quæstione hujus capitis duodecima: atque hoc tertio sensu hic sumitur, ut *mutatio naturalis* dicatur omnis motus qui producitur ab ulla causa, quacunque demum, præter voluntatem hominis.]

6. *Mutationes* sive actiones *materiales)* sunt, quæ proficiscuntur a corporibus, scilicet ab anima vegetante & sentiente, formis corporum materialibus; ut sunt, ambulare; videre, crescere, &c. immateriales sunt, quæ proficiscuntur ab anima immaterali, scilicet rationali, ut intelligere, velle: harum actionum causa non est cœlum, quod non influit in voluntatem aut intellectum hominis.

7. *Operationes vitales)* dicuntur, quæ proficiscuntur à principio vitæ, id est, anima: ut nutriri, sentire, ratiocinari: contra, descendere deorsum in lapide est actio non vitalis, quia lapis non habet animam qua vivat.

8. Actio *Dei*, ut causæ primæ, est vel creatio, qua omnia dependent à Deo, dum sunt; vel conservatio, qua creaturæ dependent à Deo, dum fiunt; vel concursus sive cooperatio, qua causæ secundæ dependent à Deo, dum operantur.

9. Triplex est creaturæ omnis indigentia, ob quam triplici modo dependet à Deo: primum, nulla creatura potest seipsam producere, nihil enim est causa sui ipsius; ideoque indiget alio à quo producatur, qui est Deus; deinde, nulla creatura potest seipsam vel ad momentum temporis conservare, si enim posset ad unum momentum, cur non ad plura? si ad plura, cur non ad aliquod tempus? si ad aliquod tempus, cur non in æternum hoc præstare valeat? ideoque indiget alio à quo conservetur, qui iterum est Deus; sed & nulla creatura est primum sui movens, ideoque indiget alio à quo ad agendum, cum ante non ageret, applicetur, &, ut loquuntur, à potentia ad actum traducatur, qui iterum non est alius quam Deus. Primus modus dependentiæ creaturarum à Deo dicitur creatio, secundus conservatio, tertius cooperatio sive concursus. [Creatio immediata est, cum aliqua res producitur

citur & ex nihilo subjecti, & ex nihilo termini: creatio mediata est, cum aliquid producitur ex nihilo termini, non subjecti.]

[10. Creatio immediata fit ex nihilo subjecti, quando ipsum subjectum creatione producitur (dicitur aliis fieri ex nihilo materiæ;) sic Deus creavit cœlum & terram immediata, quia nullum subjectum sive materia, utriusque creationem præcessit: at creatio sit mediata, cum eam præcedit aliquod subjectum sive materia, attamen nihil præcedit ipsius termini ad quem creandi, in materia aut subjecto: unde dicitur ista creatio fieri ex nihilo termini, vel sui, vel rei creandæ; quo modo creatus est Adam, cujus creationem præcessit gleba terræ, tanquam materia & subjectum creationis ejus, attamen nihil Adami creandi inerat in ista gleba terræ.]

Quæst. XXVII. *Quænam dicuntur causæ secundæ?*

Quæ pendent ab aliqua priore causa: idque vel à causa absolute prima (sic omnes *causæ creatæ* secundæ causæ dicuntur;) vel etiam à causa priore in suo genere; sic *instrumentum* dicitur causa secunda respectu causæ principalis.

Quæst. XXVIII. *Quæ est septima divisio?*

Causa efficiens alia est universalis, alia particularis.

Quæst. XXIX. *Quid est causa universalis?*

Quæ, eadem efficientia cum aliis causis concurrit ad plura specie effecta; ut, *cælum.*

1. *Causa universalis* dicitur concurrere ad plura effecta, quia concurrit ad plures species effectorum; sicut *cælum* concurrit ad productionem viventium & non-viventium. Per *efficientiam* intelligitur virtus aut causalitas efficientis.

Quæst. XXX. *Quid particularis?*

Quæ sua efficientia tantum unum [non numero, sed specie] effectum producit; ut, *natura cujusque rei naturalis.*

1. *Particularis causa effectum producit tantum unum, non numero, sed specie:* ita *pater* est causa particularis, licet pater producat plures numero *filios*, quia tantum producit homines, & non alias species corporum naturalium; sic ignis tantum producit calorem & non frigus, &c.

[2. Quando

[2. Quando causa universalis & particularis concurrunt ad eundem numero effectum, denominatur effectus tamen à causa particulari tantum, non ab universali; quia particularis ad istum effectum solum, universalis ad plura aliarum specierum effecta concurrit: ideoque licet Deus, ut causa universalis, & homo, ut particularis, concurrant ad ambulandum, item Deus & ignis ad comburendum; non tamen Deus dicitur ambulare aut comburere, sed homo ambulare, & ignis comburere, quia homo tantum ambulat, ignis tantum urit, nec homo ad urendum, nec ignis ad ambulandum concurrit: sed Deus & ad ambulationem hominis, & ad ustionem ignis, & ad omnes causarum actiones, eadem efficientia concurrit.]

[3. Hoc commentario vera ratio indicatur, cur, cum causa universalis, ut Deus, concurrat ad omnes omnino actiones omnium causarum, non tamen ab iis denominetur, neque enim dicitur, aut ambulare cum homine, aut urere cum igne. Alii hanc causam dant, quia Deus, causa universalis, non potest informari ab ambulatione & ustione, ut quidem homo ambulans & ignis urens ab illis informantur, sed hæc ratio non tam est solida, quia valde improprie homo ambulans, & ignis urens, dicuntur à suis actionibus informari.]

Quæst. XXXI. *Quæ denique est octava & ultima divisio?*

Causa efficiens alia est proxima, alia remota.

Quæst. XXXII. *Quænam dicitur proxima?*

Quæ effectum producit immediate, sive, quæ ipsa cum effecto conjungitur; vel ratione existentiæ suæ, vel ratione virtutis, vel ratione utriusque. Quarum, quæ sua existencia cum effecto conjungitur sine ulla virtute media, speciali appellatione *proxima* dicitur, [estque sola emanativa.]

Causa dicitur duobus modis *proxima*.

[1. Vel absolute, inter quam & effectum nihil intercedit medium, nec causa alia alterius, nec causa ejusdem ordinis aut speciei, nec causalitas virtus agendi, nec conditio ad causandum requisita, uti est approximatio patientis ad agens: & talis est sola causa emanativa, uti anima rationalis respectu potentiæ intelligendi & omnis forma respectu proprietatis.]

[2. Vel dicitur causa proxima in suo genere, inter quam & effectum non intercedit alia causa ejusdem ordinis aut speciei, licet intercedat causa alterius ordinis, causalitas, & conditio ad causandum requisita: sic pater est causa proxima filii, licet ad filii productionem quoque, concurrat mater, sed ut principium passivum, non activum, sicuti pater; licet concurrat semen utriusque, ut instrumentum; licet & ipsa generatio, ut actio; & conditio ad

ad productionem filii requisita. Sensu secundo & posteriori hic in quæst. 32. sumitur *causa proxima.*]

[3. Tres sunt modi, quibus causa aliqua proxima conjungitur effecto: 1. existentia, qualis est sola emanativa, quia inter hanc causam & effectum nulla intercedit alia causa media, nec alia causalitas, nec aliquid quod cogitari potest; sed ipsa existentia causæ, sine ullo medio est ratio producens effectum, ideoque existentia causæ emanativæ & effecti immediate conjunguntur. 2. Causa proxima conjungitur effecto quoad virtutem tantum; sic, ut existentia causæ non conjungatur existentiæ effecti, sed intercedat inter causam & effectum media causalitas atque actio, imo interdum alia causa diversi ordinis, hoc est, vel diversi generis vel diversæ speciei: diversi generis, ut, cum præter efficientem, concurrit materia; diversæ speciei, ut cum præter causam principalem, concurrit instrumentalis ad effecti productionem. 3. Conjungitur causa proxima effecto & existentia & virtute, quando causa sua existentia attingit existentiam effecti, & simul sua virtute. Primi modi exemplum est anima rationalis, causa proxima & emanativa, & risibilitas, effectum; atque hujusmodi causa proxima dicitur causa proxima absolute. Secundi modi exemplum est pater, causa proxima filii, licet intercedat causa proxima alterius ordinis, id est, generis; nimirum in genere causæ materialis, semen utriusque parentis; in genere causæ formalis, anima rationalis: & architectus est causa proxima exstructarum ædium, licet intercedat inter ipsum, ut causam efficientem principalem, & inter ipsas ædes, tanquam effectum, causa alterius ordinis & alterius speciei, scil. instrumentalis, nempe alii fabri, ejus ministri, & serra, securis, malleus, & cætera instrumenta; atque hæc dicitur causa proxima in suo genere. Tertii modi exemplum est Deus, causa proxima omnium operationum & effectuum, & existentia & virtute sua: nam Deus intime conjungitur omnibus causis secundis operantibus, & quoad existentiam, nam quia immensus est, nullibi includitur, nullibi excluditur; & quoad virtutem suam, quia ejus virtus & potentia ad omnia se extendit, est enim omnipotens, juxta versiculum,

Enter, præsenter Deus est, & ubique potenter.]

Quæst. XXXIII. *Quæ remota?*

Quæ effectum producit media causa propinquiore; sive, quæ neque existentia, neque virtute sua cum effecto conjuncta est.

Quæst.

Quæst. XXXIV. *Da exempla.*

Avus est causa remota *nepotis*, *pater est* causa proxima *filii*; sed appellatione generali, causæ emanativæ sunt causæ proximæ; appellatione speciali, causæ proximæ absolute.

1. Sic anima rationalis est causa proxima absolute risibilitatis, & ignis, caloris, qui est in se; quia inter causam hanc utramque & effectum utriusque, nihil intercedit medium, sed utraque causa conjungitur effecto suo, existentia. *Avus* neque existentia, neque virtute attingit productionem *nepotis*, & inter eum & nepotem intercedit *pater*, causa propinquior; ideoque avus est causa remota nepotis: at *pater*, non quidem existentia, sed virtute generandi attingit productionem *filii*, & non intercedit causa propinquior, qualis est *pater*; ideoque est causa proxima *filii*; sed in suo genere.

CAPUT

CAPUT XVIII.

Quæst. I. *Quid est finis?*

FInis est causa, *cujus gratia* res est; hoc est, quæ sui amore incitat causam efficientem ad agendum, & ad consecutionem sui. Sic eruditio dicitur finis studiorum, quia studiosus eruditionis amore impellitur ad studendum. Hic impulsus vocatur *motio metaphorica.*

1. *Finis)* est causa externa, sicut & efficiens. Ejus nota & signum est præpositio *propter*: propter finem enim quodvis causatum producitur. Finis tamen ipse, causatum non attingit immediate, sed media causa efficiente: est enim finis, causati causa, quatenus efficientem movet ad agendum: unde finis causalitas dicitur *motio metaphorica*, quia, sicut metaphora denotat significationem vocis impropriam; sic hæc motio metaphorica finis, respectu causati est motio impropria, quamvis respectu efficientis sit motio propriissima. Ex. causa, inhabitatio refertur ad efficientem, quem movet & impellit ad ædificandum: hic motus & impulsus est verus ac proprie dictus; nam inhabitatio vere ac proprie movet & impellit efficientem ad ædificandum: sed si inhabitatio refertur ad domum, dicitur causalitas ejus (qua domus productionem attingit tanquam finis ejus) motio metaphorica; quia domus productio est ab inhabitatione per efficientem, quem movet, quem impellit.

2. *Finis* dupliciter spectari potest: vel ut intentus, vulgo in intentione; vel ut obtentus, vulgo in executione. Finis intentus dicitur, qui nondum possidetur; sed propter quem possidendum media adhibentur: atque hic solus est causa. Finis obtentus dicitur, qui jam per media est acquisitus, sic ut media non amplius adhibeantur: & ille est effectum, non causa. Sic, verbi causa, sanitas nondum accepta, & intenta ab ægro & medico, est causa propter quam adhibeantur medicamenta: sed cum nunc medicamentorum & medicorum usu est comparata: non amplius est causa propter quam medicamenta adhibentur, nam illa tunc cessant; sed potius est effectum ipsius medici, ab ægro ante, sed nunc sano, obtentum & possessum.

3. Quia omne bonum spectari potest, vel ut intentum ac nondum acquisitum, vel ut obtentum & acquisitum, atque omnis finis bonus est; etiam finis spectatur vel in intentione, vel in executione. Quando autem dicitur omnis finis bonus, id intelligendum est cum gemina distinctione, & finis, & boni, hoc sensu scilicet: omnis finis, vel ultimus vel subordinatus, est bonus vel vere, vel apparenter. Quis sit finis ultimus vel subordinatus,

dinatus, explicatur quæstione tertia ac quarta hujus capitis. Bonum autem verum dicitur, quod tale est quale esse apparet; bonum autem apparens tale non est quale apparet: furtum apparet luri bonum, non tamen est tale; virtus & est, & apparet bona.]

[4. Nullus finis movet efficientem, nisi cognoscatur; non tamen semper cognoscitur ab illa efficiente causa quam movet. Nempe duum generum sunt causæ efficientes: quædam cognoscunt, quædam non item, quæ cognoscunt, vel sensu utuntur vel ratione: sensu, ut bruta; ratione, ut homines, angeli, Deus. Non cognoscunt plantæ & res inanimes, seu simplices, ut cœlum & elementa; seu mixtæ, ut meteora & mineralia: omnes tamen istæ res agunt propter finem cognitum, non à se, sed à Deo, à quo ad finem singulis præfixum per divini numinis providentiam diriguntur. Bruta cognoscunt finem, propter quem agunt, materialiter, non formaliter, hoc est, cognoscunt rem quæ est finis, sed non qua est finis, id est, non cognoscunt rationem & relationem mediorum ad finem, finis ad media; hoc enim altioris est ordinis, quam ut à sensu percipi valeat, atque soli intellectui patet: ideoque homines, angeli, Deus, cognoscunt finem formaliter, hoc est, noc tantum rem quæ est finis, sed & qua est finis, id est, cognoscant rationem & relationem mediorum & finem, & finis ad media.]

[5. Cum finis dicitur movere efficientem, sensus est, quod moveat appetitum efficientis, qui duplex est: unus innatus seu naturalis, qualis est in rebus inanimatis & plantis; alius elicitus, qui iterum est duplex: vel sensitivus, sic dictus, quia eo nihil appetitur, nisi quod sensibus primo fuerit perceptum, & reperitur in brutis; vel rationalis, sic dictus, quia eo nihil appetitur, nisi quod ratione prius fuerit cognitum ac dijudicatum, & reperitur in homine, angelis, Deo, diciturque una voce, *voluntas*. Finis movet appetitum & rationalem in homine, & sensitivum in brutis, & naturalem in rebus omnibus aliis.]

Quæst. II. *Quotuplex est finis?*

Duplex; subordinatus, & ultimus.

1. Est & alia divisio finis, in finem cujus, & cui.

2. *Finis cujus*, est id ipsum quod expetitur; ut, *sanitas* à medico.

3. *Finis cui*, est id in cujus gratiam aliquid expetitur; ut, *æger* respectu medici.

4. *Finis cujus*, est res expetita & intenta: *finis cui*, est persona propter quam & expetitur & intenditur. Finis *cujus*, proprie est causa, & magis quam finis *cui*.

5. In rebus creatis finis *cujus* est ignobilior fine *cui*, & finis *cui* nobilior fine *cujus*; ita *æger* est nobilior *sanitate*: sed cum finis *cujus* est ipse *Deus*, finis *cui homo*, à quo tanquam summum bonum expetitur, finis *cujus* est nobilior fine *cui*; nam *Deus* est nobilior *homine*.

Quæst.

Quæst. III. *Quid est finis subordinatus?*

Qui refertur ad finem ulteriorem, [& vulgo vocatur medium.]

1. *Medium* omne, quia quoque *finis* est, licet *subordinatus*, bonum est; verum non bonitate sua sed bonitate finis ultimi ad quem ordinatur: sic potio amara, quæ est medium recuperandæ sanitatis, per se non est bona, id est jucunda; attamen sit bona, quia bona seu jucunda est valetudo quæ per eam recuperatur.

Quæst. IV. *Quid ultimus?*

Qui non refertur ad ulteriorem.

1. Hoc utrumque intelligendum est de fine spectato in executione, qui vocatur, quando jam post media executioni mandata, est acquisitus, vel per ea etiamnum acquiritur; opponiturque fini in intentione, qui ante actionem efficientis intenditur: sic sanitas in ægro, ante usum medicamentorum, est finis in intentione, quia simplicitur expetitur; sed cum medicamenta usurpantur ab ægro, est finis in executione; quia sanitas jam executioni mandatur.

2. Finis in intentione: vulgo dicitur, qui nondum est obtentus, sed tantum intentus ab efficiente; estque proprie causa, quia propter eum obtinendum agit efficiens. Finis in executione est is qui nunc obtinetur ab efficiente, estque effectum ejus. Priori modo eruditio est finis studiosi, quamdiu eam non possidet: posteriori modo, cum eam jam possidet.

Quæst. V. *Quot modis dicitur finis ultimus?*

Duobus modis. Vel enim finis absolute ultimus est, ut *felicitas*: vel in suo genere; sic *cognitio veritatis* est ultimus finis Logicæ.

1. Cum *felicitas* dicitur *finis ultimus*, intelligi potest vel ultimus in hac vita, vel ultimus post hanc vitam: utroque modo hic intelligi potest.

CAPUT XIX.

Quæst. I. *Quid est subjectum?*

SUbjectum est, cui aliquid præter essentiam [id est extra essentiam, non supra, non contra] adjungitur: [ut essentiam subjecti nec producat, nec constituat, nec ex toto, nec ex parte.]

[1. *Essentia*] hic idem est quod natura: dicturque aliquid vel secundum essentiam aut naturam, vel supra eam, vel contra eam, vel præter eam: quæ quatuor loquendi rationes accurate debent discerni. Illud dicitur *secundum* essentiam aut naturam, quod eam vel producit naturaliter, vel eam constituit: illud dicitur *supra* essentiam aut naturam, quod supernaturali potentia Dei producitur: illud dicitur *contra* essentiam aut naturam, quod illam destruit ac tollit: illud dicitur *præter* essentiam aut naturam, quod ei & productæ & constitutæ supervenit, sive naturaliter sive supernaturaliter, & eam non destruit, sed perficit; in ipsa tamen non includitur, nec ex toto, nec ex parte, & hoc quarto modo dicitur subjecto *præter essentiam* adjungi adjunctum: nam nullum adjunctum essentiam aut naturam sui subjecti producit aut constituit, & nullum in illa includitur, nec ex toto, nec ex parte, quod patet incedenti per omnes subjecti & adjuncti divisiones (unum exemplum adferam pro omnibus: risibilitas adjunctum est hominis, & quidem proprium, quod quidem essentiam ejus immediate sequitur; ei tamen præter essentiam adjungitur, quia nec essentiam hominis producit, nec productam constituit, nec in illa includitur, nec ex toto, ut species in individuo, nec ex parte, ut genus aut differentia in specie) nec est contra naturam hominis, quia eam non destruit, sed perficit: nec supra naturam, quia nulla actione Dei supernaturali homini advenit, sed simul cum homine producitur.

2. *Subjectum)* de quo hic sermo est, distinguendum est à subjecto quod est pars prior in enunciatione: hic opponitur adjuncto; ibi prædicato.

[3. Multa sunt subjecta prædicati, quæ non sunt subjecta adjuncti. De quibus enim aliquid prædicatur *falsò*, ut, homo est lapis; *negatè*, ut homo non est equus; *essentialiter*, id est, ut prædicatum sit vel tota essentia, vel pars essentiæ subjecti, vel aliquid ad eam producendam conferat, ut, *homo est animal, est rationalis, est vivens, est substantia*, &c. ea sunt subjecta quidem prædicati, sed non item subjecta adjuncti: hoc enim est, de quo aliquid vere affirmatur præter essentiam, id est, ut in ejus essentia contineatur, nec eam producat: quod tali modo prædicatur, adjunctum dicitur. Exempli gratia, *hominem esse brevem*,

vem, procerum, doctum, indoctum, non continentur in essentia hominis, nec ex toto, nec ex parte essentiam subjecti constituunt, nec eam producunt, ideoque hæc sunt adjuncta hominis, &, quando de eo enunciantur, simul prædicata: at in prioribus enunciationibus inveniuntur, prædicata non adjuncta; & subjecta in enunciationibus illis sunt subjecta *prædicati prædicationis, denominationis,* aut *axiomatica,* non item *adjuncti, inhæsionis, adhæsionis,* aut *topica.*]

[4. Quantum discriminis est inter thema simplex & complexum, tantum quoque est inter subjectum quod refertur ad adjunctum, & est affectio thematis simplicis, & inter subjectum quod refertur ad prædicatum, & est pars thematis complexi; uti videre est cap. 27. Ac discrimen in eo situm est; quod non omne subjectum prædicati, sit etiam subjectum adjuncti, licet omne subjectum adjuncti quoque sit subjectum prædicati: Nempe tres sunt casus, in quibus aliquid est subjectum prædicati, non item adjuncti; scilicet cum aliquid prædicatur de subjecto vel *falso,* vel *negate,* vel *essentialiter,* hoc est, ut prædicatum sit vel tota essentia, vel pars essentiæ subjecti: tum quidem id de quo fit prædicatio, est subjectum prædicati, sed non potest dici subjectum adjuncti.]

Quæst. II. *Quid est adjunctum?*
Quod alicui præter essentiam adjungitur.

Quæst. III. *Quot modis dividitur adjunctum?*
Tribus potissimum modis.

Quæst. IV. *Quæ est prima divisio?*
Adjunctum, aliud est proprium, aliud commune. Hæc divisio ex iis quæ ante dicta sunt satis intelligitur.

1. *Adjunctum proprium)* est proprium quarto modo: *adjunctum commune* est accidens prædicabile.

Quæst. V. *Quæ est secunda divisio?*
Adjuncta, alia absoluta sunt, alia limitata.

Quæst. VI. *Quænam sunt adjuncta absoluta?*
Quæ subjecto simpliciter ac sine limitatione conveniunt; ut, *hominem mortalem esse.*

[1. In hoc exemplo, *mortalem esse* significat solutionem corporis ab anima possibilem: si enim mortalitas hic significaret nudam tantum corruptibilitatem, seu resolutionem in partes materiæ, non foret adjunctum absolutum; quia hæc homini tantum convenit secundum corpus, uti immortalitas ei competit secundum animam.]

2. *Limitatione,* seu restrictione, seu distinctione.

Quæst. VII. *Quæ limitata?*

Quæ subjecto conveniunt secundum quid; ut, *hominem immortalem esse.*

1. *Secundum quid*) id est, secundum aliquam partem, naturam, circumstantiam loci vel temporis, una voce, *quadanzenus*

[2. Nunquam licet adjunctum absolutum enunciare de subjecto limitate, nec adjunctum limitatum de subjecto absolute, nisi per tropum, ac synecdochen [illegible]is, & figuratum loquendi [illegible], quales sunt enunciationes [illegible] in sacris, in quibus, [illegible]ari, crucifigi, quæ sunt [illegible] limitata, Christo com- [illegible]secundum naturam hu- [illegible]enunciantur tamen de [illegible] Christo, non tantum [illegible], sed [illegible] ab altera [illegible] natura, scilicet divina, [illegible]ero: ut cum dicitur, [illegible]as gloriæ crucifixus, & [illegible] reminere ecclesiam suo [illegible]ne; ubi, ne falsitatis ar- [illegible]ar verbum Dei, confugien- [illegible] est necessario ad tropicum, [illegible]ynecdochicum, & figuratum [illegible]di genus. Cavendum ta- [illegible]di, ne hæc attributa de alte- [illegible] Christi natura enuncientur in abstracto; neque enim licet dicere, natura divina aut Deitas in Christo est passa, mortua, aut crucifixa; aut natura humana, aut humanitas Christi est ubique.]

[3. Sed ut hoc negotium dextre intelligatur, notandum est, quod liceat adjunctum limitatum enunciare de subjecto absolute, modo id intelligatur & explicetur de subjecto secundum certam partem spectato, quatenus est pars subjecti totius: sic totus homo dicitur intelligere, videre, esse magnus, quamvis non intelligat nisi secundum animam rationalem, nec videat nisi secundum sentientem, nec sit magnus nisi secundum corpus, quia hæc omnia attribuuntur homini secundum partes illas, quatenus sunt partes ejus. Non tamen licet adjunctum unius partis enunciare de parte altera; neque enim licet dicere, anima est magna, aut corpus intelligit: sic non licet dicere de Christi natura divina, quod ipsa sit passa aut mortua, aut de humana, quod sit ubique; licet bene dicatur de toto Christo simpliciter, Christus est passus, mortuus: imo amplius, licet dicere, Christus homo est ubique, non tamen qua homo; & Christus Deus est passus, non tamen qua Deus; quia attributum unius naturæ potest enunciari de Christo denominato ab altera natura in concreto, nunquam tamen de ipsa natura altera in abstracto, unde sequitur, non esse idiomatum, id est, proprietatum communicationem realem, qua attributum unius naturæ transfundatur & transeat in naturam alteram; sed communicatio tantum est verbalis, quæ fundamentum habet in arctissima unione istarum duarum naturarum; quemadmodum πῦ urere, attributum ignis, tribuitur toti ferro ignito, ob intimam ignis & ferri unionem.]

[4. Doctrina

[4. Doctrina de *adjuncto limitato* & absoluto insignem habet usum in loco communi de persona & naturis Christi, divina & humana. Dicimus in Symbolo Apostolico, *Credo in Jesum Christum, natum ex Maria Virgine, natum, passum, sepultum*, &c. hæc omnia credimus & enunciamus de Christo absolute, & tamen sunt adjuncta limitata, quæ Christo non competunt nisi secundum naturam humanam; nam secundum naturam divinam nec nasci potuit, quia ab æterno est, multo minus mori, aut sepeliri: imo amplius, non tantum Christus, qui est subjectum limitatum passionis, absolute dicitur passus, sed dicitur Christus Deus passus, quia sanguine suo ecclesiam redemit; at, ut Deus, nullum habet sanguinem. Quid igitur? an passio & effusio sanguinis, proprietas naturæ humanæ (hæc enim sola & pati potest & sanguinem habet) transfusa est in naturam divinam, & ei revera communicata, quæ vulgo dicitur communicatio realis? minime gentium; quamvis hoc multi velint, ut sic ab altera parte defendant ubiquitatem proprietatem naturæ divinæ, quæ ipsa transfunditur in naturam humanam Christi, eique communicatur communicatione reali: sed & hoc quoque falsum est, & utrumque refutari potest ex cap. 13. hujus libri, quæst. 3. commentario penultimo, & ex iis quæ super eo dictavimus. Roget quis, cur igitur pati, & sanguinem fundere, enunciatur de Christo Deo, & sic quoad verba saltem communicatur naturæ divinæ? Resp. illa verbalis communicatio sic propter arctissimam utriusque naturæ in eadem Christi persona unionem; & quod notandum est bene, nunquam pati aut sanguinem fundere enunciatur, nec enunciari potest, nec debet, de natura divina Christi, sed quidem de Christo Deo: at hæc longe differunt; Christus Deus est concretum, natura Christi divina est abstractum; at non licet statim enunciare de abstracto quæ enunciantur de concreto.]

Quæst. VIII. *Quæ est tertia divisio?*

Adjunctum aliud est internum, aliud externum.

Quæst. IX. *Quid est adjunctum internum?*

Quod subjecto inhæret.

1. Subjectum *adjuncti interni* vocatur subjectum inhæsionis: & quando denominatur à suo adjuncto, est illa denominatio intrinseca. Nota, quod omne adjunctum denominet suum subjectum, non in abstracto, sed in concreto, nec substantive, sed adjective; ut, homo est doctus, non doctrina.

Quæst. X. *Quid externum?*

Quod extrinsecus tantùm ad subjectum ordinatur.

1. Subjectum *adjuncti externi* est subjectum adhæsionis, & quando illud denominatur à suo adjuncto, est denominatio externa sive extrinseca.

Quæst. XI. *Da exemplum.*

Color, *magnitudo*, *figura*, *indoles*, *mores*, &c. sunt interna adjuncta hominis: *actiones*, *locus*, *tempus*, *vestes*, &c. sunt adjuncta externa.

1. *Adjunctum internum* est accidens, sed *externum* est vel substantia vel accidens: substantia, ut pallium respectu palliati; accidens, ut visibilitas alicujus rei respectu oculi.

2. Errant qui omne subjectum putant esse substantiam, & omne adjunctum esse accidens: nam quantitas parietis est subjectum, in quo est albor tanquam adjunctum, non tamen illa vel quantitas vel latitudo est substantia; & toga est adjunctum hominis tanquam subjecti, non tamen toga est accidens.

Quæst. XII. *Quotuplex est adjunctum externum?*

Triplex; objectum, signum, aut circumstantia.

Quæst. XIII. *Quid est objectum?*

Objectum est [adjunctum externum] circa quod res [id est subjectum] operando versatur: sic objectum visus est color; auditus, *sonus*.

[1. *Objecti*) vox latissime patet, & est omne id circa quod aliquod agens occupatur, sive agat actione reali; sive intentionali, & in quo terminatur actio ejus. Si contingat ut præter terminationem actionis, agens moveatur ab objecto, tum objectum non est tantum terminativum, sed insuper motivum. Notanda hic vero sunt duo: primum, quod objectum proprie tantum respiciat actionem, & quando illud tribuitur substantiis, vel potentiis vel habitibus, seu intellectualibus seu moralibus, iis non tribui nisi quatenus agunt; & principia sunt actionum: ita aer est objectum solis, tanquam substantiæ, sed non nisi respectu illuminationis; *color* est objectum *visus*, tanquam potentiæ, sed non nisi respectu visionis; timor & audacia sunt objectum fortitudinis, tanquam habitus moralis

seu

seu virtutis, sed non nisi respectu moderationis, quatenus hos affectus fortitudo coercet; objectum Physicæ tanquam habitus intellectualis, scilicet scientiæ, est corpus naturale, sed non nisi respectu demonstrationis aut explicationis, vel quatenus affectiones corporis naturalis explicat de corpore naturali, ac demonstrat. Secundum est, quod objectum interdum ipsa actione quam terminat producatur; sic virtutes sunt objectum Ethicæ, quia ab Ethica, seu disciplina morum, jam percepta, ipsæ producantur: interdum non objectum ipsum producitur, sed aliquid in eo, vel circa illud: sic charta est objectum scriptoris, non quod scriptor chartam producat, sed quia aliquid, puta literas, efficit in charta; sic Deus est objectum Theologiæ, non quod doctrina de Deo percepta ab homine, Deum producat, aut aliquid in Deo, sed quia efficit aliquid circa Deum, nempe producit in homine, cui inest, & cognitionem & cultum Dei, ideoque versatur circa Deum agendo.]

2. *Objectum* proprie est id quod alicujus actionem terminat, unde & terminativum dici solet. Vocatur *objectum*, quia objicitur actioni, ut agens vel id producat, vel aliquid in eo, vel circa illud: ita tabula est objectum pictoris, discipuli sunt objectum præceptoris, quia præceptor versatur & occupatus est circa illos docendo, pictor circa tabulam pingendo.

[3. Habitus practicus, late sumpta hac voce, dicitur tripliciter: vel quia ipse docet objectum suum facere; sic Ethica est habitus practicus, quia docet ipsas virtutes producere; vel quia docet aliquid facere in & ex objecto suo; sic ars sutoria aut sartoria in & ex corio, seu panno docet facere vel calceos, vel vestes: vel quia docet aliquid operari circa suum objectum: ita Theologia docet exercere cultum circa Deum. Omnes hi habitus sunt practici, & Ethica, & ars sutoria, aut alia similis, & Theologia.]

4. Eadem res interdum est subjectum & objectum, sed respectu diversô: est enim objectum respectu operationis & operantis, subjectum respectu accidentium quæ inhærent; sic tabula est objectum pictoris & pictionis, subjectum vero colorum & figurarum; sic corpus naturale est objectum Physicæ, quatenus circa illud versatur explicando, idemque est subjectum suarum affectionum.

[5. Ramus omne objectum retulit ad subjectum, vocatque subjectum occupans vel occupationis, & contradistinguit subjecto inhæsionis & adhæsionis? author noster objectum refert ad adjunctum externum: utrumque sano & suo sensu admittitur.]

6. Cum eadem res & subjectum est & objectum, dicitur objectum respectu operationis circa se occupatæ; subjectum vero respectu existentiæ, hoc est, rerum aut accidentium in sese existentium: sic corpus naturale est objectum respectu explicationis quam circa id instituit Physica aut Physicus; subjectum vero respectu quantitatis, loci, motus, temporis, aliarumque affectionum sibi inhærentium: sic aer est objectum illuminationis, sed subjectum suæ levitatis.

7. Quia utilissima divisio est objecti in materiale & formale, atque sine ea, objecta habituum intellectualium & disciplinarum ac facultatum intelligi nequeunt, operæ pretium est eam hic explicare. *Objectum materiale* dicitur, quod pluribus disciplinis est commune, aut circa quod occupantur disciplinæ plures; *formale* est, quod uni disciplinæ est proprium, aut circa quod una tantum disciplina occupatur; hoc vulgo vocatur ratio formalis, & modus considerandi. Sic homo est objectum materiale Physicæ, Ethicæ, Medicinæ, & Theologiæ; omnes enim hæ disciplinæ circa hominem occupantur, sed non eodem modo considerandi; ideoque ratio formalis seu objectum formale hic est diversum: nam Physica hominem considerat, quatenus est corpus naturale, constans materia & forma, anima & corpore; Medicina, quatenus corpus sanabile; Ethica, quatenus homo virtutibus ornari potest, & à vitiis purgari; Theologia, quatenus particeps vel salutis vel exitii æterni.

[8. Cum disciplinæ sive artes fuerint, sive scientiæ, sive prudentiæ, dicuntur distingui penes objecta, intelligite, formalia, non materialia: ab unitate & distinctione objecti formalis, non materialis, dependet unitas & distinctio omnium disciplinarum, sic & in illo axiomate philosophico, *Potentiæ naturales, seu facultates animæ, distinguuntur per actus & objecta*, intelliguntur objecta formalia, seu modi quibus operantur.]

Quæst. XIV. *Quid est signum?*

Signum est [adjunctum externum] quod sensibus, externis seipsum, & id cujus signum est, intellectui [vel phantasiæ] offert. Sic *aurora* est signum orituri solis; *vestigium*, pedis; *hedera suspensa*, venalis vini.

[1. Norandum est, quod omne *signum* sit relatum, & omne signatum, correlatum: ideoque non possunt nec debent confundi: imo relati & correlati naturam evertunt, qui hæc duo invertunt, & ex signo faciunt signatum, ex relato, correlatum; uti faciunt qui in sacra cœna ipsum panem & vinum, signa, volunt esse corpus & sanguinem Christi, res signatas: non aliter atque *vestigium* foret ipse pes, aut *hedera suspensa* venale vinum. Relatum hic semper est res sensibilis, correlatum, res intelligibilis: quantum autem distant sensus & intellectus, tantum differunt signum & signatum.]

2. Prædicatio rei signatæ de signo, aut est falsa; ut cum dico, fumus est ignis: aut impropria ac tropica, & quidem metonymica per metonymiam adjuncti; ut cum de imagine Principis dicimus, ille est Princeps; aut annulum fidei matrimonialis signum, vocamus fidem ipsam. Tales sunt locutiones scripturæ sacræ; Septem boves sunt septem anni, Petra erat Christus, Baptismus est ablutio peccatorum, Panis est corpus Christi.

3. In

3. In signo aliquid est sensibile, & aliquid intelligibile. *Hedera suspensa* sentitur, nam videtur; & per illam suspensam intelligimus ibi vinum esse venale.

4. In signo omni duo sunt: aliquid quod sensu scilicet externo percipitur, quod est ipsum signum; & aliquid quod percipitur vel intellectu in homine vel phantasia in bruto, & est res significata.

5. Signum, vel rem signatam nude significat, ut *hedera suspensa venale vinum*, estque signum materiale dictum; vel rem significatam etiam repræsentat, & vocatur signum formale, quale signum est *pedis vestigium*.

6. Species sensibiles & intelligibiles sunt signa formalia; quia non tantum signant, sed repræsentant etiam rem sensu & intellectu perceptam.

7. Species sensibiles & intelligibiles sunt imagines rerum delatæ ad sensum & intellectum, quibus omnia & sentiuntur & intelliguntur.

8. Notanda hîc etiam est divisio signi in significans tantum, vel confirmans insuper, vel ulterius etiam rememorans. Signum significans simpliciter, est fumus respectu ignis: confirmans insuper, vocatur sigillum; sic principis sigillum appensum mandatis publicis, etiam signat & confirmat voluntatem principis: signum ulterius rememorans, est, quod nos ducit in memoriam rei absentis ac præteritæ; ut Sacramentum, quod est signum triplici isto modo; sic Baptismus & signat ablutionem à peccatis per sanguinem Christi, & confirmat eam partam, & rememorat eandem; sic Sacramentum Cœnæ, est signum & significans, & confirmans: & rememorans corpus Christi crucifixum, & sanguinem fusum.

Quæst. XV. *Quid est circumstantia?*

Circumstantia est [adjunctum externum] quod circa rem est, sive adjacet, aut appositum est.

Circumstantia) se valde late extendit, dicitur que id, quod præter objectum & signum, aliquo modo ad aliud ordinatur aut aliquo modo ad illud refertur.

CAPUT

CAPUT XX.

Quæst. I. *Atque hactenus de affectionibus simplicibus. Quas vocas affectiones conjunctas?*

QUÆ pluribus rebus conjunctim conveniunt: quales sunt, convenientia, diversitas, oppositio, & ordo. Una enim res dici potest alterius genus, pars, causa, subjectum, &c. at uni rei seorsim, ut est una, non potest tribui convenientia, diversitas, oppositio, aut ordo.

1. *Affectiones* rerum, capite 10 hujus libri enarratæ, quas intellectus hominis deprehendit inesse rebus ex rerum dispositione in categoriis facta, propter mutuam rerum inter se habitudinem, fuerunt divisæ in simplices & conjunctas: simplices fuerunt, quæ singulis rebus conveniunt, id est, quarum unaquæque in una invenitur re; ita, esse *causam* convenit patri, rei uni, esse effectum, filio, rei item uni; licet hic aliqua sit habitudo gignentis ad genitum; sed affectio conjuncta est, quæ, ut sit, duo exigit; neque unquam invenitur in re una, ut est una: ideoque Deus, ante creationem mundi, nec convenit cum alio, nec diversus fuit ab alio, nec oppositus alii, nec ordinem habuit ad aliud, quia nihil erat præter ipsum solum & unum, in quem, ut talem, non potuit cadere *convenientia, diversitas, oppositio aut ordo.* Itaque affectio conjuncta ut detur, semper requiruntur duo: unum enim non convenit, nec unum ut unum diversum est, aut oppositum, aut ordinatum.

[2. Affectiones conjunctæ sunt affectiones thematis simplicis, quia conveniunt duobus pluribusve thematibus simplicibus inter se collatis, non tamen enunciatis.]

Quæst. II. *Quid est convenientia?*

Convenientia est, qua plura, aut quasi plura, uniuntur.

1. *Uniuntur*) scilicet inter se, sed in tertio.

[2. *Plura, aut quasi plura*) opponuntur. *Plura* dicuntur, quæ revera, & ipso actu ac de facto sunt multa, à parte ipsius rei, & non per mentis intellectionem: *quasi plura* dicuntur, cum quod unum est, sese offert intellectui ut multa aut plura, quia multis ac pluribus intellectionibus ab intellectu apprehenditur, at revera non est multiplex, aut multa, seu plura entia, sed unum quid. Quod autem unum ens ab intellectu humano apprehenditur multis ac pluribus conceptibus, ejus ratio est ac causa, sola intellectûs nostri finitas atque imperfectio, qua fit ut rem unam non possit uno sæpe conceptu intelligere.]

[3. Illa rerum inter se *unitio* vel fit à parte entis, vel à parte mentis: prior habet locum cum illa

illa quæ uniuntur sunt *quasi plura*; posterior sit, cum extrema quæ uniuntur sunt actu *plura*: atque hinc ortum ducit convenientia rei & rationis.]

[4. *Convenientia* quæ habet actu extrema plura, dicitur convenientia rationis; convenientia rationis est convenientia plurium in uno conceptu; quæ habet extrema quasi plura, id est, non nisi per mentem plura, dicitur convenientia realis; convenientia realis est convenientia unius rei cum seipsa, vel plurium rerum, sed subordinatarum, in superiori. Prioris exemplum est, convenientia Petri cum Paulo, quod sint homines: posterioris exemplum est, convenientia Petri juvenis cum seipso sene, vel Pauli & hominis, quod sint animal. Utraque species convenientiæ ad res prædicamentales tantum, non item ad Deum aut Trinitatem, applicari debet.]

[5. Quotiescunque duo extrema conveniunt convenientia rationis, distinguuntur distinctione reali, & quotiescunque duo extrema conveniunt convenientia reali, distinguuntur distinctione rationis: sic Petrus & Paulus, quia conveniunt in eo, quod ambo constent natura humana, seu anima rationali & corpore, quatenus à mente apprehenduntur, ideo quoque inter se distinguuntur distinctione reali; & Petrus senex, quia convenit cum seipso juvene convenientia reali, quatenus nullo intellectu eum apprehendente, idem est realiter cum seipso, distinctione rationis. Hoc utrumque verum est in solis rebus creatis, earumque inter se & convenientia & distinctione; neque applicari debet SS. Trinitati, in qua personæ tres à se invicem distinguuntur distinctione reali, & non rationis: alius enim est Pater, alius Filius, alius Spiritus S. nullius hominis intellectu Deum apprehendente, imo antequam ullus homo aut intellectus existeret; & tamen Pater, Filius, & Spiritus S. conveniunt in una eademque essentia divina (sunt enim unus Deus) convenientia non rationis, sed reali; neque enim sunt unus Deus per rationem, aut quia intellectu hominis sic apprehenduntur, nam fuerunt ab æterno unus Deus, antequam ullus ullius hominis intellectus existeret.]

Quæst. III. *Quomodo dividitur convenientia?*

In simplicem, & analogicam.

1. *Convenientia simplex* est, quando extrema quæ conveniunt sunt duo & tertium in quo conveniunt est unum. *Analogica* est, cum extrema quæ conveniunt sunt plura quam duo, scil. quatuor aut bis bina, & sunt duo tertia in quibus conveniunt.

Quæst. IV. *Quid est convenientia simplex?*

Convenientia unius cum alio in eodem tertio, [vel universali, vel singulari.]

1. Ita angelus & homo conveniunt convenientia simplici, nempe in creatione, quia ambo sunt creaturæ.

Quæst.

Quæst. V. *Quid Analogia?*

Analogia est rationum similitudo, sive convenientia plurium cum pluribus in eadem habitudine.

1. *Analogia)* Latinis dicitur *proportio*, quæ vulgo definitur, similitudo rationum sicut convenientia simplex potest dici ratio: de qua in Arithmeticis: Analogia est convenientia binorum in duobus tertiis.

Quæst. VI. *Da exemplum.*

Homo & *bestia* conveniunt in communi natura *animalis*; *mel* & *fel* conveniunt *colore*. Hæc est convenientia simplex. At *auriga* & *gubernator*, *os* & *radix*, sunt analoga: quia ut auriga se habet ad currum, ita se habet nauclerus ad navem; & ut os se habet ad animal, ita radix se habet ad plantam: utrobique est quædam similitudo habitudinis ad aliud.

Quæst. VII. *Quotuplex est convenientia simplex?*

Duplex; Identitas, & convenientia accidentalis?

1. Nota, convenientiam dividi in essentialem, & accidentalem, ac sic dici ratione tertii; non ratione extremorum quæ conveniunt, sed ob tertium in quo conveniunt.

[2. Quotiescunque hi duo termini, essentialis & accidentalis, dicuntur vel de convenientia, vel de diversitate, duplici sensu possunt accipi; vel ratione extremorum, quæ conveniunt vel diversa sunt, vel ratione tertii in quo conveniunt, vel per quod diversa sunt extrema: hic sumitur convenientia essentialis & accidentalis sensu postremo.]

3. Tertium illud in quo duo conveniunt, vel est essentia, vel pars essentiæ utriusque extremi, & tum vocatur convenientia essentialis, uno nomine, *identitas*; vel tertium illud, in quo duo conveniunt, est accidens, & vocatur *convenientia accidentalis*.

Quæst. VIII. *Quid est identitas?*

Identitas est unitas essentiæ [vel totalis, vel partialis.]

1. Vocula *unitas* non hic sumitur arithmetice, pro principio numeri; sed metaphysice, pro indivisione entis in se; hoc est, quod essentiam habet non multam aut multiplicem, sed certam, determinatam, unam: sic homo dicitur unus, quia ad essentiam ejus non requiruntur multa corpora, nec multæ animæ rationales; sed unum corpus & una anima rationalis faciunt hominem; ideoque etiam una divisione, & uno conceptu essentiali concipi potest. Estque hæc unitas hominis, unitas uni-

universalis; præter quam est quoque unitas singularis, qua, verbi causa, Petrus est unus; ad constituendum enim Petrum, non requiruntur quoque plures naturæ Petrinæ. *Identitas est unitas essentiæ* utriusque generis.]

2. *Identitas* clarius definitur, quod intercedat inter extrema ea quæ conveniunt in essentia aliqua aut parte essentiæ communi, ut in ea quasi unum fiant. Exempla statim sequuntur.

Quæst. IX. *Quotuplex est?*

Duplex; subordinata, & coordinata.

1. Hæc subordinatio & coordinatio respicit ordinem prædicamentalem rerum; ubi dicuntur *subordinata* quæ sub se invicem, & *coordinata* quæ juxta se invicem, in aliquo prædicamento collocantur.

2. Cum identitas dividitur in subordinatam & coordinatam, sic dividitur ratione extremorum, quatenus extrema quæ conveniunt, disponuntur in categoriis secundum gradus superiores & inferiores. Cum extrema quæ conveniunt sub se invicem ponuntur, & tertium in quo conveniunt ponitur supra utrumque, uti conveniunt homo & animal in eo quod sint viventia, mixta, corpora, substantiæ, est illa convenientia *subordinata*: quatenus vero extrema quæ conveniunt disponuntur in categoriis collateraliter, & in eodem gradu componuntur juxta se invicem, ut cum homo & brutum conveniunt in eo quod sint animal, aut vivens, &c. est illa convenientia *coordinata*: utraque, essentialis.

Quæst. X. *Quam vocæ subordinatam identitatem?*

Qua conveniunt superiora & inferiora cum inferioribus in superiori: puta, genus & species, aut species & individua sibi subjecta, in superiori, & vicissim. Sic conveniunt *animal* & *homo*, *homo* & *Socrates*, [in substantia, corpore, mixto, & vivente;] *habitus* & *ars*, *ars* & *Logica* [in qualitate,] &c.

1. *Identitas subordinata* est ubi extrema quæ conveniunt sunt subordinata. Coordinata est, cum extrema quæ conveniunt sunt coordinata.

2. Per convenientiam subordinatam conveniunt superiora cum inferioribus in superiori, ut *animal* & *homo* in *vivente*, aut in *corpore*, aut in *substantia*.

[3. Convenientia subordinata est convenientia realis, & extrema sunt quasi plura, ac ratione distincta: nam cum Petrus & homo conveniunt in eo quod sint animalia, quod sint viventia; &c. non est alia substantia Petrus, alia homo, nec sunt res diversæ; sed hic eadem est substantia & Petrus & homo, ideoque

que & ratione tantum distinguuntur, quatenus diversis conceptibus eandem substantiam, quæ est Petrus & homo, nunc concipio ut Petrum, nunc ut hominem: convenientia tamen ejusdem substantiæ Petri & hominis in eo est sita, quod ambo sint animal, & vivens, &c. Hæc non est rationis, sed realis; quia non conveniunt in animali & vivente, quod à mente convenire concipiantur; sed extra omnem mentis intellectionem, & Petrus est animal ac vivens, & homo item; utrumque à parte sui, nullo intellectu cogitante.

Quæst. XI. *Quotuplex est identitas coordinata?*

Triplex: numerica, specifica, & generica.

1. Coordinata vulgo dicuntur disponi collateraliter; quia à latere sibi invicem junguntur; sic conveniunt homo & brutum in animali; Petrus & Paulus in homine, in categorico ordine.

Quæst. XII. *Quid est identitas numerica?*

Qua unumquodque individuum convenit cum seipso. Sic *Socrates* est idem numero homo qui fuerat *puer*.

1. *Identitas numerica* individui dicitur, quando eædem numero manent partes essentiales: sic idem numero homo est, cum eandem numero animam & idem numero corpus retinet aut recipit; & sic idem numero homo resurget, quia ejusdem numero constabit animæ & corporis.

2. Dicitur *Socrates senex idem numero* esse cum Socrate juvene, quia essentia Socratis senis & sui ipsius juvenis una eademque essentia est.

[3. Nonnulli Philosophorum existimant ad numericam identitatem sufficere, si eadem numero maneat forma, licet materia aut mutetur aut annihiletur, quia non per materiam, sed per formam, res est id quod est, & individuum est individuum; hinc dicunt, eundem numero Petrum resurrecturum, quia ipsius forma, anima ejus rationalis, eadem numero post mortem manet, licet ejus materia, corpus, multis immutetur modis, imo licet annihiletur. Ego tamen existimem, ad individui identitatem numericam requiri quoque materiam eandem numero, quia hæc tam est essentialis individui pars quam forma; &, ut idem numero resurgat Petrus, præter animam ejus eandem superstitem requiri ut suum idem numero addatur corpus: quia diserte inquit Apostolus 1. Corinth. 15. *hoc corruptibile induet incorruptibilitatem, & hoc mortale immortalitatem*; quod non de anima, sed de solo corpore intelligi potest.]

[4. Identitas numerica est convenientia realis, & extrema sunt quasi plura, ac ratione tantum distincta: nam *Socrates senex* non

non est alius homo quam Socrates *puer*, & convenit cum seipso, quod idem sit homo, & juvenis & senex, idque nullo intellectu cogitante, à parte sui; ideoque est convenientia realis: attamen ideo Socrates bis apprehenditur, semel ut juvenis, semel ut senex; & ideo quasi geminum extremum est: verum quia à parte rei non est geminus Socrates, sed a ratione bis tantum apprehensus, ideo distinctio inter Socratem senem eundemque juvenem, est distinctio rationis.]

Quæst. XIII. *Quid specifica?*

Qua plura individua [ejusdem speciei] conveniunt in eadem specie, [scil. infima:] ut, *Socrates* & *Plato* in natura humana.

1. *In eadem specie*) id est, in communi natura specifica: ut Bucephalus & Hirpinus in naturæ equina, Melampus & Phylax in natura canina.

[2. *Identitas specifica* est convenientia rationis; & extrema quæ conveniunt, scil. individua ejusdem speciei, sunt actu plura, & realiter inter se distincta. Ut autem hæc convenientia rationis semel intelligatur, notandum est, intellectui primum occurrere singularia; quia illa primum deferuntur ad sensus, quorum subsidio in intelligendo utitur intellectus: hinc contemplando singularia, deprehendit primum ea inter sese distingui à parte rei, & unum non esse aliud, Petrum non esse Paulum; deinde deprehendit quoque ea in multis convenire, quæ verbi causa, Petro & Paulo sunt communia, ut, quod intelligant & ratiocinentur, velint & nolint, animam habeant rationalem & corpus; licet forte in uno anima rationalis sit prædita virtute, in altero sit infecta vitiis & corpus unius sit forte sanum aut procerum, alterius sit morbidum aut brevis staturæ. Cum nunc intellectus, singularibus apprehensis atque inter sese comparatis, naturam illis communem intelligit, abstractis abstractione simplici, id est, præcisis, & non intellectis differentiis singularium propriis, (verbi causa, apprehenta natura humana, anima rationali & corpore, communibus Petro & Paulo, abstractis sanitate & longitudine, morbo & brevitate) oritur inter Petrum & Paulum, respectu naturæ humanæ, in qua tanquam in tertio conveniunt, convenientia, sed rationis, quia exurgit post triplicem intellectus actionem; 1. Post apprehensionem simplicem Petri & Pauli, tanquam singularium. 2. Post eorundem comparationem, quoad illa quæ sunt singulis propria, & quæ utrique communia. 3. Post naturæ communis utrique abstractionem simplicem, ac præcisionem ab illis quæ sunt singulis propria: tali modo, per hasce tres intellectus humani operationes, fiunt omnia entia rationis & universalia.]

Quæst.

Quæst. XIV. *Quid generica?*

Qua plures species [sive infimæ, sive subalternæ] earumque individua conveniunt sub eodem genere, vel proximo, vel remoto: ut, *homo* & *equus*, *Bucephalus* & *Alexander*, sub *animali*; *homo* & *equus*, *planta* & *lapis*, sub *corpore*.

1. *Individua*) hîc intelliguntur diversæ speciei, ut apparet in exemplis subjectis in textu.

[2. Hîc iterum est convenientia rationis, quia per triplicem jam statim explicatam intellectûs operationem exoritur; & extrema sunt actu plura, & non per rationem sed à parte rei seu realiter inter se distincta; *homo* enim est alia substantia, & aliud animal, quam *equus*.

Quæst. XV. *Quotuplex est convenientia accidentalis?*

Duplex; interna (quæ iterum in paritatem & similitudinem dividitur) & externa.

1. Intelliguntur hîc accidentia, tum quæ opponuntur substantiæ, quæ dicuntur & sunt prædicamentalia, quo modo in accidentibus conveniunt *paritas* & *similitudo*; tum quæ opponuntur essentiæ, quæ dicuntur & sunt accidentia prædicabilia: quo modo conveniunt accidentibus quæ conveniunt convenientia externa.

2. Omnis *convenientia accidentalis*, tum interna, tum externa, est convenientia rationis, quia extrema, quæ conveniunt, sunt revera & actu plura.

3. Convenientia accidentalis interna est, quando tertium illud, in quo duo conveniunt, est adjunctum utriusque internum, uti est quantitas & qualitas.

Quæst. XVI. *Quid est paritas?*

Paritas est convenientia in quantitate. Paria dicuntur quæ æque magna sunt.

1. *Paritas*) est proprie convenientia in quantitate discreta, & *æqualitas* in quantitate continua; sic duo domini & duo servi sunt pares, & conveniunt numero binario; duo homines ejusdem staturæ sunt æquales, & conveniunt magnitudine.

Quæst. XVII. *Quid similitudo?*

Similitudo est convenientia in qualitate aut in passione.

Si-

Similia, dicuntur, quæ eadem qualitate affecta jam sunt, aut etiamnum afficiuntur.

1. Sic ovum ovo simile est, quia colore conveniunt.
2. *Passio*) hic opponitur actioni, non vero est tertia species qualitatis.

Quæst. XVIII. *Quid est convenientia externa?*

Convenientia externa est convenientia in causis, effectis, subjectis, aut adjunctis externis; hoc est, quæ non pertinent ad essentiam. Sic *duo fratres germani* conveniunt *causa efficiente; pluvia & grando, materia,* [*remota*] *artifices ejusdem professionis, effectis; virtutes & vitia, subjecto; ægritudo & amor, signo,* nempe pallore.

1. Adjectivum illud *externis*, non tantum debet intelligi de *adjunctis*, cui voci apponitur, sed & de causis, &c. quæ antecedunt. *Duo fratres efficiente*, quia eosdem habent parentes; *pluvia & grando materia*, quia ambæ constant ex vaporibus humidis: *effectis*, ut *duo fabri*, qui eandem exstruunt domum; *subjecto*, scil. animo aut voluntate; *pallare*, quia & *æger* paller, & qui amat,

CAPUT XXI.

Quæst. I. *Quid est diversitas?*

Diversitas est, qua res à se invicem distinguuntur.

1. Sicut Deus, res una, cum aliis voluit convenire in multis, ita idem ab aliis voluit distingui in multis, & ipsas res distingui inter se. Hæc rerum à se invicem distinctio dicitur *diversitas*.

Quæst. II. *Quotuplex est diversitas?*

Duplex; alia essentialis, alia accidentalis.

[1. *Diversitas essentialis* est, qua res distinguuntur essentia tota, aut parte essentiæ: *accidentalis*, qua distinguuntur accidentibus. Diversitas *essentialis* dicitur, quando illud tertium, quo extrema duo inter se distinguuntur, est vel essentia, vel pars essentiæ; *accidentalis*, quando est accidens. Prioris exemplum est, animal & color, item homo & brutum; illa differunt tota essentia, hæc parte essentiæ. Posterioris exemplum est, Petrus doctus & Paulus indoctus, qui differunt accidentibus, doctrina & ignorantia.]

[2. Quæ differunt essentia, vel sic differunt, ut nulla sui parte essentiali conveniant, uti animal & color; vel ut aliqua parte essentiali conveniant, alia distin-

guantur, uti homo & brutum; vel tota essentia conveniant, & tamen differant essentia, quatenus hæc essentia unius non est essentia alterius, uti differunt Petrus & Paulus.]

[3. Distingui solet in philosophia Aristotelica inter hæc duo, *differre essentialiter*, & *differre essentia*. Essentialiter differunt, quæ partem essentiæ habent communem, & partem essentiæ diversam, ut aliqua pars essentiæ sit in uno quæ non est in alio: sic differunt duæ species, homo & brutum; nam corpus habent commune, quod est una pars essentiæ, scilicet materia utriusque, sed formam, alteram essentiæ partem, habent diversam, homo animam rationalem, brutum irrationalem. Differunt essentia, quæ nullam partem habent essentiæ diversam, nec materiam nec formam; ut duo individua, Petrus & Paulus, ambo enim habent corpus, & animam rationalem. In quo igitur differunt? Resp. quod essentia Petri non sit essentia Pauli, quia nec corpus nec anima Petri, sunt aut corpus aut anima Pauli.]

Quæst. III. *Quomodo dividitur diversitas essentialis?*

In subordinatam, & coordinatam.

1. *Diversitas subordinata* dicitur, quando illa quæ distinguuntur, in ordine prædicamentali collocantur sub se invicem; & *coordinata*, quando illa quæ distinguuntur, ponuntur juxta se invicem in scala categorica: itaque hæc divisio intelligitur ratione extremorum, quæ, cum sub se invicem sunt posita, dicuntur differre diversitate *subordinata*: quando juxta se invicem, *coordinata*.

2. Diversitas subordinata est diversitas rationis, quia extrema, quæ differunt, ratione differunt; diversitas coordinata est diversitas realis, quia ejus extrema distinguuntur distinctione reali.

[3. Antequam species diversitatis essentialis explicentur, tenenda est usitatissima divisio distinctionis, in distinctionem rei & rationis: distinctio rei dicitur, qua duo à se invicem sunt diversa, & differunt à parte sui, etiamsi ab intellectu non intelligantur; distinctio rationis est, quando unum ens concipitur distinctis ac dissimilibus conceptibus, ut unus ejusdem rei conceptus sit distinctus ab altero, & dissimilis alteri; sic ut à parte sui non sint duæ res distinctæ, sed ut una eademque res bis apprehensa à ratione, sic per eam distinguuntur. In priori distinctione extrema sunt actu plura: in posteriori, sunt quasi plura. Prioris exemplum est, Petrus & Paulus, qui, nullo intellectu eos apprehendente, sunt diversi homines, diversaq; entia, & differunt à se invicem diversitate reali sive rei: posterioris exemplum est, Petrus & homo, quæ duo extrema distinguuntur non distinctione rei, quasi sint diversæ res, diversæ substantiæ, nam eadem

eadem substantia est Petrus & homo; sed distinguuntur ratione, quatenus idem Petrus bis concipitur, semel ut homo, in quantum constat natura humana, anima rationali & corpore, quæ ipsi cum Paulo aliisque hominibus est communis, semel ut est Petrus, quatenus naturam habet sibi propriam, qua anima rationalis & corpus Petri sunt ejus, & non Pauli: conceptus autem quo Petrus concipitur ut Petrus, non tamen distinctus est, sed & dissimilis conceptui quo idem concipitur ut homo; quemadmodum & dissimilis conceptus est, cum idem Petrus concipitur ut animal, ut vivens, ut mixtum, ut corpus, ut substantia, quæ tamen omnia distinguuntur à Petro, non rei, sed rationis distinctione.]

4. Duplex est rerum esse: unum, quod in se habent, etiamsi nec intelligantur nec proferantur, & hoc vocant esse reale; alterum, quod habent, non nisi intelligantur, & hoc vocant esse intelligibile. Huic fundamento innititur hæc divisio distinctionis, in rei & rationis; nam distinctio, rei dicitur, qua res distinguuntur in se, secundum suum esse reale, quod habent nemine cogitante, extra omnem mentem intelligentem; quo modo distinguuntur Petrus & paulus: distinctio rationis rebus competit in quantum intelliguntur, seu concipiuntur, & secundum esse suum intelligibile; ita distinguuntur in Petro homo & animal, quatenus Petrum intelligendo ut hominem, aliud concipio quam eundem intelligendo ut animal; nam concipiendo eum ut hominem, intelligo eundem esse rationalem, quod non intelligo, concipiendo eundem ut animal; & tamen homo & animal in Petro non faciunt distincta entia realia, ideoque nec realiter distinguuntur, sed ratione tantum.]

Quæst. IV. *Quid est diversitas subordinata?*

Qua superiora differunt & inferiora à se invicem; puta, genus ac species, & species atque individua sibi subjecta, à se mutuo; & vicissim. Sic differunt *animal* atque *homo* aut *bestia*; *homo* atque *Socrates* aut *Plato*.

1. *Diversitas subordinata* est diversitas essentialis, quia superiora & inferiora parte saltem essentiæ differunt, ita aliquid est in essentia hominis aut bruti, puta τὸ rationale aut irrationale, quod non est in essentia animalis; hæc enim absolvitur eo, quod sit substantia corporea, mixta, vivens, sentiens; at hominis essentia, τὸ rationale etiam in se includit.

2. Illud dicitur esse in essentia rei, quod ponitur in ejus definitione: sed in definitione animalis non ponitur rationale, ut quidem in definitione hominis; ergo & rationale non ponitur in essentia animalis, ut quidem in essentia hominis; ideoque animal & homo parte essentiæ differunt.

Quæst. V. *Quotuplex est diversitas coordinata?*

Triplex; numerica, specifica, & generica.

Diversitas coordinata est, qua differunt res ejusdem ordinis, id est, in eodem gradu prædicamentali: ut, Petrus & Paulus, homo & brutum, animal & planta.

Quæst. VI. *Quid est diversitas numerica?*

Qua distinguuntur individua ejusdem speciei [infimæ:] ut, *Socrates & Plato.*

Diversitas numerica est diversitas essentialis: quia essentia Socratis non est essentia Platonis; neque enim corpus & anima Platonis sunt corpus & anima Socratis, sic enim Plato foret Socrates; & quædam conditiones particulares sunt in essentia Socratis, quæ non sunt in essentia Platonis.

Quæst. VII. *Quid specifica?*

Qua distinguuntur species infimæ ejusdem generis, & earum individua; ut, *homo & brutum, Alexander & Bucephalus.*

Diversitas *specifica* est essentialis: quia aliqua pars essentiæ est in homine, scil. anima rationalis, quæ non est in bruto; & vice versa, scilicet anima irrationalis, quæ non est in homine.

Quæst. VIII. *Quid generica?*

Qua distinguuntur genera, tum summa, tum subalterna, eorumque species & individua; ut, *substantia & quantitas, corpus & spiritus, animal & planta, homo & pyrus, Socrates & hæc pyrus.*

Genera summa) differunt tota essentia, subalterna, parte tantum essentiæ; quod patet exemplis subjectis. *Substantia* enim & *quantitas* nec genus habent commune, nec differentiam; nam ens genus non est: at *corpus* & *spiritus* genus habent commune scilicet substantiam, non item differentiam; quia *corpus* est substantia materialis, & *spiritus* immaterialis.

[2. Quando ens dicitur hic non esse genus, intelligitur univocum ac proprie dictum; nam quod sit ens analogum, atque impropriedictum, admitti potest, & communis est sententia.]

Quæst. IX. *Quotuplex est diversitas accidentalis?*

Duplex: interna, (quæ in imparitatem & dissimilitudinem subdividitur,) & externa.

1. *Diversitas accidentalis* est qua res distinguuntur accidentibus; ut Petrus & Paulus, quod alter doctus, alter sit indoctus.

2. Ac-

2. Accidens hic aut opponitur subſtantiæ, eſtque hoc vel quantitas vel qualitas, quo ſenſu diverſitas interna dicitur diverſitas accidentalis: vel opponitur eſſentiæ, eſtque illud quod eſſentiam alterius nec producit, nec conſtituit.

Quæſt. X. *Quid eſt imparitas?*

Imparitas eſt diverſitas in quantitate. Imparia ſunt, quorum alterum altero majus eſt aut excellentius.

1. *Imparitas*) eſt diverſitas in quantitate diſcreta; *inæqualitas* in continua: ſic tres equi & quatuor homines ſunt impares numero Petrus procerus & Paulus brevis ſunt inæquales magnitudine,

Quæſt. XI. *Quid eſt diſſimilitudo?*

Diſſimilitudo eſt diverſitas in qualitate, aut paſſione [prout opponitur actioni.] Et diſſimilia dicuntur quæ diverſa qualitate jam affecta ſunt, aut etiamnum afficiuntur.

1. Sic paries albus eſt diſſimilis nigro, & homo indoctus docto, ſapiens ſtulto; & aqua quæ calefit, aquæ quæ frigefit.

Quæſt. XII. *Quid eſt diverſitas externa?*

Diverſitas externa eſt diverſitas in cauſis, effectis, ſubjectis, aut adjunctis externis, hoc eſt, quæ non pertinent ad eſſentiam. Sic mures à ſole geniti ex putredine, differunt cauſa efficiente & materia ab iis muribus qui ex ſemine generantur.

1. Vox illa *externis* referri debet non tantum ad vocem *adjunctis*, ſed ad voces etiam præcedentes, *cauſis*, *effectis*, &c.

2. Faber lignarius differt à ſutore & ſartore, effectis; morbi corporis à morbis animi, ſubjectis; viſus ab auditu exteriſque ſenſibus, objectis, ſeu adjunctis externis.

CAPT. XXII.

Quæſt. I. *Quid eſt oppoſitio?*

Oppoſitio eſt pugna rerum.

1. *Oppoſitio*) differt à diverſitate, quod multa ſint diverſa quæ non pugnent, nec ſint oppoſita; qualia ſunt, quæ diverſa ſunt ac diſtinguuntur ratione: ut Petrus & homo, homo & animal, & quæcunque differunt diverſitate ſubordinata.

[2. Omnia oppoſita diſtinguuntur re; ideoque quæcunque diſtinguuntur diverſitate ſubordinata, ut Petrus & homo, homo & animal, &c. cum diſtinguantur tantum ratione, non ſunt oppoſita: at illa in quibus eſt diverſitas coordinata, ut in-

ter Petrum & Paulum, hominem & brutum, animal & plantam, substantiam, & qualitatem, cum distinguantur ie, omnia sunt opposita.]

Quæst. II. *Quænam res dicuntur pugnare?*

Quæ, neque de se invicem, neque de eodem tertio, secundum idem, ad idem, eodem modo atque tempore, vere affirmari possunt.

1. *De eodem tertio)* scil. singulari; nam de eodem tertio universali, ut de homine, possunt opposita affirmari, ut, doctum esse, & indoctum, etiam *secundum idem*, nempe secundum animam, & sub reliquis conditionibus oppositorum.

2. *Secundum idem)* id est secundum eandem partem, vel naturam.

3. *Ad idem)* id est, ejusdem respectu.

4. *Eodem modo)* id est, eadem vocis significatione.

5. Si contingat opposita de se invicem affirmari, vel de eodem tertio singulari, una ex hisce conditionibus desideratur.

6. *Opposita* sunt, primo, quæ non possunt vere dici seu affirmari de se invicem affirmari: sic homo & brutum sunt opposita, quia non potest dici vere, Homo est brutum, aut, Brutum est homo. Secundo, quæ non possunt vere dici seu affirmari de eodem tertio, subjecto singulari scilicet: sic non potest de eodem Petro dici, Petrus est homo. Petrus est brutum. Tertio, quæ licet dicantur vere de eodem tertio singulari, non affirmentur tamen de eo secundum eandem partem vel naturam: sic album & nigrum sunt opposita, quia licet de eodem tertio singulari, Æthiope, affirmentur, non tamen vere affirmari possunt secundum eandem Æthiopis partem; nam Petrus Æthiops (singulare tertium) est albus secundum dentes, Petrus Æthiops niger est secundum manus, pedes, brachia, pectus, & cætera ejus membra nigra. Quarto quæ licet vere affirmentur de eodem tertio singulari, non tamen dicuntur de eodem *ad idem*, seu respectu ejusdem: sic, licet esse patrem & esse filium dicantur de eodem Isaaco, quia tamen non dicuntur de eo respectu ejusdem sunt opposita; nam respectu Abrahami dicitur filius, at ejusdem respectu Abrahami non dicitur pater; contra, respectu Jacobi dicitur pater, sed respectu ejusdem non dicitur filius. Quinto, quæ licet juxta omnes priores conditiones de eodem tertio affirmentur, non tamen affirmantur *eodem modo*, id est eadem significatione: ut, cum esse leonem dicitur de animali essero, & de signo Zodiaci; aut canis dicitur de sidere cœlesti, animali marino & terrestri.

Quæst. III. *Quot sunt species oppositorum?*

Quinque: disparata, contraria, relative oppositæ, privative oppositæ, & contradicentia.

1. Nota

1. Nota, has oppositorum species intelligendas esse de oppositione directa, qualis cadit tantum inter res in prædicamentis dispositas, & in quinque dividitur species. Potest quoque esse oppositio quædam indirecta & obliqua, quæ ad hasce species referri nequit; qualis est inter ens reale & nihil, inter substantiam & nihil, inter hominem & nihil, inter privationem physicam & formam physicam, &c.

[2. Nihil certius est, quam non posse omnia quæ opponuntur, commode referri ad hasce quinque oppositionum species: nam hæc duo, Petrus & nihil, opponuntur, quia non possunt de se invicem affirmari; neque enim licet dicere, Petrus est nihil, aut, nihil est Petrus; nec de eodem tertio singulari, hoc aut illud est nihil, & est Petrus; & tamen Petrus & nihil non opponuntur disparative, quia in disparatis unum pluribus opponitur, hîc unum uni; nec relative, quia Petrus & nihil non se habent ut relatum & correlatum; nec contrarie, quia non sunt duæ species sub eodem genere plurimum distantes; nec privative, quia se non habent ut habitus & privatio; nec contradictorie, quia sic opponitur Petrus & non Petrus. Quomodo igitur Petrus & nihil opponuntur? Resp. obliquè & indirecte, ut addenda foret sexta species oppositionis quinque ejus speciebus ex Aristotele recenseri solitis.]

[3. Distantia essentiæ dicitur, qua res ab aliis discrepant per essentias, naturas, ac definitiones diversas, quamvis eodem contineantur loco, nec eo discrepent: sic corpus & anima Petri in Petro superstite, essentia distant, non loco; in eodem mortuo, & essentia & loco distant: sic in lacte albedo & dulcedo, essentia distant, non loco: & contra fieri potest, ut quæ loco distant, non distent essentia; veluti dulcedo lactis & dulcedo mellis, quæ non opponuntur contrarie, quia loco tantum distant, non item essentia.]

[Nota, hunc comm. esse referendum ad quæst. 6.]

Quæst. IV. *Quid sunt disparata?*

Disparata sunt, quorum unum pluribus opponitur eodem modo; ut, *homo* & *equus*, *album* & *rubrum*. Etenim homo, non equo solum, sed & leoni, lupo, &c. & album non solum rubro, sed & viridi, flavo, cæruleo, cæterisque mediis coloribus opponitur *eodem modo*, hoc est, eodem oppositionis genere, [ob eandem causam.]

[1. Opponuntur *disparate* primo individua plura ejusdem speciei, ut, Petrus, Paulus, Joannes, &c. & plures species ejusdem generis quam duæ, ut animal aquatile, volatile, terrestre; secundo, una species pluribus individuis alterius speciei, ut homo leoni, equo, tauro, &c. individuis brutorum; tertio, quæ sub diversis generibus collocantur, ut homo sub animali

opponitur disparate quercui, cerasso, pyro, &c. quarto, genera summa inter se, ut substantia quantitati, qualitati, &c.]

2. *Album* & *nigrum*, non sunt disparata, licet album non tantum nigro, sed & rubro & viridi, cæteriſque coloribus mediis opponatur, quia non *eodem modo* illi & his opponitur: nam opponitur nigro sic, ut nihil albi sit in nigro; opponitur cæteris coloribus, ut aliquid albi in iis sit: itaque non est eadem causa oppositionis utrobique.

Quæst. V. *Cur dicis eodem modo?*

Quia servus opponitur & domino & libero: non tamen dominus & servus disparata sunt: quia servus opponitur domino, relative [& substantive;] libero, contrarie] & adjective.]

Quæst. VI. *Quid sunt contraria?*

Contraria sunt duo absoluta, quæ sub eodem genere plurimum distant; ut *albor* & *nigror*, *calor* & *frigus*, *virtus* & *vitium*, *par* & *impar*.

1. Per vocem *duo*, scilicet entia realia ac positiva, &c. *contraria* distinguuntur à disparatis: per vocem *absoluta*, à relative oppositis: per voces *sub eodem genere* à privative oppositis & contradicentibus, quæ non habent commune genus; intelligitur vero vel genus proximum, vel remotum: per verba *plurimum distant*, non tamen intelligitur distantia loci, qua unum, verbi causa, est loco superiori, alterum interiori, quàm quidem distantia essentiæ, qua essentia unius contrarii discrepat ab essentia alterius, non quidem ex toto, sed ex parte, quatenus aliquid in essentia unius, quod non est in essentia alterius; sic essentia caloris distat ab essentia frigoris, licet quoad locum in eadem aqua tepida conjungantur.

[2. *Albedinis* & *nigredinis* commune genus est color; *caloris* & *frigoris* commune genus est qualitas prima tactilis; *virtutis* & *vitii* commune genus est habitus moralis; *paris* & *imparis* commune genus est numerus. At contradictoria & privative opposita nullum habent commune genus sub quo sunt: sic ens & non ens, visus & cæcitas, nullum habent commune genus, quodnam enim illud erit?]

Quæst. VII. *Quomodo dividuntur contraria?*

In mediata & immediata.

Quæst. VIII. *Quæ vocas mediata?*

Quæ admittunt medium participationis; ut, *calor* & *frigus*, *albor* & *nigror*.

1. *Medium*

1. *Medium participationis*) vocatur, quod particeps eſt utriuſque extremi: quo modo tepor eſt medium caloris & frigoris, quia aliquid habet caloris, & aliquid frigoris; ſic rubor habet coloris albi aliquid, & nigri aliquid, ideoque eſt medium participationis inter utrumque.

[2. Diſtinctio inter medium negationis & participationis peculiarem uſum habet in doctrina ethica de virtute morali, quæ eſt poſita in medio inter duo vitia, non participationis, ſed negationis: neque enim liberalis eſt partim prodigus, partim avarus: ſed nec prodigus, nec avarus.]

3. Medium negationis vocatur, de quo utrumque extremum negatur; ut, angelus eſt medium negationis inter calidum & frigidum, album & nigrum, rectum & obliquum, quia hæc omnia de angelo negantur.

4 Medium negationis reperitur in omni ſpecie oppoſitorum, exceptis contradicentibus: in contrariis, non omnibus, ſed quibuſdam, inſuper reperitur medium participationis: at hoc in nulla alia ſpecie oppoſitorum reperiri poteſt.]

Quæſt. IX. *Quæ immediata?*

Quæ non admittunt medium participationis; ut *par* & *impar*, *rectum* & *obliquum*.

1. Nullus numerus eſt, qui partim ſit *par*, partim *impar*; nulla linea, quæ partim ſit *recta*; partim *obliqua*.

Quæſt. X. *Quid ſunt relative oppoſita?*

Quæ id ipſum quod ſunt oppoſitorum eſſe dicuntur, vel aliio quovis modo ad illa referuntur; ut, *pater* & *filius*, *dominus* & *ſervus*.

1. *Pater & filius*, *dominus & ſervus*, ſunt oppoſita, quatenus tribuuntur eidem reſpectu ejuſdem (ſic enim pugnant) ſed ſi tribuantur diverſis, tantum abeſt ut pugnent, ut potius ſeſe mutuo conſtituant; ſic enim *pater* eſt qui habet *filium*, & contra: ſic, eſſe *dominum* & eſſe *ſervum*, ſi tribuantur eidem Petro reſpectu ejuſdem Pauli, pugnant; at ſi eſſe dominum tribuatur Petro, eſſe ſervum Paulo ſe mutuo conſtituunt. Priori modo ſpectantur hic relata; poſteriori in prædicamentis.

2. Relata hic conſiderantur, quatenus ſuis opponuntur terminis; in prædicamentis vero, quatenus ad ſuos terminos referuntur ſive correlata.

Quæſt. XI *Quid ſunt privative oppoſita?*

Privative oppoſita ſunt habitus & illius privatio.

1. *Pri-*

1. *Privative oppesita*) versantur circa idem, non numero, sed genere aut specie, subjectum: sic, quia animali competit visus, illi quoque competit cæcitas.

2. Cum subjectum dicatur idem, vel generica identitate, vel specifica, vel numerica, hic intelligitur subjectum idem, vel genere, vel specie, non numero; nam fieri nequit, ut idem numero homo, puta Petrus, simul & videat & sit cæcus: sed licet mihi dicere de homine, (aut specie) aut de animali, (aut genere) homo vel animal & videt, & cæcum est; quia non statim, quod verum est de genere uno aut specie eadem, id quoque verum est de uno atque eodem individuo.

Quæst. XII. *Quid intelligitur hoc loco, nomine habitus?*

Quodlibet accidens, quod à subjecto suo separari potest; puta, vel potentia naturalis, [secunda scilicet, non prima, vel habitus in qualitate [primæ speciei,] vel patibilis qualitas, vel operatio [seu actio,] vel habitus in decima categoria.

1. *Habitus* tria significat. 1. *Primam qualitatis speciem.* 2. *Categoriam decimam.* 3. Ut hic, *quodlibet accidens à subjecto suo separabile*, scilicet, reipsa & naturaliter.

2. Sub tertia significatione comprehenditur habitus primæ & secundæ significationis.

Quæst. XIII. *Quid est privatio?*

Privatio est absentia habitus in subjecto, quod per naturam suam, & per tempus [ac locum] à natura definitum, aptum est habitum recipere.

1. *Privatio*) in genere est absentia formæ, scilicet, accidentalis vel substantialis; quæ si inesse tantum potest, dicitur privatio physica, si vero inesse debet, dicitur privatio logica: quamvis privatio logica proprie sit absentia formæ accidentalis, quia habitus quo subjectum privat est accidens. Intelligitur hic vero privatio quæ habitum sequitur: ideoque tenebræ quæ lucem nondum conditam præcesserunt, in superficie abyssi, non possunt dici privatio lucis. Præterea, debet subjectum quod habitu privatur, esse tale, ut ejus natura habitum recipere valeat: ideoque lapis non est subjectum idoneum cæcitatis, quia non est lapidis hæc natura, ut videat. Præterea, debet esse tempus certum à natura constitutum, quo subjectum, habitum recipere debet: ideoque ante nonum diem catulus non potest dici cæcus, quia nonum demum diem natura constituit in catulis ad videndum. Denique, debet esse & locus certus quem natura

natura definivit, ut in eo loco habitus privationi succedere queat: ideoque urinatores sub aqua, cum non audiunt, non possunt dici surdi aut privati auditu, quia natura, aquam non destinavit pro medio aut loco idoneo audiendi.

2. Forma accidentalis dicitur accidens, quod per omnes materiæ partes se insinuat, ut lux, color, &c. substantialis dicitur substantia, quæ omnes materiæ partes informat, penetrat, pervadit, ut anima respectu corporis.]

Quæst. XIV. *Da exempla eorum, quæ opponuntur privative.*

Visus & cæcitas, scientia & ignorantia, lux & tenebræ, motus & quies, nudum & vestitum esse, &c.

1. *Visus & cæcitas)* sunt exemplum potentiæ naturalis, tanquam habitus, & oppositæ privationis. *Scientia & ignorantia*, scilicet, puræ negationis, non pravæ dispositionis, sunt exemplum habitus in prima specie qualitatis, & privationis. Tertium exemplum est passibilis qualitatis; quartum, operationis; quintum, habitus in decima categoria; & oppositarum privationum.]

[2. *Quies)* vel antecedit *motum*, vel eum sequitur, tanquam terminus ejus ad quem. Quies quæ motum antecedit in corpore quod motum aliquando fuit, & moveri solet, est privatio motus, qui inesse debet per naturam corporis mobilis: sed quies quæ antecedit motum in corpore quod solet quiescere, & contra naturam movetur, non est privatio logica, quia non est absentia habitus qui inesse debet, neque enim corpus quiescere solitum, ex natura sua moveri debet; sed est privatio physica motus qui inesse potest. Quies, quæ motum sequitur in corporibus quæ contra naturam moventur, non est privatio; sed tantum in corporibus quæ moveri solent, privatio est, & quidem logica.]

Quæst. XV. *Quid sunt contradicentia?*

Contradicentia sunt ens & non-ens; ut, *homo, non-homo; album, non-album; videre, non-videre.*

[1. *Contradictio* est omnium oppositionum maxima, quia negat ubique & semper: est insuper mensura reliquarum oppositionum, in iisque includitur, nam quod cæcitas opponatur visui privative, ideo est, quia cæcitas est non-visus; quod albor nigrori contrarie, ideo est, quia albor est non-nigror; quod pater filio relative, ideo est, quia pater est non-filius, respectu scilicet ejusdem; quod homo tauro, leoni, disparate, ideo est, quia homo est non-taurus, &c.]

2. *Contradictio* effertur in terminis vel transcendentibus, ut, *ens & non-ens*; vel prædicamentalibus,

talterius, ut, *homo, non-homo.*

3. Termini transcendentes sunt, qui transcendunt & transiliunt omnes categoriarum omnium limites ac fines, aut, qui in nullo certo vel uno prædicamento inveniuntur, sed in omnibus; ut, ens, unum, verum, bonum: termini prædicamentales sunt, qui in certo & uno reperiuntur prædicamento; ut homo, longitudo, albor.

4. Contradictio est vel explicita, vel implicita: prior, cum inter terminos contradictionis interponitur particula *non*; ut, homo, non-homo, albor, non albor: posterior, cum in altero terminorum, ac præsertim prædicato, implicatur & occulte involvitur negatio alterius seu prioris termini, puta subjecti; ut, cum dico homo irrationalis, idem est ac si dixero, homo non-homo, si enim non sit rationalis, non est homo; aut, sacrificium incruentum, quod idem est ac sacrificium non-sacrificium, cum nullum sacrificium fiat sine sanguine missio, sacrificium in quo non funditur sanguis, nec sacrificium est, atque hoc vocant philosophi *implicare contradictionem*, vel *contradictionem in adjecto*, vel *oppositum in appositio*: nam irrationale adjectum aut appositum homini, aut incruentum sacrificio, utrumque tollit; cum nullus homo sit irrationalis, nullum sacrificium incruentum.

CAPUT XXIII.

Quæst. I. *Quid est ordo?*

ORdo est, secundum quem aliquid altero prius aut posterius, vel etiam simul cum illo, dicitur.

In omni *ordine* est aliquid primum, aliquid medium, aliquid postremum.

Quæst. II. *Quot modis dicitur prius & posterius?*

Quinque modis; tempore, natura, dispositione, dignitate, & cognitione.

Quæst. III. *Quid est prius tempore?*

Quod altero vetustius & antiquius dicitur. Sic *Pythagoras* dicitur prior *Socrate*; & *bellum Trojanum, bello Punico.*

1. *Prius tempore* dicitur vel absolute, quod tota sua durationi prius est; sic Adam prior tempore est Abrahamo, quia ille esse desiit antequam hic cœperit esse: vel secundum quid, quod parte durationis prius est; ut Plato Aristotele est prior, quia ille quidem prius esse cœpit, sed tamen esse non desiit antequam hic esset.

Quæst.

Quæst. IV. *Quid prius natura?*

Quod prius est, aut existendi consecutione, aut causalitate.

Quæst. V. *Quid vocas prius existendi consecutione?*

A quo non reciprocatur existendi consecutio. Sic *animal* prius est *homine*, & *numerus binarius*, *ternario*: posito enim homine, ponitur animal, at posito animali, non necesse est poni hominem; similiter posito ternario numero, binarius quoque ponitur, posito binaro, non necesse est poni ternarium.

1. Dicitur *reciprocari existendi consecutio*, quando duorum terminorum unus alterum infert, & vice versa, idque in legitima consequentia, ratione existentiæ utriusque: qualis reciprocatio locum habet inter causam emanativam & effectum, subjectum & proprium, relatum & correlatum: nam, licet mihi inferre, & quidem recte, existit sol, ergo & lux; existit ignis, ergo & calor; existit aliquis pater, ergo aliquis existit filius.

2. *Reciprocari* proprie dicitur serra, quæ à tabris lignariis findendo lignum sursum ac deorsum trahitur, ut modo pars serræ infra, modo supra lignum appareat, & sic locum suum mutet: hinc translata vox est ad philosophiam, significatque transmutationem & transpositionem subjecti in locum prædicati, & vice versa, in enunciatione; ut omne animal sentit & omne sentiens est animal, quæ vulgo dicitur conversio: significat quoque unius enunciationis ex alia illationem mutuam; ut existit sol, ergo & lux; existit lux, ergo & sol. Quando non licet sic inferre mutuo, dicitur ab uno termino ad alium non reciprocari existendi consecutio; à quo autem termino ad alterum talem illationem facere non licet, ille est prior altero quoad existendi consecutionem: sic quamvis licet dicere, existit homo, ergo & animal; quia omnis homo est animal: non tamen licet dicere, existit animal, ergo & homo, quia non omne animal est homo; ideo animal prius est homine quoad existendi consecutionem.

3. *Prius existendi consecutione* est, quod ponitur alio posito, & quo posito aliud non ponitur: sic, ponitur animal posito homine, sed non ponitur homo posito animali. Ideoque, quamvis liceat dicere, est homo, ergo est animal; non valet tamen reciprocatio consequentiæ: existit animal, ergo existit homo: quia potest existere aliud animal quam homo, scilicet brutum. Hoc modo prius est omne genus sua specie, & omnis species suo individuo, & omne universale singulari.

Quæst.

Quæst. VI. *Quid vocas prius causalitate?*

Quod reciprocatur secundum existendi consecutionem, & alterum quomodocunque causa est cur alterum existat. Sic *sol* est prior sua *luce*; non tempore, sed natura sive causalitate.

[1. Illa *reciprocantur secundum existendi consecutionem*, quæ sese mutuo inferunt, & ex se invicem inferuntur: sic dico, est *sol*, ergo est *lux*; est *lux*, ergo est *sol*. Sol tamen prior est natura quia est causa lucis.]

2. Cavendum est serio, ne illa quæ sunt simul tempore, putentur esse simul natura; nam multa eodem tempore, imo & momento, existunt, quorum tamen alterum altero prius est natura, & quidem causalitate: sic materia prior est quantitate natura, & tamen simul tempore cum ea; sic simul tempore sunt ignis & calor suus qui in se est, sol & lux, omne subjectum & proprium; & tamen ignis calore, sol luce, & subjectum proprio sunt priora natura ac causalitate, quia sunt causæ emanativæ reliquorum, tanquam effectuum. Huc referri debet prioritas ordinis in Deo, quando Pater dicitur prima persona, Filius secunda, Spiritus Sanctus tertia, & in transcendentibus, quando dicitur ens prius unitate, veritate, bonitate: non tamen Pater est causa Filii, nec uterque causa Spiritus Sancti, nec ens causa unitatis, veritatis, bonitatis; sed cum aliquis sit tamen utrobique ordo, ad nullam speciem ordinis vel prioritatis commodius referri possunt, quam ad hanc. Hinc ortum quoque duxit hæc loquendi formula, inter disputandum philosophis usitata, qua illa quæ sunt simul tempore, se dicunt distinguere secundum momenta aut instantia naturæ, ac signa rationis, quatenus ratio humana ex illis, quorum neutrum altero prius est tempore, unum tamen prius & in momento priori concipit, quam alterum: ita dicunt priorem esse essentiam Dei, potentia, sapientia, &c. ens unitate, veritate, &c. quia ratio hominis prius essentiam Dei, quam ejus potentiam, & ens prius quam unitatem, concipit.]

[3. Cum ratio hominis, illa quæ sunt simul tempore, vel ab æterno, concipit distinctis non tantum conceptibus, sed temporibus, dicuntur illa philosophis distingui juxta vel secundum diversa signa, momenta, aut instantia rationis, quæ alii vocent, naturæ; quia licet, verbi causa, simul sint tempore *sol* & *lux*, natura tamen utriusque exigit, solis, ut causæ & principii, lucis, ut causati & principiati, ut prius concipiatur sol quam lux: sic, quamvis omnia Dei attributa simul sint ab æterno in Deo, natura tamen Dei exigit ut prius concipiamus attributum simplicitatis aut perfectionis

nis, quam immutabilitatis, quia hoc per illa demonstratur & distincti hi rationis humanæ conceptus, formati distincto tempore de rebus, quæ vel tempore vel ab æterno sunt, simul nobis peperecunt illa vel naturæ vel rationis instantia, momenta, ac signa philosophis dicta.]

Quæst. VII. *Quid est prius dispositione?*

Quod minus abest ab initio: Sic *exordium* prius est cæteris partibus in oratione.

Illud *minus abest ab initio* quod est propius initio.

Quæst. VIII. *Quid prius dignitate?*

Quod præstantius est. Sic *magistratus* prior est *subditis*, *dominus servis*, *pater liberis*.

Quæst. IX. *Quid prius cognitione?*

Quod notius est.

Quæst. X. *Quot modis dicitur aliquid altero notius?*

Duobus; vel quoad naturam, vel quoad nos.

1. *Notius quoad naturam,*) est notius cognitione distincta & intellectuali; notius vero quoad nos, est notius cognitione confusa & sensuali. Quia à teneris assuescimus sensuum uti ministerio in cognoscendo: & prius utimur sensibus quam ratione, ideo, quod sensibus est vicinius dicitur prius cognitione quoad nos; quod vero prius intelligitur ratione quam sensu, dicitur notius quoad naturam, quia intellectus in intelligendo sequitur non ordinem sensuum, sed naturæ, & illum quem Deus, author naturæ, posuit in rebus. Quod autem notius est natura, ignotius est quoad nos; & contra. Cognitio sensualis confusa est, quia sensus tantum cognoscunt accidentia, effectus rerum non penetrant; & visus tantum cognoscit colorem & lucem, vel lapidis vel hominis, &c. neutrius essentiam percipit: sed intellectus dicitur distincte cognoscere res, quia ipsas rerum essentias suo lumine pervadit; nam intelligit & materiam & formam, tum lapidis tum hominis, quibus, utriusque essentia absolvitur.

[2. Deo sunt principia res quaslibet cognoscendi, sensus & intellectus; sed modus cognoscendi alter ab altero differt. Quæ enim sensibus cognoscuntur, ea cognoscuntur confuse, quia nullius substantiæ, nec corporeæ nec incorporeæ essentiam, sensus percipit; nam objectum sensuum est vel commune, vel proprium, utrumque accidens; nullum vero accidens nos in substantiæ cognitionem dedu-

deducere valet, quæ à solo intellectu cognoscitur distincte : hic enim cognoscit 1. substantias incorporeas, item universalia, quæ neutra in sensus incurrunt ; 2. cognoscit quoque substantias corporeas, non tantum quoad accidentia, sed & quoad essentiam. Atque hinc liquet, quam sit imperfecta cognitio hominis, si ultra sensus non abeat, quemadmodum non abit vulgus hominum, etiam literatorum : pauci enim, judicia quæ de rebus per sensus ab infantia cognitis tulere, ad examen rationis vocant ; sed plerique res esse tales judicant, quales dictavit sensus, quod conjunctum est cum maximo errandi periculo : sic enim quis judicaverit solem esse bipedalem, remum sub aqua esse fractum, turrim eminus visam esse rotundam, quia visus sic dictat. Cum itaque maximus errandi magister sit sensus sæpissimeque nobis imponat, aut quia organum sentiendi non est bene affectum, aut qua medium non est bene dispositum, aut quia objectum non est debite approximatum, atque insuper substantiæ nullius essentiam, sed tantum accidentia ejus cognoscat ; quis non videt, optime facere veritatis studiosum, & naturas rerum cognoscendi avidum, si nihil pro vero ac certo accipiat, quod ante rationis usum solo sensuum admiculo cognovit, priusquam illud sua ratione expenderit, atque examinaverit intellectu ? & quis non videt, cognoscendi certitudinem quærendam esse ab intellectu, non à sensu ? sic ut, quicunque desideret certam sibi claram ac distinctam rerum comparare notitiam, debeat necessario incipere ab intellectu, & non à sensu ; quia sensus multa non cognoscit, & quæ cognoscit, cognoscit, confuse, obscure, & incerto : at intellectus non quidem omnia, sed quædam saltem, ut prima principia, cognoscit firmiter, certo, clare & distincte, & longe plura alia ad quæ sensus non pertingit.]

Quæst. XI. *Quænam dicuntur notiora secundum naturam ?*

Quæ natura priora sunt ; ut, *universalia singularibus, partes toto, causæ effectis*, &c.

Sic genus est notius sua specie, & species individuo, scilicet *natura :* contra, individuum est notius specie, & species genere, *quoad nos.* Sic totum *nobis* notius est partibus, & effecta causis : quam multa enim effecta cognoscimus, quorum causas ignoramus ? at partes *natura* notiores sunt toto, & causæ effectis.

Quæst. XII. *Quæ quoad nos ?*

Quæ natura posteriora, sensibusque nostris viciniora sunt ; ut, *singularia universalibus, totum suis partibus, effectum causis.*

Quæst.

Quæst. XIII. *Quot modis dicitur simul?*

Totidem fere modis, quot prius & posterius dicitur: sed duo modi cæteris usitatiores sunt; simul tempore, & simul natura.

Quæst. XIV. *Quænam dicuntur simul tempore?*

Quæ eodem tempore existunt; ut, *æquales*, & συγχρονοι, hoc est, *contemporanei*, [ut Aristoteles & Alexander.]

Simul tempore dicitur duobus modis: vel cum duo eodem tempore cœperunt, eodemque desierunt; vel cum alterum altero prius quidem vel cœpit, vel desiit; attamen simul aliquandiu exstiterunt.

Quæst. XV. *Quæ simul natura?*

Simul natura dicuntur primo, quæ reciprocantur quidem secundum existendi consecutionem, sed ita, ut alterum non sit causa, cur alterum existat; ut, relatum & correlatum, puta, *pater* & *filius*: deinde, quæ in ejusdem generis divisione sibi invicem opponuntur æqualiter; ut, *homo* & *bestia*.

1. *Pater & filius*] sunt simul natura, quatenus sunt relatum & correlatum; non vero, quatenus sunt homines: nam homo qui est pater, est prior & causa ejus qui est filius; sed non est prius pater, quam alter est filius, neque esse *patrem* in uno (puta Philippo) magis est causa cur esse *filium*, sit in Alexandro, quam esse *filium* in Alexandro, est causa, cur esse *patrem* sit in Philippo.

2. *Homo & bestia*] dicuntur simul natura, respectu nimirum animalis, quia animal de illis simul, id est, æqualiter, prædicatur, nec de uno prius quam de altero: continentur enim æqualiter sub animali, & sub eo simul comprehenduntur secundum quid, scilicet, secundum genus τὸ animal; utrumque, respectu sui invicem, brutum fuerit prius homine. *Pater & filius* dicuntur simul simpliciter.

3. Species dicuntur esse natura simul respectu generis, quando genus uni non magis tribuitur quam alteri, nec una species alteri debet quod naturam ac nomen generis participet; quemadmodum homo non debet bruto, nec brutum homini, quod utrumque sit animal: at, cum ens dividitur in substantiam & accidens, Deum & creaturam, istæ species, respectu entis tanquam generis, non sunt simul natura quia nomen & natura entis magis & prius convenit Deo quam creaturis, substantiæ quam accidenti; & creatura debet Deo, accidens

substantiæ, quod nomen & naturam entis participent. Vel sic; Species alicujus generis, vel ita se habent, ut neutra ab altera dependeat, quemadmodum homo & brutum, & tum genus dicitur æqualiter prædicari de illis: vel ita se habent, ut una dependeat ab altera, quemadmodum substantia & accidens; & tum genus dicitur prædicari inæqualiter: nam quod ens prædicetur de accidente, hoc accidens debet substantiæ, quia hæc illius est causa.

CAPUT XXIV.

Quæst. I. *Atque hactenus egimus de thematum simplicium categoriis, & affectionibus, quæ ex rerum in categoriis dispositarum collatione oriuntur: quid porro sequitur?*

Interpretatio thematum simplicium, & affectiones quas intellectus noster vocabulis affingit, ex modo conceptus suos interpretandi.

1. Logica dirigit & sermonem internum & externum: hactenus ea sumus persecuti, quæ faciunt ad cognitiones nostras dirigendas; sequuntur nunc quæ faciunt ad dirigendum orationem nostram: ut sic discamus non tantum res qualiter et bene intelligere, sed & intellectas aliis bene explicare atque interpretari.

2. Per sermonem externum ab omnibus intelligitur oratio, quæ lingua profertur, auribusque percipitur: per sermonem internum nonnulli intelligunt ipsas animi nostri cogitationes, alii potius vocabula ipsa sub quibus res cogitantur, concipiuntur, intelliguntur: quæ duo hic sunt distinguenda; nam cogitationes de re aliqua in diversis hominibus possunt esse eædem, & vocabula sub quibus cogitantur sint diversa; verbi causa, Gallus. Belga, Hispanus, omnes concipiunt hominem esse animal rationale, conceptus de re eadem erunt iidem, sed vocabula sub quibus concipiuntur in singulis sunt diversa.

3. *Affectiones*] intellige orationis seu vocis, *vid. cap.* 3. præced.

Quæst. II. *Quid est interpretatio?*

Interpretatio est vox articulata, animi conceptus ex instituto significans.

1. *Vox*] est sonus significativus: significatque vel animi affectus, ut fletus, risus, & vocatur vox inarticulata, quia syllabis & literis, tanquam articulis, non constat; vel significat animi conceptus seu cogitationes, & vocatur *articulata*, quia literis & syllabis, tanquam articulis constat, ut, homo, animal.

2. Quæ-

2. Quæritur hic, an voces significent non potius res significatas, quam conceptus mentis humanæ. Respondeo: voces, quia primum inventæ sunt ad cogitationes hominum aliis explicandas, primum & proxime significant conceptus animi; sed quia conceptus nulli, aut cogitationes instituuntur nisi de rebus, fit ut voces secundario ac remote significent res conceptas ac cogitatas.

3. Non agitur hic de voce, prout literis conflat ac syllabis, quod est Grammaticæ; nec de ea, prout est vel propria vel figurata, quod est Rhetoricæ: sed, prout est index animi, & significat aliquid à mente intellectum ac perceptum, & aliis explicandum, quod est Logicæ.

4. *Ex instituto)* significat vox quælibet; quia pro variorum hominum ac nationum arbitrio, voces vim significandi acceperunt.

5. Instituti & arbitrii humani, quo acceperunt vim significandi voces, interdum ratio quædam dari potest, interdum non potest. Nullum est dubium, quin certa ratione vocibus in lingua Hebræa significationes fuerint impositæ, quæ tamen vel peritissimos ejus in plerisque latent, in reliquis linguis pauciſſimæ rationes vocum in significando assignari possint, quia ex confusione Babylonica sunt ortæ.

Quæst. III. *Quotuplex est interpretatio?*

Duplex; dictio, quæ est interpretatio simplex; & oratio, quæ est interpretatio composita.

Quæst. IV. *Quid est dictio sive interpretatio simplex?*

Cujus nulla pars significat seperatim [scilicet in eadem lingua] ut, *homo, pisces, lapis.*

1. *Nulla pars)* id est, syllaba.

2. *Significat seperatim)* scilicet quatenus est pars istius dictionis: ita, quamvis partes hujus vocis, *valebis*, scilicet, *vale & bis*, aliquid significent seperatim; non tamen id faciunt quatenus sunt partes istius vocis.

Quæst. V. *Quid est oratio, sive interpretatio composita?*

Cujus partes significant aliquid seperatim; ut, *homo est animal: pisces non respirat.*

1. *Partes]* id est, dictiones: nam hæ sunt partes orationis.

Quæst. VI. *Quomodo dividitur dictio?*

In nomen & verbum.

1. Cum Logicis *nomen* & *verbum* dicuntur *dictiones* aut partes orationis, intelligunt nomen casus nominativi, & verbum modi indicativi tantum: quia illud tantum intelligunt

nomen, quod potest habere rationem subjecti, & verbum, quod potest habere rationem prædicati; sed nomina casus obliqui non possunt habere rationem subjecti, nec verba aliorum modorum quam indicativi possunt habere rationem prædicati, quia hæc & hujusmodi verba ac nomina nunquam sensum efficiunt perfectum, sed imperfectum tantum: at Logici, illa nomina & verba tantum habent pro partibus orationis, quæ faciunt sensum perfectum.

Quæst. VII. *Quid est nomen?*

Nomen est dictio quæ sine tempore significat, & conjuncta verbo substantivo *est*, effert verum aut falsum; ut, *homo, animal.*

1. Aliud est, tempus non significare, & aliud, *sine tempore significare*: multa nomina significant tempus, ut, *annus, mensis*; multa non significant tempus, ut, *homo, animal*: omnia tamen significant sine tempore, quia nunquam significant rem in aliqua differentia temporis, vel præsentis, vel præteriti, vel futuri.

2. *Nomen*] hic intelligitur Logicis substantivum tantum, non adjectivum, & nominativi casus, non aliorum casuum.

Quæst. VIII. *Quid est verbum?*

Verbum est dictio quæ tempus adsignificat, & semper signum est eorum quæ de altero dicuntur; ut, *disputat, currit.*

1. Quando voces, hæ, *disputat, currit*, ponuntur ut exempla verbi, quod est dictio seu interpretatio simplex, sumuntur indefinite, non subintellecto nominativo, sed tantum consignificato tempore præsenti: Belgice melius exponitur, **men disputeert nu, men loopt nu**: nam si subintelligatur nominativus, hic aut ille, sunt exempla interpretationis compositæ, & thematis complexi.

1. *Adsignificare tempus*) est, præter rem significatam denotare temporis differentiam, sub qua res significata esse, fuisse, vel fore dicitur. Exempli gratia, *disputatio* est nomen, *disputat* verbum: discrimen est, quod prius vocabulum significet actionem sine tempore, posterius cum tempore.

2. *Signum est eorum, &c.*) id est, *verbum* est signum prædicati ejus quod prædicatur; nam nomen est semper subjectum, & verbum est prædicatum.

3. Præter nomen & verbum, nullas partes orationis habent Logici: nam pronomen & participium referunt ad nomen; reliquæ partes orationis, sic Grammaticis dictæ, illis non sunt tales, sed tantum additamenta orationis, &, ut vulgo loquuntur, συγκατηγορήματα: talia quoque sunt adjectiva.

4. Di-

4. Dictiones Logicis dividuntur in categorematicas, & syncategorematicas. Categorematicæ dicuntur, nomen substantivum nominativi casus, & verbum indicativi modi, quia illa tantum de se invicem κατηγορεῖσθ seu prædicari possunt. Syncategorematicæ dictiones sunt, omnia nomina aliorum casuum, & verba aliorum modorum, item aliæ omnes orationis partes, item adjectiva; atque inter ea speciatim sic vocatur, *omnis*, *nullus*, *aliquis*, *quidam*, & id genus particulæ, quæ enunciationis quantitatem denotant, de quibus cap. 28.

Quæst. IX. *Quomodo dividitur nomen & verbum?*

Utrumque dividitur in finitum, & infinitum.

Quæst. X. *Quid est nomen aut verbum finitum?*

Quod habet significationem definitam; ut, *homo*, *currit*.

Quæst. XI. *Quid infinitum?*

Cujus significationem negandi nota *non* indefinitam facit; ut, *non-homo*, *non-currit*.

1. *Nomen aut verbum finitum* est, quod rem aliquam certam & certo significat, id est, habet certam significandi amplitudinem aut latitudinem, intra quam consistit; ut, *homo*: *infinitum* est, quod non significat rem aliquam certam aut certo, quod non consistit intra certam aliquam significandi latitudinem aut amplitudinem; ut, *non homo*: hoc enim omnia significat præter hominem, cui apponitur particula *non*.

2. Ex hac nominis ac verbi, tum finiti tum infiniti, definitione, ortum ducit contradictio, quæ est, quando idem nomen aut verbum nunc habet significationem definitam, nunc indefinitam: ut, *homo*, *non-homo*; *currit*, *non-currit*.

3. Infinitum nomen & verbum semper cognoscitur per præpositam particulam *non*, ut *homo* significat rem aliquam certam nimirum animal rationale, non brutum, non lamnum, non lapidem, &c.

4. *Currit*] significat aliquid certo, nimirum, non stare, non sedere, non ambulare, non jacere, sed talem formam motus quem *cursum* vocamus.

5. *Non-homo*] non significet rem certam: nam scamnum, lapis, planta, & quidquid præter hominem rerum est, est *non-homo*.

6. *Non-currit*] non significat aliquid certo: nam significat jacere, stare, ambulare, & omnem, præter τὸ currere, motum & actionem.

CAPUT XXV.

Quæst. I. *Quænam sunt spectanda in dictionibus?*

PRimo, etymologia & conjugatio; deinde, homonymia & synonymia.

1. *Synonymia*] hic non sumitur, ut à grammaticis, pro æquipollentia vocum, quo sensu illis dicuntur ensis & gladius, vocabula synonyma; sed alio sensu, de quo cap. seq.

Quæst. II. *Quid est etymologia?*

Etymologia est ratio vocis in significando ex origine declarata; veluti, cum mutuum dicitur, quasi *de meo-tuum.*

1. Dupliciter vocis significatio, *ex origine declaratur*: vel ut vox composita resolvatur in simplices, vel ut vox derivativa resolvatur in primitivam: exempla utriusque passim sunt obvia.

2. *Etymologia*] logica distinguitur ab etymologia grammatica, quia logica habet rationem significationis, grammatica non item. Ducuntur vero etymologiæ logicæ ab omnibus affectionibus logicis, & notionibus secundis: ex. gratia, à causa efficiente, ut scriptura à scribo; à materia, ut homo ab humo; ab affecto, ut, consul à consulendo; ab objecto, ut, logica à λόγῳ, &c.

3. Quæri potest, ac solet, num etymologiæ quoque logicæ ducantur ab oppositis: ita quidem vulgo sentiunt, ut, bellum, quasi minime bellum; parcæ, quia minime parcant vitæ mortalium; lucus, quia minime luceat, ob arborum densitatem: alii tamen negant, & significandi originem aliunde deducunt; & in exemplis allatis, bellum volunt dici quasi duellum, uti antiquis bonum dictum fuit quasi donum; parcæ, quod maxime parcant vitæ humanæ, dum non statim ejus stamina resecant; lucus, quia maxime luceat per ignem quo in sylvis densissimis sacra comburebantur. Sed nescio, an in omnibus etymologiis quæ ab oppositis duci solent, ex alia origine vocum significatio peti possit.

Quæst. III. *Quid sunt conjugata?*

Conjugata sunt, quæ voces [cognatione] & significationis affinitate juncta, terminationis diversitate differunt: ut, *justitia, justus, juste; sapientia, sapiens, sapienter, sapere.*

1. *Conju-*

1. *Conjugatio* hîc non significat flexionem verbi per modos & tempora, sed locum habet in nominibus etiam & adverbiis, quæ à se invicem derivantur; ut in exemplis authoris patet.

2. In *conjugatis* tria sunt observanda; *vocum cognatio, affinis significationis, & terminationis diversitas.*

Quæst. IV. *Quot partibus constat conjugatio?*

Tribus; voce primitiva, paronyma sive denominata, & casu.

Quæst. V. *Quid est vox primitiva?*

Vox primitiva est vox abstracta, quæ ab alia voce non est denominata; [ut, *justitia.*]

1. *Vox abstracta*] dicitur, quæ significationem habet simplicissimam, ut *justitia*, quæ logice à nulla alia voce derivatur: nam non justitia à justus, ut Grammatici volunt, sed justus à justitia derivatur; quia justus habet significationem concretam sive complexam, significat enim virtutem illam, & hominem in quo est. Grammatici rationem habent syllabarum, derivant justitiam à justus, quia justitia quadrisyllabum est, & justus dissyllabum: at Logica syllabarum rationem non habet. *Abstractæ vocis* significatio est simplicior, quia plerumque significat nudum accidens, non significato subjecto, ut *justitia.*

2. *Vox abstracta*] dicitur ab abstractione simplici seu præcisionis (quæ quid sit, vide cap. 13. quæst. 8. com. 1.) quia significat aliquid quod quidem est in alio, non tamen connotato, sed præcise eo, in quo est: ut *justitia* significat virtutem nudam, non connotato homine in quo est, & *humanitas* significat naturam humanam, non connotato Petro aut Paulo in quo est. Vel sic, *vox abstracta* dicitur ab abstrahendo, quia significat aliquid quod cum aliis rebus conjunctum est, sive iis insit, sive adsit, ut tamen non significet illas ipsas res: sic *justitia* significat aliquid quod ineſt justo, non tamen significando ipsum hominem in quo est.

Quæst. VI. *Quid paronyma sive denominata, [sive derivativa?]*

Vox paronyma est vox concreta, quæ à voce primitiva sic derivata est, ut ab ea, terminatione sola differat; ut, *justus.*

1. *Vox concreta*] dicitur à concernendo, quia significat aliquid quod concernit aliud in significando, ideoque illud consignificat seu connotat; ut *justus* significat justitiam, sed quæ concernit & connotat hominem in quo est.

2. *Vox concreta* est, quæ habet significationem compositam: ut, *justus*.

3. *Concreta vox*, vel significat substantiam & accidens, ut *justus*, significat enim hominem ac *justitiam*; vel significat subjectum & relationem, ut pater, significat enim & hominem & paternitatem; vel significat naturam substantialem & substantiam quæ eam habet, ut homo significat humanitatem, & eum qui eam possidet. Voces *paronymæ* sive *concretæ* sunt omnes voces adjectivæ, ut, doctus, albus, &c. omnes item substantivæ quæ significant relata, ut pater, dominus; omnis enim relatio est abstractum relati, ut, paternitas, dominium. An etiam alia substantiva vocabula, & quæ, sint voces paronymæ, usu addiscendum est, & ex definitione vocis paronymæ dijudicandum.

4. *Vox concreta* dicitur vel à concernendo, quod significatio ejus adhuc aliam rem concernat ac connotet; vel à concrescendo, quod ejus significatio ex duabus significationibus concreverit ac coaluerit; ut *justus* significat justitiam, sed quæ est in homine aliquo, ideoque subjectum suum in quo est concernit ac connotat, ejusque significatio conflata est & concrevit ex significatione hominis, tanquam subjecti, & justitiæ, tanquam virtutis: sic & *bonus* est vox concreta, quia significat naturam humanam, & simul Petrum aut Paulum, in quo est; itaque significat humanitatem, sed quæ concernit ac connotat subjectum de quo dicitur.

[5. Duobus modis dicitur vox abstracta, vel à connotatione subjecti, vel à connotatione inferiorum. Prioris generis voces abstractæ significant accidens, non connotato subjecto in quo est; ut, *justitia*: posterioris generis voces significant naturam substantialem, non connotatis inferioribus de quibus dicitur; ut, *humanitas*. Totidem modis dicitur vox concreta: vel quæ connotat subjectum; ut, *justus*; vel quæ connotat inferiora, ut, *homo*.

6. Quia *humanitas* non est accidens, non est in subjecto, ideoque non potest abstrahi à connotatione subjecti; neque vox concreta *homo*, potest connotare subjectum verum. Quia *humanitas* est in Petro, Paulo, Joanne, aliisque individuis, homine inferioribus, dicitur abstrahi à connotatione inferiorum; & vox concreta *homo*, dicitur connotare inferiora, Petrum, Paulum, Joannem, de quibus dicitur. At *justitia*, quia est accidens, abstrahitur à connotatione subjecti; & concretum *justus* subjectum connotat.]

7. *Concreta* sunt, 1. Omnia adjectiva vocabula. 2. Omnia substantiva quæ significant relatum aut correlatum.

8. *Abstracta* sunt. 1. Nomina substantiva in *ia*, ut, *justitia*; in *io*, ut, *precatio*; in *as*, ut, *veracitas*; in *do*, ut, *fortitudo*; & in alias terminationes desinentia, quæ regulis certis comprehendi nequeunt. 2. Omnia nomina substantiva significantia virtutes & vitia; item relationes.

Quæst.

Quæst. VII. *Quid casus?*

Casus, hoc loco, est adverbium à nomine aut verbo suæ conjugationis deductum: aliàs, casus est quælibet vocis inflexio.

1. *Casus)* apud logicos non uno modo sumitur; interdum significat omnes casus præter nominativum, interdum omnes modos extra indicativum: hic neutrum notat, sed adverbium aliunde derivatum.

2. *Quælibet vocis inflexio)* seu per casus, genitivum, dativum, &c. ut in nomine; seu per modos, imperativum, subjunctivum, &c. ut in verbo fit.

Quæst. VIII. *Adde exemplum.*

Justitia, sapientia, sunt voces abstractæ sive primitivæ; *justus, sapiens, sapere,* voces concretæ sive paronymæ; *justè, sapienter,* casus.

CAPUT XXVI.

Quæst. I. *Quid est vox synonyma sive univoca?*

QUÆ res [duas aut plures] significat, quibus ratio essentiæ, sive definitio, communi nomini accommodata, [id est, communi voce significata] est eadem.

1. In *voce synonyma* duo sunt: vox communis pluribus rebus significandis accommodata, eadem; ac *definitio* pluribus rebus significatis accommodata, *eadem:* ut animal respectu hominis & bestiæ; nam & homini nomen animalis, & bestiæ idem competit, & utrique convenit communis definitio animalis, quod sit substantia corporea, vivens, sentiens.

2. *Definitio* dicitur *ratio essentiæ,* quia cum quis interrogatur, quænam est essentia hujus vel illius rei, is recte respondet per definitionem: ut, si quis rogetur, quænam est essentia hominis, apte respondebit, & rationem reddet per definitionem, dicendo, quod sit animal rationale.

3. Vox unaquæque significat *res* in numero plurali, quando significat thema universale; sed significat *rem,* cum significat thema singulare: ideoque omnis vox synonyma, est universalis in significando, sed non vice versa, ut liquet comment. ult. quæst. seq.

[4. Di-

[4. Dicitur aliquid universale multis modis: 1. essendo; sic natura sive essentia hominis est universalis, quia pluribus competit individuis, Petro, Paulo, &c. 2. in causando; quo sensu causa aliqua dicitur universalis, quæ producit effectus plures specie, ut sol & cœlum producunt & viventia & non viventia: 3. in repræsentando; hoc modo conceptus, seu species intelligibilis hominis in intellectu, est quid universale, quia repræsentat naturam universalem, & pluribus communem: 4. in significando; & sic dicitur vox quæ plura significat; & hoc modo, hic vox synonyma dicitur universalis.]

Quæst. II. *Quid vox homonyma, sive æquivoca?*

Quæ, res significat, quibus ratio essentiæ sive definitio communi nomini accommodata, est diversa.

1. In *voce homonyma* duo sunt: 1. Vox communis, pluribus rebus significandis accommodata, eadem; 2. *Definitio*, secundum vocem illam communem pluribus rebus accommodata, *diversa*: ut cum *cancer* limitur pro morbo, animali, & sidere, nulla hic definitio communis illis tribus dari potest, cum tamen omnia ista tria communi nomine *cancri* conveniant.

2. Conveniunt vox synonyma & homonyma in eo, quod utrobique una vox significet res plures: differunt in eo, quod sub voce una synonyma detur quoque una definitio communis pluribus rebus significatis; at in voce homonyma non item, sed ibi totuplex datur definitio quotuplex est unius vocis homonymæ significatio: ita alia est definitio cancri prout hæc vox significat morbum, alia prout sidus; sed non est alia definitio animalis prout significat hominem, nec alia prout notat brutum, sed una eademque animalis definitio convenit utrique.

Quæst. III. *Da exemplum.*

Vox *animal*, cum animali vivo simul & picto tribuitur, est homonyma; quia non est una communis essentia aut definitio vivi & picti animalis: at, cum homini & bestiæ tribuitur, est synonyma; quia una eademque essentia est & definitio animalis, quæ homini & bestiæ cum ipso communi nomine *animalis* communis est.

1. Voces homonymæ sive æquivocæ Latinis dicuntur *ambiguæ*. De voce paronyma actum est quæst. 6. cap. 25.

Quæst. IV. *Quotuplex est vox homonyma?*

Duplex; alia à casu, alia à consilio.

Quæst.

Quæst. V. *Quænam voces dicuntur homonymæ à casu?*

Quæ diversis rebus significandis sine causa sunt impositæ: veluti cum *jus* dicitur tum quod sorberi potest, tum quod iniuriæ opponitur.

1. *Homonyma à casu* sunt, cum nulla potest dari ratio cur rebus, natura & definitione diversissimis, idem nomen sit impositum; ut, cur *gallus* dicatur de homine & animali.

Quæst. VI. *Quænam à consilio?*

Quæ diversis rebus significandis certa ratione sunt impositæ.

1. *Homonyma à consilio* sunt, cum potest dari causa, cur unum nomen pluribus rebus significandis sit impositum, quia hoc factum est certo consilio; ut, cum *videre* significat lætitiam hominis, & statum pascuorum vernantium.

Quæst. VII. *Quotuplex est ratio homonymiæ?*

Duplex; alia enim in rebus est, alia in nobis.

Quæst. VIII. *Quotuplex est ea quæ in rebus esse dicitur.*

Iterum duplex; tropus scilicet, & inæqualis attributio generis. Omnia enim vocabula tropica sunt ambigua; veluti, cum *anima* ponitur pro homine, *author* pro libro, &c. Tum etiam vocabula generum, quæ suis speciebus communicantur inæqualiter; ut, *ens*, cum dicitur de substantia & accidente; *sanum esse*, de animali, de cibo, & de urina. Inter vocabula tropica maxime elucent metaphorica: in quibus spectatur similitudo rerum vel simplex, veluti cum homo vafer *vulpes* dicitur, aut homo impurus *porcus*: vel analogica, veluti cum minister ecclesiæ *pastor* vocatur.

1. Cum *tropus* omnis sit mutatio significationis propriæ in alienam, facta ob certam causam, omnis vox tropica significat res plures, ideoque homonyma est, & quidem à consilio, quia plurium significationum certa subest causa, quæ in Rhetoricis explicari solet; quod etiam ex nominibus troporum scias

sciri potest, ut, metonymia causæ, effecti, &c. synecdoche partis, totius, &c. unde ratio homonymiæ in illis est, quod una vox, causa & effectum, partem & totum, &c. significet: in metaphoricis ratio homonymiæ est similitudo: in ironia ratio homonymiæ est contrarietas.

[2. Vocabula homonyma, *ob inæqualem attributionem generis*, scholastici dicuntur analoga analogia attributionis, sed pessime: nam omnis analogia significat similitudinem; at quæ similitudo est inter Deum & creaturam, ratione quorum *ens* est homonymum genus, aut analogum analogia attributionis? certe inter ens infinitum, Deum, & ens finitum, creaturam, inter substantiam, quæ per se subsistit, & accidens, quod non per se subsistit, quænam est similitudo, proportio, aut analogia? Rectius tale genus Aristoteli dicitur ἀφ' ἑνὸς ab uno, πρὸς ἕν ad unum, πρὸς μίαν φύσιν ad unam naturam; quia *ens*, ejusque natura, id est, essentia ac definitio magis refertur ad Deum quam ad creaturam, ad substantiam quam ad accidens, imo quod creatura & accidens nomen ac naturam entis participent, hoc est & provenit à Deo & substantia, quæ sunt causæ creaturæ & accidentis.]

[3. Quæ vocabula sunt *homonyma* ob *inæqualem attributionem generis*, ea hanc habent causam homonymiæ, quod genus dicatur prius de una specie quam de altera, idque, quia una species ab altera dependet tanquam à causa: sic *ens* est genus homonymum respectu *substantiæ & accidentis*, quia prius dicitur de substantia quam de accidente, & id fit, quia accidens dependet à substantia, tanquam à causa; ut ratio homonymiæ in voce *ens*, sit dependentia accidentis à substantia tanquam à causa: idem dicendum est de ente respectu Dei & creaturæ; hæc enim dicitur & est ens, quia creatura à Deo dependet tanquam à causa. Scholastici vocant tale homonymum seu æquivocum, analogum analogia attributionis.]

[4. Hoc exemplum *(sanum esse de animali, cibo, & urina)* non quadrat; quia *sanum* non est genus animalis, cibi & urinæ, nam nec æqualiter nec inæqualiter ab illis participatur; at vero, vocabulum homonymum ratione generis est, cum species inæqualiter generis nomen ac naturam participant, & cum hoc utrumque una species alteri debet: sic accidens debet substantiæ, quod nomen ac naturam entis participet, & creatura Deo; ideoque ens prius & potius dicitur de substantia quam de accidente, & de Deo quam de creatura. Si roges, ad quam homonymiæ speciem referri debeat *sanum*, cum dicitur *de animali, cibo, & urina*, respondeo, ad homonymiam ratione tropi: nam *urina* dicitur *sana*, quatenus est signum aut adjunctum sanitatis; *cibus*, quatenus est efficiens sanitatis; *animal*, quatenus est subjectum sanitatis, ubi nullus est tropus.]

5. Quæ sit *similitudo simplex*, quæ *analogica*, explicatum est cap. 20. quæst. 4, 5, 6. hujus libri.

6. Si-

6. *Similitudo simplex* rerum est convenientia duorum in eodem tertio, ut vulpis & hominis in astutia: *similitudo analogica* est convenientia terminorum quatuor; verbi gratia ut pastor pascit oves, ita minister ecclesiam.

Quæst. IX. *Quando voces homonymæ dicuntur propter rationem in nobis sitam?*

Cùm nomen propinquæ aut charæ personæ indimus liberis nostris, ad conservandam illius memoriam; aut personæ piæ aut illustris, ob spem similitudinis, aut ad exemplum.

Ut cum filio quis indit nomen patris, aut avi, aut patriarchæ, aut regis, aut principis, &c.

CAPUT XXVII.

Quæst. I. *Atque hæc de themate simplici. Quid porrò sequitur?*

THema complexum, ejusque interpretatio, quæ enunciatio dicitur.

1. Doctrina de *themate simplice*, ejusque interpretatione seorsim fuit tradita sed vero doctrina de *themate complexo*, & ejus interpretatione, scilicet composita, simul traditur, ob rationem quæ datur quæstione tertia.

2. *Thema complexum*) distinguitur ab interpretatione composita, quemadmodum thema simplex ab interpretatione simplici: uti thema simplex fuit, quod simplici & una mentis actione fuit intellectum, interpretatio simplex, qua thema simplex cognitum una dictione à lingua fuit prolatum; ita thema complexum dicitur, quod pluribus mentis actionibus inter sese vel conjunctis, vel divisis (quæ est operatio mentis complexa,) fuit intellectum, & interpretatio composita est, qua pluribus dictionibus in ratione de se invicem vel affirmatis, vel negatis, thema complexum à lingua fuit prolatum. Interim, licet doctrina thematis simplicis & interpretationis simplicis diversis capitibus fuerit explicata, quia diversæ utriusque sunt affectiones; doctrina tamen thematis complexi & interpretationis compositæ iisdem nunc traditur capitibus, quia eædem sunt utriusque affectiones.

3. Discrimen inter thema complexum & interpretationem compositam est, quod thema complexum dicat respectum ad rationem cognoscentem, interpretatio composita ad orationem proferentem.

Quæst.

Quæst. II. *Quid est enunciatio?*

Enunciatio est oratio, in qua aliquid [scilicet prædicatum] de aliquo [scilicet subjecto] vere aut falso pronunciatur; ut, *terra est rotunda: mare non est altius terra.*

1. *Enunciatio*) aliis dicitur *propositio*, aliis *axioma*. Est *oratio*, scilicet linguæ, externa, sicut ipsum thema complexum est oratio mentis internæ. Porro est *interpretatio composita*, quia ejus partes aliquid significant separatim.

2. *Enunciatio* non recte dicitur *propositio*, quia conclusio in syllogismo etiam est enunciatio, nec tamen propositio; talis enim est tantum major ac minor syllogismi, quæ utraque proponitur, sive præponitur sive præmittitur conclusioni, unde & præmissa vocatur utraque, quia ante conclusionem ambæ collocantur. Nec melius enunciatio dicitur *axioma*, quia hæc vox proprie dicitur de enunciatione quæ propter sui claritatem digna est omni fide & assensu, absque ulla explicatione, quia sola vocabulorum, quibus effertur, significatione hausta, veritas ejus cognoscitur; ut, *totum est majus sua parte*; *bis bina sunt quatuor*, &c. sed non omnis enunciatio tam claræ veritatis est, ut ita facile fidem & assensum impetret, ideoque non omnis enunciatio est axioma.

3. Thema complexum sic dicitur respectu mentis concipientis; respectu vero sermonis externi, sive conceptuum interpretationis, dicitur *Oratio* seu *Enunciatio*, quum res sive conceptus, per *orationem* significentur seu enunciationem.

[4. Veritas est vel metaphysica, vel physica, vel ethica, vel logica. Veritas metaphysica est convenientia entis cujuslibet cum principiis suis vel definientibus vel constituentibus: hoc sensu Deus est verus Deus, & Petrus verus homo, & canis verus canis, quia singuli ista possident quibus vel definiuntur, vel constituuntur. Veritas physica est convenientia judicii, seu intellectus judicantis, cum rebus intellectis ac judicatis: sic cum intellectus judicat nivem esse albam, hominem non esse lapidem, judicium ejus est verum. Veritas ethica, item & logica, est veritas orationis, non vero entis, ut prima; nec mentis, ut secunda; sed sermonis.]

[5. Principia definientia sunt genus & differentia, quæ cadunt etiam in entia simplicia, ut spiritus, atque adeo in ipsum Deum, qui definiri potest, si non perfecte, saltem imperfecte; si non per genus proprium & differentiam proprie dictam, per ea saltem improprie dicta describi potest, qualicunque modo. Principia constituentia sunt materia & forma, quæ cadunt in sola corpora, respondentque generi & differentiæ, in corporibus definiendis. Ergo Deus est verus Deus; quia essentiam habet spiritualem, perfectissimam, immensam, æternam, cæterisque attributis præditam, quibus

quibus definitur; sed idolum non est verus Deus, quia non habet essentiam spiritualem, perfectissimam, æternam, nec illis attributis præditam, quibus definitur Deus: sic homo pictus non est verus homo, quia principia constituentia verum hominem non habet, nec materiam, corpus organicum, nec formam, animam rationalem; at Petrus est verus homo, quia utrumque habet.

[6. Vocantur hæ quatuor veritatis species, prima metaphysica, secunda physica, tertia ethica, quarta logica; quia de prima agitur in metaphysicis, de secunda in Physicis, de tertia in ethicis, de quarta in logicis. Præterea & hoc notandum venit, quod veritas metaphysica dicatur simplex, quia est thematis simplicis, at reliquæ tres veritates vocantur veritates complexæ, quia sunt thematis complexi, vel ratione concepti, ut veritas physica, vel ratione prolati, qualis est veritas ethica & logica. Tertio, observandum est, quod omnis hæc quadruplex veritas sit sita in quadam convenientia, seu congruentia, seu conformitate, vel entis cum suis principiis, aut cognoscendi, aut essendi, qualis est veritas metaphysica; vel mentis aut rationis cum rebus conceptis, & de se invicem aut affirmatis aut negatis, qualis est veritas physica; vel sermonis aut orationis, cum aut animo proferentis, qualis est veritas ethica, aut rebus prolatis, qualis est veritas logica; postrema hîc tantum in definitione enunciationis intelligitur, & ei opposita falsitas.]

[7. Oratio dicitur duobus modis vera vel falsa, prout convenerit vel cum mente dicentis, vel cum rebus ipsis, aut prout dissenserit ab alterutro. Quando oratio est conformis menti dicentis, dicitur vera ethice; quando non est conformis menti dicentis, dicitur falsa ethice: quando autem est conformis rebus, scilicet sermone prolatis, est vera logice; quando non est conformis rebus, est falsa logice, exempli gratia, cum quis dicit, *Princeps venit Leidam*, neque melius sciat, est oratio vera ethice; si quis eandem orationem proferat, & melius sciat, est falsa ethice: si quis dicat, *Petrus est homo*, est oratio vera logice; si quis dicat, *Petrus non est homo*, est oratio falsa logice. Hinc liquet, posse orationem veram ethice, falsam esse logice, & vice versa. Exempli gratia, si quis nesciens Principem venisse Leidam dicat, ut alterum fallat, *Princeps venit Leidam*, ejus oratio est vera logice, & falsa ethice, contra, si quis ex viro fide digno acceperit, Principem venisse Leidam, qui tamen non venerit, & tum dicat, *Princeps venit Leidam*, ejus oratio est vera ethice, & falsa logice. Hoc loco, in definitione enunciationis, per vocabula *vere* vel *falso* intelligitur veritas vel falsitas logica: veritas & falsitas ethica ad ethicam pertinet.]

Quæst. III. *Cur non discernis thema complexum ab illius interpretatione, ut factum fuit in themate simplici?*

Quia eædem species, eædemque affectiones in themate complexo, atque in illius interpretatione sive enunciatione, considerandæ sunt.

Quæst. IV. *Quænam sunt spectanda in enunciatione?*

Species & affectiones.

Quæst. V. *Quænam sunt species enunciationis?*

Primo, simplex & composita: deinde, pura & modalis.

Quæst. VI. *Quid est enunciatio simplex?*

Quæ non potest in plures enunciationes resolvi; ut, *Canis latrat: Verres est fur.*

1. Clarius dici potest *enunciatio simplex*, quæ unam tantum habet copulam verbalem est; aut uno tantum constat verbo quod vim habet copulæ, ut, *latrat*, id est, *est latrans*: si enim duo occurrant verba aut duæ copulæ verbales, aut unum idemque verbum vel copula verbalis, denuo repetatur vel subintelligatur, est enunciatio composita: sic in illo *Virgilii*,

Una Furiisque Notisque ruunt creberque procellis
Africus, ——

verbum *ruit*, bis subintelligitur, ac si dixisset, *Eurus ruit, & Notus ruit, & Africus ruit.*

Quæst. VII. *Quæ sunt partes enunciationis simplicis?*

Subjectum & prædicatum.

Quæst. VIII. *Quid est subjectum?*

Cui aliquid in enunciatione simplici tribuitur.

1. *Subjectum* quod opponitur prædicato latius patet quam subjectum quod opponitur adjuncto; dicitur hoc loco subjectum, prior pars in enunciatione, de qua aliquid dicitur; prædicatum vero pars posterior, quæ de altera dicitur. Hoc vero notan-

randum est, subjectum & prædicatum non tam ex situ, quam ex sensu, dijudicanda esse, & ex constructione grammatica: ut in illo *Juvenalis* versu,

——*Nobilitas sola est atque unica virtus, nobilitas* est prædicatum, & tamen loco ponitur priori, *virtus* est subjectum, & ponitur posteriori: sed constructio & sensus docent nobilitatem dici de virtute, non contra, virtutem de nobilitate.

2. *Petrus est doctus*: ibi *Petro* tribuitur *doctum esse*, sed non tribuitur τῷ *docto*, quod sit *Petrus*; ideo Petrus est subjectum, & doctus prædicatum.

Quæst. IX. *Quid prædicatum?*

Quod alicui in enunciatione simplici tribuitur.

Quæst. X. *Quid ergo de copula verbali* est *statuendum?*

Copula *est* censetur pars prædicati: ut in hac enunciatione, *homo est animal*, subjectum est *homo*, prædicatum *est animal*.

1. *Copula est)* est quasi forma & anima enunciationis, subjectum & prædicatum sunt quasi materia aut corpus, seu partes integrantes enunciationis.

[2. Forma & materia corporibus, corpus & anima viventibus tribuuntur; sed enunciatio, nec corpus, nec vivens est, unde & quasi materia & quasi forma, vulgo materiale & formale, & quasi corpus ac quasi anima illis tribuuntur. Quemadmodum voci ante tribuimus quasi materiam seu materiale, literas scilicet & syllabas, ex quibus constat, & quasi formam seu formale, vim significandi: sic hic enunciationi tribuimus pro quasi materia seu materiali, subjectum & prædicatum, pro quasi forma seu formali, copulam *est*, ante expressam, aut in verbo quod vim habet copulæ latentem; sic postea syllogismo tribuemus pro quasi materia seu materiali, tres terminos simplices, & tres enunciationes, pro quasi forma, syllogismo formali, figuras & modos.]

Quæst. XI. *An copula* est *semper in enunciatione exprimitur?*

Non: sæpe in verbo continetur; ut, *Socrates sapit*: hoc enim idem est ac, *Socrates est sapiens*.

1. Cum *copula est* in verbo continetur, dicitur enunciatio binaria, quia duabus constat vocibus; ut, *Petrus disputat*: cum à verbo distinguitur, dicitur enunciatio trinaria, quia tribus constat vocibus; ut, *Petrus est disputans*. Si vocula *est* simul sit copula & prædicatum, ut, *Socrates est*, vocatur *est secundi adjecti*, quia secundo loco ad subjectum adjicitur: nam *est* in hac enunciatione [*Socrates est*] & copula est, & simul prædicatum; nam Socrates est, significat, Socrates est existens. *Est* secundi

adjecti est pars enunciationis simplicis, ut hic, Socrates est primum adjectum, *est* secundum adjectum: at cum dico, Socrates est disputans, *est* copula est, & præter Socrates & disputans, tertio loco adjicitur. Si tantum sit copula, & non item prædicatum, ut, Socrates est philosophus, vocatur *est tertii adjecti*, quia *est* tertio loco apponitur, cum primo loco sit subjectum, secundo prædicatum.

[2. *Est* secundi adjecti significat existentiam subjecti: ut, cum dico, Rosa est, significo nunc temporis rosam existere. *Est* vero tertii adjecti significat essentiam, vel substantialem, vel accidentalem, aut potius connexionem attributi essentialis vel accidentalis cum subjecto, licet nec attributum nec subjectum existat in rerum natura: ut, cum dico, Rosa est flos, est rubra; significo, rosæ, licet non existentis, essentiam esse florem, accidens, rubedinem.]

[3. Fundamentum hujus commentarii in eo situm est, quod essentia & attributa essentialia, imo & accidentalia, abstrahi possint abstractione simplici, per intellectum hominis, ut metaphysici dicunt, ab omni hic & nunc, id est, loco ac tempore, aut clarius, ab omni existentia quæ non datur in certo loco ac tempore: ita quamvis nunc non existat Homerus, nec existat in Homero nunc esse rationalem, quod est attributum essentiale, nec esse postam, quod est attributum accidentale, vere tamen dico per *est* tertii adjecti, Homerus est rationalis, & Homerus est poeta, quia significatur connexio tantum utriusque prædicati cum subjecto, quæ vera est, etiam nec subjecto nec prædicato existentibus: at si per *est* secundi adjecti, Homerus est, quia hic vocula significat existentiam, falsum dixero, neque enim nunc temporis in ullo mundi loco Homerus existit.]

Quæst. XII. *Quid est enunciatio composita?*

Quæ constat ex pluribus enunciationibus simplicibus quam una.

1. Clarius dicitur *enunciatio composita*, quæ plures habet copulas verbales, vel plura verba, sive expressa, sive subintellecta: ut in illo Poetæ, *Et prodesse volunt & delectare poetæ*, verbum *(volunt)* semel subintelligitur; tantundem enim est ac si dixisset, *Poetæ volunt prodesse, & poetæ volunt delectare.*

Quæst. XIII. *Quotuplex est?*

Quintuplex; copulativa, hypothetica, disjunctiva, adversaria, & relativa.

Quæst. XIV. *Quid est enunciatio copulativa?*

Cujus partes connectuntur conjunctione copulativa, *&*, *que*, *quoque*, aut simili, ut, *Credidit Abraham Deo, & imputatum ei fuit ad justitiam.*

Partes

Partes *enunciationis copulativæ*, imo cujuslibet compositæ, sunt integræ enunciationes simplices, quæ singulæ suas habent partes alias, subjectum & prædicatum: ita in exemplo enunciationis copulativæ, prior pars est, *Credidit Abraham Deo*, quæ suum habet subjectum, *Abraham*, & suum prædicatum, *credidit Deo*; posterior pars est altera enunciatio, quæ iterum habet suum subjectum quod subintelligitur (scilicet *hoc*) & suum prædicatum, scilicet *imputatum*, &c.

Quæst. XV. *Quid est hypothetica seu conditionalis?*

Cujus partes [vel duæ enunciationes simplices] connectuntur conjunctione conditionali *si*; ut, *Si Deus est, mundus regitur providentia.* Hic prior pars dicitur *antecedens*, altera *consequens*.

1. Accurate notandum est, veritatem *enunciationis hypotheticæ* non consistere in veritate vel antecedentis vel consequentis, sed tantum in utriusque nexu sive connexione, *si*. Ideoque potest enunciatio hypothetica esse vera, ut utraque ejus pars sit falsa, quia connexio vera est; qualis hæc, Si asinus volat, habet alas: nam nec antecedens verum est, scilicet, asinum volare, nec consequens verum est, asinum habere alas, & tamen tota enunciatio hypothetica vera est, quia connexio vera est; quod enim volat, alas habet. Sic contra, potest antecedens esse verum, item & consequens, ut tamen tota enunciatio hypothetica sit falsa: ut, Si Abraham fuit dives, etiam fuit sanctus; hic singulæ partes veræ sunt, Abraham fuisse divitem, Abraham fuisse sanctum, tota tamen enunciatio falsa est, quia connexio falsa est; nemo enim propterea sanctus est, qui a dives est. Ergo veritas vel falsitas enunciationis hypotheticæ consistit in veritate vel falsitate vinculi. Vinculum est, quo partes enunciationis connectuntur, colligantur, vinciuntur; estque vel copula *est*, vel verbum in enunciatione simplici; vel aliqua conjunctio in enunciatione composita; ut hic est *si*.

2. Enunciatio conditionalis seu hypothetica nihil ponit in esse, hoc est, non infert esse verum antecedens aut consequens, seorsim sumpta, extra conditionem & conjunctionem conditionalem *si*: ut, cum dico, Si Deus potest mentiri, potest seipsum abnegare, hinc non sequitur verum esse anteeedens, quod Deus possit mentiri, aut consequens, quod possit seipsum abnegare; utrumque enim falsum est & blasphemum; attamen enunciatio hypothetica vera est.

Quæst. XVI. *Quid disjunctiva?*

Cujus partes connectuntur conjunctione disjunctiva, *aut*, vel, *sive*, *seu*, aut simili; ut, *Aut justificamur fide, aut operibus.*

1. Ut *disjunctiva* sit vera, partes ejus debent esse oppositæ, & quidem immediate: adeoque hæc falsa est, Aut homo est, aut animal, quia partes non sunt oppositæ; & hæc falsa est, Aut pax est, aut bellum, quia partes hic quidem sunt oppositæ, sed non immediate, nam induciæ sunt medium quid inter bellum & pacem.

Quæst. XVII. *Quid adversativa?*

Cujus partes connectuntur conjunctionibus adversativis, *quamvis tamen*, *non sed*, & similibus; ut, *Non formosus erat, sed erat facundus Ulysses.*

1. Ut enunciatio *adversativa* sit vera, requiritur utriusque partis veritas; ut, Etsi Abraham fuit dives, tamen etiam fuit pius; ut sit falsa, exigitur tantum alterutrius partis falsitas; ut, Quamvis pius fuit Moses, non tamen doctus, falsa est enunciatio, quia altera pars falsa est; nam Moses erat doctus.

2. Sola enunciatio adversativa non potest ingredi syllogismum, ut pars: reliquæ omnes enunciationum species syllogismi partes esse possunt.

Quæst. XVIII. *Quid relativa?*

Cujus partes connectuntur mutua relatione; ut, *Qualis rex, talis grex: Quod non est compositum, est immortale: Dum spiro, spero.*

Ut enunciatio *relativa* sit vera, requiritur utriusque partis veritas; quod liquet ex exemplis in textu allatis: ut sit falsa, sufficit unius partis falsitas; ut, Quanto fuit doctior Seneca, tanto fuit pauperior, falsa est, quia hæc pars falsa est, Senecam fuisse pauperem; nam fuit ditissimus.

CAPUT

CAPUT XXVIII.

Quæst. I. *Atque hæc de prima divisione: accedamus ad alteram. Quid est enunciatio pura?*

IN qua non exprimitur quomodo partes cohærent; ut, *Homo est animal: Homo non est lapis,*

Exempla subjecta enunciant simpliciter prædicatum convenire subjecto vel repugnare: ita *animal* tantum dicitur convenire cum *homine*, *homo* pugnare cum *lapide*, sic ut modus hujus vel convenientiæ, vel pugnæ, non exprimatur.

Quæst. II. *Quid modalis?*

In qua exprimitur quomodo partes cohærent; ut, *Necesse est hominem esse animal, aut, non esse lapidem.*

1. Quod enunciatio *modalis* sit distincta ab enunciatione *pura*, vel inde liquet, quod cum de Aristotele enuncio eruditionem in enunciatione pura, Aristoteles fuit aut est doctus, verum dico; at si addidero modum necesse, dicendo, necesse est Aristotelem esse aut fuisse doctum, falsum dixero: neque enim eruditio necessariò fuit in Aristotele, sed contingenter tantum; potuit enim non fuisse eruditus.

2. Hic in exemplis, præter subjectum & prædicatum, exprimitur modus quomodo vel conveniant vel repugnent: scilicet *necessario*, non contingenter.

Quæst. III. *Quot sunt modi?*

Quatuor; necesse, impossibile, possibile, & contingens.

[1. Hi quatuor modi deducuntur ex uno primo principio, De qualibet re vera est affirmatio vel negatio, seu aliquid vel est vel non est: quod est, vel ita est ut non possit non esse, & dicitur necessarium; vel ita est ut possit non esse, & dicitur contingens: quod non est, vel ita non est ut non possit esse, & dicitur impossibile; vel ita non est ut possit esse, & dicitur possibile. Deus ita est, ut non possit non esse, ideoque est ens necessarium; creatura sic est, ut possit non esse, ideoque est ens contingens: rosa, quæ nunc non est, potest tamen esse, ideoque est ens possibile: copus actu infinitum, quod non est, etiam non potest esse, ideoque est ens impossibile. Hi quatuor modi si applicentur enunciationibus, necessaria dicitur, cujus prædicatum ita vere enunciatur de subjecto, ut non possit non enunciari, quæ necessitas significatur per vocem *necesse*; ut, necesse est hominem esse rationalem: enunciatio quæ adjunctum habet modum *contingens*,

ita vera est, ut possit esse falsa; ut, contingens est Aristotelem esse doctum: enunciatio quæ habet modum *impossibilem*, ita vera est, ut ejus contrarium implicet contradictionem; ut, impossibile est hominem esse lapidem: enunciatio habens modum *possibilem*, ita vera est, ut ejus contrarium quoque verum esse possit; ut, possibile est hominem esse doctum.]

2. Notandum est, enunciationem modalem constitui per hosce modos, cum enunciantur adjective, non vero, cum adverbialiter. Verbi causa, homo necessario est animal, aut, Petrus contingenter est doctus, neutra enunciatio est modalis: at vero, cum dico, necesse est hominem esse animal, contingens est Petrum esse doctum, utraque est modalis.

3. Illi *quatuor modi* dicuntur modi formales, quia afficiunt formam enunciationis, hoc est, copulam verbalem, aut verbum quod vim habet copulæ. *Modi* qui afficiunt materiam, subjectum & prædicatum enunciationis, ut omnia adjectiva & adverbia, huc non pertinent: ut, pastor bonus ponit animam pro ovibus suis, &, Petrus studet diligenter; hic vocabula *bonus* & *diligenter* sunt modi materiales, quia alter subjectum afficit, alter prædicatum. Notandum autem est semel, subjectum & prædicatum dici enunciationis materiam, & copulam verbalem dici ejus formam.

Quæst. IV. *Quæ sunt partes enunciationis modalis?*

Dictum & modus: ut, in hac enunciatione, *necesse est hominem esse animal*, dictum est *hominem esse animal*, modus, *necesse*.

Dictum) in enunciatione modali semper est enunciatio simplex posita in infinitivo modo, ut in exemplo patet.

Quæst. V. *Quomodo disponendæ sunt hæ partes?*

Ita, ut dictum sit subjectum, & modus prædicatum.

Modus est quasi *prædicatum*, quia cohæret cum copula, quæ in enunciatione pura est pars prædicati; ut, necesse est hominem esse animal. Subjectum hujus modalis enunciationis est, hominem esse animal, prædicatum est, necesse est. Enunciatio pura est, homo est animal, ubi *homo* est subjectum, *est animal* prædicatum: quia vero τὸ *necesse* cohæret cum copula enunciationis puræ *est*, quæ est pars ejus prædicati, etiam τὸ *necesse* in modali enunciatione censetur prædicatum.

2. Hic judicandum est de subjecto & prædicato, non ex situ sed ex sensu; ideoque quamvis modus ponatur loco priori, quod fit sæpissime, & dictum posteriori, nihilominus modus est prædicatum, & dictum subjectum.

CAPUT

CAPUT XXIX.

Quæst. I. *Atque hæc de speciebus, quotuplices sunt affectiones enunciationum?*

Duplices; absolutæ, & relatæ.

Affectiones absolutæ dicuntur quæ enunciationibus singulis in se conveniunt, id est, uni tantum: *Relatæ*, quæ iis conveniunt inter se collatis, id est, pluribus.

Quæst. II. *Quænam sunt affectiones absolutæ?*

Quantitas & qualitas,

1. Hæ voces, *quantitas & qualitas*, non significant hic idem quod significarunt in prædicamentis, ubi fuerunt ipsa themata simplicia; hic autem sunt thematum complexorum affectiones.

2. Cum quærimus, *quanta* sit enunciatio, & *qualis*, ad has quæstiones respondendum est ex divisionibus sequentibus. Itaque cum rogo, *quæ*, *qualis*, *quanta* est enunciatio, vox *quæ* petit cujus sit speciei, simpiex an composita, pura an modalis; vox *qualis*, an sit affirmans an negans, vera an falsa, necessaria an contingens; vox *quanta*, an sit universalis an particularis, an indefinita an singularis.

Quæst. III. *Quomodo dividitur enunciatio ratione quantitatis?*

In universalem, particularem, indefinitam, & singularem.

Quæst. IV. *Quid est enunciatio universalis?*

In qua subjectum universale accipitur universaliter, hoc est, cum nota universalitatis, *omnis*, *nullus*, aut simili; ut, *Omnis homo est animal*; *Nullus cometa est stella.*

1. In enunciatione universali duo requiruntur: 1. ut subjectum sit universale; 2. ut prædicatum de eo enuncietur universaliter; quod fit, *cum nota universalitatis* est addita *subjecto*: ut, Omnis (nota universalitatis) homo est animal; hic, quandoquidem verissime animal dicitur de omni homine, dicitur de eo universaliter.

2. Causa cur nota universalitatis debeat addi subjecto, & non prædicato, hæc est; quia subjectum plerumque est angustius prædicato, ideoque, ut prædicato adæquetur, per notam universalitatis extenditur, ampliatur, ac dilatatur.

Quæst. V. *Quid particularis?*

In qua subjectum universale accipitur particulariter, hoc est, cum nota partis incertæ, *aliquis*, *quidam*, aut simili; ut, *Aliquis homo est dives: quidam homo non est doctus.*

1. Enunciatio *particularis* habet quidem subjectum etiam universale, sed id quod de subjecto enunciat, enunciat particulariter; quod fit, cum subjecto universali additur nota particularitatis. Exempli gratia, *Aliquis homo est dives.*

2. Ista enunciatio habet quidem subjectum universale (quod est *homo*) sed id (puta *divitem esse*) quod de subjecto dicit, id dicit particulariter; quod facit per additam particularitatis (*aliquis*) notam, subjecto *hominis*.

Quæst. VI. *Quid indefinita?*

Cujus subjectum universale nulla quantitatis nota definitur; ut, *Matres amant liberos suos.*

1. Enunciatio *indefinita* subjectum quidem habet universale, sed neque universaliter, neque particulariter aliquid de eo enunciat, verum indeterminate, absque ulla nota vel universalitatis vel particularitatis.

2. *Matres amant liberos suos*) est enunciatio indefinita, quia subjecto universali (*matres*) nulla præposita est vel universalitatis (ut, *omnes*, *nullæ*) vel particularitatis (ut, *aliquæ*, *quædam*) nota, qua ablente, enunciatio est indeterminata sive indefinita: hæ autem notæ locum non habent nisi in subjecto universali, non in singulari.

Quæst. VII. *Quid singularis?*

Cujus subjectum est singulare; ut, *Milo occidit Clodium.*

In enunciatione *singulari* subjectum est individuum determinatum, non vagum; hoc enim facit enunciationem particularem, ut, Aliquis homo est doctus; quæ non debet confundi cum enunciatione singulari. In exemplo authoris, *Milo* est subjectum singulare determinatum.

CAPUT

CAPUT XXX.

Quæst. I. *Quomodo dividitur enunciatio ratione qualitatis?*

PRimo, in affirmantem & negantem; deinde, in veram & falsam.

Quæst. II *Quid est enunciatio affirmans?*

Quæ partes conjungit; ut, *Omnis homo est animal: Si Deus est, mundus regitur providentia: Necesse est, Deum esse justum.*

1. *Enunciatio affirmans* est, quando vinculum ejus affirmatur.

2. Per *partes* hic, & in sequenti quæstione, intelliguntur subjectum & prædicatum in enunciatione simplici, antecedens & consequens in hypothetica, dictum & modus in modali: singulorum exempla sunt subjecta in authore. Dicuntur hæ *partes conjungi*, quando enunciatio unam partem alteri attribuit, seu inesse dicit.

Quæst. III. *Quid negans?*

Quæ partes dividit; ut, *Terra non movetur: Non, si casus est in natura, providentia Dei tollitur: Non necesse est Socratem disputare.*

1. Enunciatio *negans* est, quando vinculum ejus negatur.

2. *Partes* dicuntur *dividi*, cum enunciatio unam partem ab altera removet, seu cum significat unam alteri non inesse. Notandum vero est, ut enunciatio sit negans, particulam negandi *non* esse addendam 1. copulæ, seu 2. verbo quod vim habet copulæ, vel 3. notæ quantitatis, ut, *non omnis homo est doctus*; vel 4. in ea includendum (ut, *nullus homo est lapis*) in enunciatione simplici, conjunctione in compositâ, modo in modali: exempla sunt in textu.

Quæst. IV. *Quomodo dividitur enunciatio tum affirmans, tum negans?*

In finitam & infinitam.

Quæst. V. *Quam vocas finitam?*

Quæ constat subjecto & prædicato finitis; ut, *Omne corpus est in loco.*

Enunciatio *finita* exigit utrumque, & subjectum & prædicatum, finitum: infinita exigit alterutrum tantum infinitum. Quid sit prædicatum ac subjectum finitum, dictum est cap. xxiv. penultima & ultima quæstione.

Quæst.

Quæst. VI. *Quam infinitam?*

Quæ constat subjecto, aut prædicato, aut etiam utroque, infinito; ut, *Non-ens excluditur à categoriis: Quidam homines sunt non-mali: Quidam non adeo divites, sunt minime sordidi.*

Quæst. VII. *In quo differt enunciatio negans ab infinita affirmante?*

In enunciatione negante ponitur negatio proxime 1. ante copulam, aut 2. ante verbum quod vim copulæ continet, aut 3. ante notam quantitatis, vel 4. etiam in nota quantitatis includitur; ut, *Quidam homines non sunt electi: Lapides non vivunt: Non omnis est impius: Nullæ bestiæ ratiocinantur.* Si duæ negationes occurrant, enunciatio censetur affirmata; [Id verum est in lingua latina, non græca, in qua duæ negationes fortius negant,] ut, *Nullus homo non peccat.* Si negatio alio loco ponatur, efficit ennunciationem infinitam affirmantem; ut, *Quidam non-locuples potest esse dives: Omne animal non-rationale est bestia: Adam potuit non peccare.*

[1. Discrimen hoc inter enunciationem simpliciter negantem & infinitam affirmantem diligenter est tenendum; nam diversum, imo oppositum habent hæ enunciationes nonnunquam sensum, quemadmodum ultimum exemplum demonstrat: si enim dixero, *Adam potuit non peccare*, ut illud *non* ponatur post copulam immediate ad prædicatum, & illud reddat infinitum, enunciatio est vera & affirmans; sed si ponatur nota negandi ante ipsam copulam, hoc modo, *Adam non potuit peccare*, est enunciatio falsa & negans, sic enim nunquam peccasset: nam à negatione potentiæ ad negationem actûs valet consequentia. Sic in alio exemplo, *Æneas potuit non vincere Turnum*, est enunciatio affirmans infinita vera; *Æneas non potuit vincere Turnum*, est enunciatio negans finita falsa, sic enim nunquam Turnum vicisset: si enim negandi nota ponitur ante verbum *potuit*, negatur utrobique potentia; cum ponitur ante prædicatum, negatur actus tantum peccandi vel vincendi, qui in Adamo & Ænea sequi non potuit, quamvis in utroque sit secutus.

2. Ut enunciatio sit negans, aut ex affirmante in negantem mutetur, oportet ut negatio 1. vel includatur in nota quantitatis, qualis est *nullus*, *nemo*, ut, nullus homo est animal, ubi includitur in voce *nullus*; 2. vel ut ponatur proxime ante copulam, ut, Petrus non est lapis, ubi ponitur *non* ante copulam *est*; 3. vel ut ponatur ante verbum quod habet vim copulæ, ut, Petrus non studet, *studet* enim in se continet copulam, tantundem enim est ac si diceres, non est studens; 4. vel ut ponatur ante notam quantitatis, ut, non omnis homo est doctus; *omnis* enim nota quantitatis est, cui negatio *non* præponitur.

CAPUT

CAPUT XXXI.

Quæst. I. *Hæc de affirmatione & negatione. Porro quæ est enunciatio vera?*

QUÆ [affirmat] conjungit ea quæ revera [affirmata] conjuncta sunt, aut [negat] dividit quæ revera sunt [negata] divisa.

Enunciatio vera enunciat esse quod est, ut, homo est animal; & non esse quod non est, ut, homo non est bestia: itaque complectitur & affirmantem & negantem enunciationem:

Quæst. II. *Quæ falsa?*

Quæ [affirmat] conjungit ea quæ [negata] divisa sunt, aut [negat] dividit quæ [affirmata] conjuncta sunt.

Falsa enunciatio vel enunciat esse quod non est, ut, homo est lapis; vel enunciat non esse quod est, ut, planta non vivit: prior affirmans est, posterior negans, utraque falsa.

Quæst. III. *Quomodo dividitur enunciatio vera?*

In necessariam & contingentem.

Quæst. IV. *Quam vocas necessariam?*

Quæ non potest esse falsa; ut, *Homo est animal*, aut, *homo non est lapis.*

1. Necesse seu necessarium dicitur in genere, quod non potest aliter se habere; & respicit vel rei existentiam, vel operationem, vel prædicationem. Priori modo eas dividitur in necessarium & contingens: necessarium est, quod ita existit ut nunquam possit non existere, estque solus Deus; contingens est, quod ita existit, ut possit non existere, atque aliquando non existit, talis est omnis creatura. Secundo sensu divisa fuit causa efficiens in liberam & necessariam: ubi necessaria dicitur, quæ quando agit, non potest non agere; talis est omnis causa præter Deum, angelos, & hominem. Neutra necessitas huc spectat: ergo sensu tertio, *enunciatio* dicitur *necessaria*, quæ ita vera est, ut non possit non esse vera; ut, *homo est animal*; id ita verum est, ut nunquam fuerit aut nunquam possit esse falsum. Hujus vero necessitatis causam si quis quærat, ea non est alia quam arctissima connexio prædicati cum subjecto, quæ tanta est, ut à se invicem separari nunquam valeat; separatione scilicet

scilicet reali, quin interdum ne separatione quidem mentali, seu simplici seu complexa; at vero in enunciatione contingenti, non tantùm mente, sed & reipsa separari potest prædicatum à subjecto.

2 *Necessitas* enunciationis hoc in loco dicitur vulgo *necessitas in prædicando*, & distinguitur à necessitate *in causando*, & *in existendo*: quarum illa est, qua causa quæ agit, quando agit, non potest non agere; hæc est, qua ens quod existit, quando existit, non potest non existere: priori modo ignis, necessarium est ens in causando, quia non potest non urere; posteriori modo Deus est ens necessarium in existendo, quia non potest non existere. Necessitas in prædicando consistit in indissolubili partium, subjecti & prædicati, nexu; ita *homo* & *animal* indissolubiliter connectuntur, nam fieri non potest ut homo non sit animal.

[3. Necessitas in prædicando fundatur in necessitate in essendo, secundùm vulgarem canonem, *modus prædicandi sequitur modum essendi*: ideoque, quæ in ipsa re non possunt à se invicem divelli, ne quidem in enunciatione à se invicem separari possunt; contra, quæ re ipsa à se invicem possunt sejungi, ea quoque in enunciatione à se mutuo separari possunt: sic, quia non possunt in re, verbi causa, in Petro, sejungi homo & animal, etiam in enunciatione non possunt separari hæc duo; neque enim licet dicere, homo non est animal, ideoque hæc enunciatio *homo est animal*, est necessaria: contra quia in eadem re, verbi causa, Petro separari possunt hæc duo, esse hominem & esse doctum, etiam in enunciatione licet dicere, homo non est doctus, idcoque hæc enunciatio est contingens, nam contingit Petrum, qui est homo, esse doctum.]

Quæst. V. *Quot sunt gradus necessitatis in enunciatione?*

Tres; κατ' παντὸς, καθ' αὑτὸ, & καθόλε πρῶτον, hoc est, *de omni, per se, & universale primum.*

1. Hi tres gradus necessitatis in enunciatione necessaria bene sunt intelligendi, quia peculiarem usum habent in demonstratione τῶ διότι cujus major semper debet esse necessaria, his tribus necessitatis gradibus: quamvis autem de iis actum sit ab Aristotele in libris posteriorum analyticorum, ubi agit de syllogismo demonstrativo, τῶ διότι, tamen proprie huc spectant, quia affectiones sunt non syllogismi, sed enunciationis veræ ac necessariæ. Ramus hos gradus enunciationis necessariæ extendit ad omnia artium, scientiarium, ac quarumvis disciplinarum præcepta, quæ voluit non tantum esse vera, sed & necessaria, hisce tribus necessitatis gradibus: ejus sequaces Ramæi, leges vocant scientificas.

Quæst.

Quæst. VI. *Quæ dicitur enunciatio de omni?*

In qua prædicatum omni subjecto convenit, & semper, [idque naturaliter;] ut, *Corvus est niger: homo est bipes.*

1. In enunciatione *de omni*, requiritur universalitas subjecti, & universalitas temporis; si alterutra desit, non est enunciatio necessaria *de omni*, sed est contingens: sic, *homo est justus*, non est enunciatio *de omni*, quia non omnes homines sunt justi; nec *vivens crescit*, est enunciatio *de omni*, quia licet omne vivens crescat, non tamen *semper* crescit.

2. *Esse nigrum* convenit omni corvo, & *esse bipedem*, omni homini, scilicet naturaliter.

Quæst. VII. *Quæ dicitur per se?*

Cujus subjectum & prædicatum essentiali nexu cohærent.

[1. *Essentiali nexu* dicuntur *cohærere prædicatum & subjectum)* quando vel prædicatum essentiam subjecti constituit, sive ex toto, sive ex parte; vel essentiam subjecti constitutam immediate sequitur, ut subjectum ita se habeat ad essentiam prædicati, ut, sine respectu ejus ad subjectum, prædicatum essentiam suam obtinere nequeat. Ut species, cum prædicatur de individuo, sic cohæret essentiali nexu cum eo, ut ejus essentiam ex toto constituat. Genus & differentia prædicantur de specie, atque ei essentiali nexu cohærent, sed sic, ut ejus essentiam constituant ex parte: proprium prædicatur de subjecto suo, eique essentiali nexu cohæret, sed sic, ut subjecti essentiam non quidem constituat, attamen constitutam immediate sequatur. Accidentia inseparabilia dicuntur quidem de subjecto necessario, quia & insunt subjecto, & semper, non tamen essentiali nexu cohærent cum illo, quia subjecti essentiam nec constituunt, nec immediate consequuntur.]

2. *Subjectum & prædicatum* dicuntur *essentiali nexu cohærere*, quando vel prædicatum est de essentia subjecti, vel subjectum est de essentia prædicati.

3. Prædicatum esse de essentia subjecti, & in definitione subjecti poni, idem sunt. Exemplum est, *Homo est animal.* Hic *animal* ponitur in essentia & definitione *hominis*, tanquam ejus pars, sed non vice versa: nam, cum definis *animal* per substantiam corpoream, viventem, sentientem, in ista definitione non ponitur *homo*, nec poni debet, nec potest.

[4. Sic ab altera parte, subjectum esse de essentia prædicati, & contineri in definitione prædicati, idem sunt. Exemplum est, *Homo est risibilis.* Hic *homo* ponitur in definitione & essentia prædicati, *risibilitatis.* Quod *homo* ponatur in definitione *risibilitatis*, ejus rei causa est, quia risibilitas est hominis proprium, at propria definiri nequeunt nisi facta mentione subjecti juxta cap. 2. lib. 2. quæst. 8. at subjectum definiri potest sine mentione

tione proprii: ideoque non vice versâ, *risibilitas* ponitur in definitione subjecti, *hominis*; nam cum definitur, *homo est animal rationale*, in ista definitione non ponitur *risibilitas*, quod est manifestissimum, & per se patet.]

[5. Ratio ob quam subjectum definiri possit absque proprii, proprium definiri nequeat absque mentione subjecti, est, quia subjectum abstrahi potest à proprio abstractione simplici, id est, concipi non concepto proprio, sicuti homo concipi potest non concepta risibilitate, ideoque & sine illa definitur: at proprium non potest à subjecto abstrahi abstractione simplici, id est, non potest concipi non concepto subjecto, ideoque nec sine eo definitur; ita risibilitas nec concipi potest, nec definiri, sine homine.]

Quæst. VIII. *Quot sunt modi enunciationis per se?*

Duo: vel enim prædicatum ponitur in definitione subjecti, vel subjectum in definitione prædicati.

Cum *prædicatum ponitur in definitione subjecti*, dicitur enunciatio per se primi modi: cum *subjectum ponitur in definitione prædicati*, dicitur enunciatio per se secundi modi.

Quæst. IX. *Quænam enunciationes pertinent ad primum modum?*

In quibus vel genus prædicatur de specie; ut, *Homo est animal*: vel differentia; ut, *Homo est rationalis*: vel integra definitio; ut, *Homo est animal rationale.*

1. *Genus)* intellige vel proximum, vel remotum.

[2. *Differentia)* vel proxima, vel remota. Genus & differentia ambo remota ponuntur in definitione subjecti implicite, quia implicantur & includuntur in genere proximo; genus vero & differentia ambo proxima ponuntur in definitione subjecti explicite & verbis expressis: sic, *homo est substantia, homo est sensitivus*, est enunciatio per se, quia & *substantiam esse*, & *sensitivum esse*, ponuntur in definitione hominis, sed implicite, quatenus in genere ejus proximo, *animale*, includuntur, tanquam genus remotum & differentia remota; ipsum *animal* & *rationale* explicite in definitione hominis ponuntur, tanquam genus proximum & differentia proxima.]

[3. Explicite illa dicuntur poni in definitione, quæ in definiendo exprimuntur: ut cum definitur *homo* per *animal* & *rationale*; genus & differentia, ambo proxima, in ipsa oratione definiente exprimuntur. Includuntur in genere proximo, *animali*, genera remota hominis, *vivens, mixtum, corpus, substantia*, quæ

quæ non exprimuntur oratione qua fit definitio; item implicantur differentiæ remotæ, nimirum hominem esse *sensitivum*, &c. quæ in voce *animal*, genere proximo, latent.

Quæst. X. *Quænam pertinent ad secundum modum?*

In quibus proprietates prædicantur de subjecto suo: idque vel singulæ seorsim, ut, *Homo est risibilis*; vel duæ disjunctim, ut, *Numerus est par aut impar.*

1. Subjectum proprietatum semper ingreditur definitionem earum perfectam: ita definitur *risibilitas*, potentia ridendi in *homine*, &c. vid. cap. 2. lib. 2. quæst. 8.

2. *Singulæ seorsim.)* Sic risibilitas dicitur de omni homine, & de unoquoque seorsim; nam *Petrus* est risibilis, *Paulus* est risibilis, *Joannes* est risibilis, &c.

3. *Disjunctim)* id est, non copulative; nullus enim *numerus* potest esse & *par* & *impar*; nam numerus est aut par tantum, aut impar: binarius par est, ternarius impar.

Quæst. XI. *Quænam enunciatio dicitur universaliter prima?*

In qua prædicatum subjecto convenit, quatenus ipsum est id quod est, sive, quæ constat terminis reciprocis; ut, *Homo est risibilis.*

1. Dicitur *prædicatum subjecto convenire, quatenus* subjectum *est id quod est*, cum nihil est in subjecto, cui prius tribui possit: ut, ex hisce duabus enunciationibus, *Homo est sensibilis*, *Homo est risibilis*, prior non est universaliter prima, quia *sensibile esse*, homini non convenit in quantum est homo, sed in quantum est animal, cui prius quam homini tribuitur: at *risibile esse*, ei convenit quatenus est homo, quia nulli prius tribuitur quam homini.

2. *Termini* dicuntur *reciproci*, quando prædicatum & subjectum possunt converti, alterumque poni loco alterius: sic licet dicere, *omnis homo est risibilis*, & *omne risibile est homo*, sed non licet dicere *omnis homo est sensibilis*, & *omne sensibile est homo.*

3. Ut noscatur, quænam enunciatio sit *universaliter prima*, talis est, si liceat prædicatum dicere de subjecto cum particula reduplicativa *qua* vel *quatenus*, vel causali *quia*: verbi causa, cum dico, *omnis homo risibilis est*, licet quoque mihi dicere, *homo qua* vel *quatenus est homo*, *est risibilis*, &, *homo quia est homo est risibilis*; sed cum dico, *omnis homo est sensibilis*, non licet mihi dicere, *homo qua* aut *quatenus homo est sensibilis*. aut *homo quia est homo est sensibilis*, nam utrumque falsum est: *homo*, *qua*, *quatenus* & *quia est animal*, *est sensibilis*; hoc utrumque verum est.

[4. Vul-

[4. Vulgatum est axioma apud philosophos, & verissimum, *quatenus & de omni reciprocantur*, id est, enunciatio universaliter prima, quæ per vocalem *qua* & *quatenus* proponitur, eadem proponi potest per vocalem *omnis* additam subjecto: sic dico, homo qua homo est risibilis, & omnis homo est risibilis.]

Quæst. XII. *Quomodo se habent hi gradus ad se invicem?*

Posterior includit priorem, non vicissim: enunciatio enim per se, est etiam de omni, & enunciatio universaliter prima est etiam per se; sed non vice versa.

Exempli gratia, *omnis homo est risibilis*, est enunciatio universaliter prima, quia constat terminis reciprocis: eadem est enunciatio per se, & quidem secundi modi, quia subjectum & prædicatum essentiali nexu cohærent, & subjectum ingreditur definitionem prædicati, nam subjectum *homo* hic est de essentia & definitione prædicati *risibilis*: eadem est enunciatio de omni; quia prædicatum *risibilis* convenit omni homini & semper. At cum dico, *omnis homo est bipes*, est enunciatio de omni, sed non per se, quia nec homo de bipedis, nec bipes de hominis essentia est, aut definitione; multo minus est enunciatio universaliter prima, quia non reciprocatur; neque enim, ut dico, *omnis homo est bipes*, ita licet mihi dicere, *omne bipes est homo*, nam multæ aves sunt bipedes.

Quæst. XIII. *Quæ est enunciatio contingens?*

Quæ potest esse falsa; ut, *Socrates disputat.*

Enunciatio contingens est, cujus partes connectuntur connexione dissolubili: sic *Socrates disputat* à se invicem possunt dissolvi, ut, *Socrates* sit, & tamen non *disputet*.

Quæst. XIV. *Quot sunt modi enunciationum contingentium?*

Tres: quædam plerumque veræ sunt, ut, *Matres diligunt liberos suos:* quædam raro; ut, *Homines nascuntur bicipites:* quædam ancipiti conditione, nunc veræ sunt, nunc falsæ; ut, *Aleator vincit.*

Quæst. XV. *Quotuplex est enunciatio falsa?*

Duplex; possibilis & impossibilis.

Quæst.

Quæst. XVI. *Quæ est enunciatio possibilis?*

Quæ potest esse vera; ut, si falso dicas, *pluere.*

Quæst. XVII. *Quæ impossibilis?*

Quæ non potest esse vera; ut, *Homo est lapis.*

CAPUT XXXII.

Quæst. I. *Quot sunt affectiones enunciationum relatæ?*

DUÆ sunt præcipue considerandæ; conversio, & oppositio.

Conversio & oppositio) conveniunt enunciationibus inter se comparatis.

Quæst. II. *Quid est conversio?*

Conversio est transpositio prædicati in locum subjecti, salva veritate enunciationis [utriusque, & convertendæ, & conversæ.]

1. Doctrina de *conversione* usum suum peculiarem habet in reductione syllogismorum secundæ ac tertiæ figuræ ad primam, extra quem usum non adeo magnæ est utilitatis.

2. Non est existimandum, conversionem esse idem quod enthymema, aut eam speciem imperfecti syllogismi; nam hic subjectum transit simpliciter in locum prædicati, quod non fit in enthymemate, aut syllogismo imperfecto.

[3. *Salva veritate:*] itaque nulla est conversio, quando ex convertenda vera, enunciatio sequitur conversa falsa; ut, *omnis homo est animal*, ergo, *omne animal est homo:* at vero hæc est conversio bona, *omnis homo est animal*, ergo *quoddam animal est homo.*

Quæst. III. *Quotuplex est conversio?*

Triplex; conversio simplex, conversio per accidens, & conversio per contrapositionem.

Quæst. IV. *Quid est conversio simplex?*

In qua servatur qualitas & quantitas enunciationis.

Servatur qualitas enunciationis] quando affirmans manet affirmans, & negans manet negans: servatur *quantitas* enunciationis, quando universalis manet universalis, & particularis manet particularis. Exempla sunt in textu.

Quæst. V. *Ubi habet locum?*

In enunciatione universali negante, & particulari affirmante; ut, *Nullus homo est lapis; ergo, nullus lapis est homo: Aliquod animal est album: ergo, aliquod album est animal.*

1. Habet quoque locum in enunciatione universali affirmante reciproca; ut, *omnis homo est animal rationale*; &, *omne animal rationale est homo.*

2. Habet quoque locum in enunciatione particulari negante; ut, *Aliquid animal non est album; ergo, aliquid album non est animal.*

Quæst. VI. *Quid est conversio per accidens?*

In qua servata qualitate, diminuitur quantitas.

Diminuitur quantitas,] quando universalis mutatur in particularem, aut vice versa: uti videre est in exemplis quæst. seq. allatis.

Quæst. VII. *Ubi habet locum?*

In universali affirmante; ut, *Omnis homo est animal; ergo, aliquod animal est homo.*

1. Multi existimant, conversionem per accidens etiam habere locum in particulari affirmante; ut, *quidam homo est poeta*; *ergo, omnis poeta est homo*: &, *quoddam vivens est animal*; *ergo, omne animal est vivens*: nescio tamen an hoc sit perpetuum.

2. *In universali affirmante,*] adde non reciproca; nam universalis convertitur simpliciter. Quod si universali affirmante non reciproca quantitas non mutaretur, conversa esset falsa, nec salva esset veritas enunciationis conversæ, contra definitionem conversionis: verbi causa, *omnis homo est animal*; *ergo, omne animal est homo*; hæc conversa est falsa.

Quæst. VIII. *Quid est conversio per contrapositionem?*

In qua, loco subjecti & prædicati ponitur utriusque contradictio.

Ponitur utriusque contradictio] quando & subjecto & prædicato additur particula *non.*

Quæst. IX. *Ubi habet locum?*

In universali affirmante, [sive sit reciproca, sive non;] ut, *Omne mortale est genitum: ergo, quod non est genitum, non est mortale.*

1. Hoc

1. Hoc exemplum ab authore male est conversum: particula enim *non*, non debeat poni ante copulam *est*, sed ante ipsum prædicatum *mortale*, & ante subjectum *genitum*, hoc modo; ergo, *Quod est non genitum, est non mortale*: sic enim subjectum & prædicatum enunciationis prioris redduntur infinita, sic in hac enunciatione, *omnis homo est animal*, conversio per contrapositionem fit, ergo, *omne non animal est non homo.*

CAPUT XXXIII.

Quæst. I. *Quid est oppositio enunciationum?*

Oppositio est pugna enunciationum in affirmando & negando.

1 Hæc oppositio enunciationum differt ab oppositione thematum simplicium: hic spectatur pugna in eo sita, quod vinculum est copula *est*, vel verbum quod vim habet copulæ, vel conjunctio, vel modus, in una enunciatione affirmetur, in altera negetur; at oppositio thematum simplicium est oppositio prædicatorum, non vero vinculorum. Sic, *Petrus est videns, Petrus est cæcus*, est oppositio thematis simplicis, quia hic prædicatum unius enunciationis opponitur prædicato alterius enunciationis; sed non est oppositio thematis complexi, quia utraque enunciatio est affirmans, propter vinculum utrobique affirmatum: at si dixero, *Petrus est videns*, &, *Petrus non est videns*, aut, *Petrus est cæcus*, &, *Petrus non est cæcus*, est oppositio thematis complexi: quia utrobique enunciationum altera affirmat, altera negat, propter vinculum in una affirmatum, in altera negatum *est*.

Quæst. II. *Quænam enunciationes dicuntur pugnare?*

Quæ, idem [scilicet prædicatum] de eodem, [scilicet subjecto singulari] secundum idem, ad idem, eodem modo, & eodem tempore, affirmant & negant.

1. Idem dicitur affirmari & negari, quando prædicato & subjecto manentibus iisdem, vinculum in una enunciatione affirmatur. Conditiones hæ, *secundum idem*, &c. fuerunt expositæ cap. 22. hujus libri. Hoc addendum est, nullam debere esse vel subjecti vel prædicati ambiguitatem.

Quæst. III. *Quotuplex est oppositio enunciationum?*

Duplex; contrarietas & contradictio.

1. Hæc utraque oppositio, est pugna vera enunciationum.

2. Non debet confundi oppositio enunciationum cum earun-

dem converſione: nam in oppoſitione utriuſque enunciationis, idem manet ſubjectum & prædicatum; at in converſione, ſubjectum mutatur in prædicatum, & vice verſa.

Quæſt. IV. *Quid eſt contrarietas?*

Contrarietas eſt oppoſitio inter duas univerſales; ut, *Omnis homo eſt juſtus*, *Nullus homo eſt juſtus*.

Univerſales] ſcilicet, quarum altera affirmat, altera negat; ut in exemplo patet.

Quæſt. V. *Quæ eſt regula contrariarum?*

Enunciationes contrariæ poſſunt ſimul eſſe falſæ, non ſimul veræ: [interdum altera vera eſt, altera falſa.]

1. Enunciationum univerſalium duarum; quarum altera affirmat, altera negat, una vera eſt, altera falſa, quando & quoties ambæ ſunt neceſſariæ; ut, *omnis homo eſt rationalis*, *nullus homo eſt rationalis*: ſed cum ambæ ſunt contingentes, etiam ambæ ſunt falſæ; ut, *omnis homo eſt doctus*, *nullus homo eſt doctus*. Nunquam vero fieri poteſt, ut duæ univerſales ſimul ſint veræ, quæ idem de eodem affirment & negent.

2. Quæ enunciationes opponuntur contrariæ, ſunt ſimul falſæ, cum ſubjectum & prædicatum contingenter cohærent; quod fit cum prædicatum à ſubjecto abeſſe poteſt, ut in exemplo poſito quæſtione. 4. Earum altera vera eſt, altera falſa, cum prædicatum & ſubjectum cohærent neceſſario, quod fit cum prædicatum à ſubjecto abeſſe nequit: ut, *omnis homo eſt animal* verum eſt, *nullus homo eſt animal* falſum eſt, quia animal ab homine abeſſe nequit.

Quæſt. VI. *Quid eſt contradictio?*

Contradictio eſt oppoſitio inter univerſalem & particularem; ut, *Omnis homo eſt juſtus*, *Quidam homo non eſt juſtus*. *Nullus homo eſt juſtus*, *Aliquis homo eſt juſtus*: vel inter duas ſingulares; ut, *Ariſtides fuit juſtus*, *Ariſtides non fuit juſtus*.

1. *Inter univerſalem & particularem*] ſcilicet, ut vel univerſalis neget & particularis affirmet, vel particularis neget & univerſalis affirmet.

2. *Inter duas ſingulares*] ſcilicet, quarum altera affirmat, altera negat de eodem ſubjecto prædicatum idem.

Quæſt. VII. *Quæ eſt regula contradicentium?*

Enunciationum contradicentium altera ſemper vera eſt, altera ſemper falſa; [nunquam ſimul veræ, nunquam ſimul falſæ.]

1 Sive

1. Sive enunciationes contradicentes versentur in materia necessaria, sive in contingenti, semper earum altera est vera, altera falsa: imo etiam quando duæ singulares contradicentes instituuntur de prædicato futuro contingenti, licet nobis sæpissime non constet, utra duarum enunciationum, affirmans an negans, sit vera, utra falsa, nempe respectu divinæ providentiæ omnia decernentis ac determinantis; altera enunciationum singularium de prædicato contingenter futuro est vera, altera falsa; sed respectu causarum secundarum non est manifestum nobis, utra si vera, utra falsa, an affirmans, an negans.

2. Nunquam possunt duæ enunciationes contradicentes simul esse veræ, nunquam simul falsæ; unde vulgatum est dictum, contradictio dividit verum à falso: sed nobis non semper constat, utra enunciationum contradicentium determinate sit vera, utra determinate falsa, præsertim cum instituuntur enunciationes singulares de futuro contingenti; ut harum, *Petrus evadet vir doctus*, *Petrus non evadet vir doctus*, altera vera est, altera falsa, sed nobis non constat, utra vera, utra falsa futura.

[3. Gravissima est quæstio, utrum enunciationes singulares de futuro contingenti sint veræ, vel falsæ, quam Aristoteles movet libro de interpretatione; sed quomodo deciderit, disputent interpretes. Nos hæc duo distinguimus: aliud est simpliciter dicere alteram talium enunciationum esse veram, alteram falsam; aliud est determinari ab homine & pronunciari quænam sit vera, & quænam falsa, & quidem determinate, respectu Dei, qui ut omnis entitatis, ita omnis veritatis est causa nullum est dubium; sed utrum, verbi causa, hæc affirmans sit vera, *Petrus salvabitur*, & an negans sit falsa, *Petrus non salvabitur*, à nullo homine determinari aut pronunciari potest, cum tamen alterutrum apud Deum decernentem sit verum. Petrum salvandum vel non salvandum]

Quæst. VIII. *An non aliæ species oppositionum vulgo tribuuntur enunciationibus?*

Ita.

Quæst. IX. *Quæ?*

Subcontrarietas, & oppositio indefinita.

Hæ oppositiones magis apparent pugnare, quam ut revera pugnent.

Quæst. X. *Quænam dicuntur enunciationes subcontrariæ?*

Duæ particulares, quarum altera affirmat, altera negat; ut, *Aliquis homo est justus*, *Aliquis homo non est justus*.

1. *Duæ particulares)* videntur pugnare propter vinculum in una affirmatum, in altera negatum; revera tamen non pugnant, quia possunt simul esse veræ, si subjecta intelligantur de diversis: ut in exemplo posito, si *aliquis homo est justus*, intelligatur de *Aristide*, *aliquis homo non est justus*, de *Verre*; utraque enunciatio est vera. Idem statuendum est de indefinite oppositis: *homines* enim *sunt justi*, verum est de quibusdam; *homines non sunt justi*, verum est de aliis.

Quæst. XI. *Quæ dicuntur indefinite oppositæ?*

Duæ enunciationes indefinitæ, quarum altera affirmat, altera negat; ut, *Homines sunt justi*, *Homines non sunt justi*.

Quæst. XII. *Quæ est regula veritatis in hisce enunciationibus?*

Enunciationes subcontrariæ & indefinite oppositæ possunt esse simul veræ, non simul falsæ, [& earum altera potest esse vera, altera falsa.]

1. Quod duæ particulares, aut duæ indefinitæ enunciationes, possint simul esse veræ, ejus rei ratio est, quia intelliguntur de diversis subjectis: ut, cum dico, *aliquis homo est doctus*, &, *homo est doctus*, hoc intelligitur utrumque de Aristotele: at cum dico, *aliquis homo non est doctus*, &, *homo non est doctus*, hoc intelligitur utrumque de Chorœbo: atque id verum est, quotiescunque prædicatum utrique subjecto inest contingenter, sed cum duæ particulares vel indefinitæ enunciationes sunt necessariæ, altera semper est vera, altera falsa: ita verum est, cum dico, *aliquis homo est rationalis*, &, *homo est rationalis*; falsum est utrumque cum dico, *aliquis homo non est rationalis*, &, *homo non est rationalis*. At nunquam fieri potest, ut simul sint falsæ.

2. *Enunciationes subcontrariæ, & oppositæ indefinite]* sunt *simul veræ*, si intelligantur & instituantur de subjecto & prædicato contingenter connexis, ut in exemplis positis; earum *altera* est *vera*, *altera falsa*, cum versantur in subjecto & prædicato connexis necessario: ut, *Aliquis homo est animal*, verum est, *aliquis homo non est animal*, falsum est, &, *homo est animal*, verum est, *homo non est animal*, falsum est.

Quæst. XIII. *Cur non recensuisti subcontrarietatem & oppositionem indefinitam inter species oppositionum?*

Quia enunciationes subcontrariæ & indefinitæ non sunt revera oppositæ, sed videntur tantum: possunt enim simul esse veræ.

1. *Possunt simul esse veræ]* quia non habent idem subjectum, ut id statim est ostensum, scilicet intelliguntur de diversis subjectis.

INSTI-

INSTITUTIONUM LOGICARUM SYNOPSIS,

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Absoluta est prima pars Logicæ, quæ agit de thematibus, eorumque variis affectionibus: veniamus ad partem alteram, in qua dixisti agi de instrumentis, quibus themata tractanda sunt

Quæst. I. *Quot sunt ergo ejusmodi instrumenta?*

Quatuor; definitio, divisio, syllogismus, & methodus. Ex quibus definitio & divisio inserviunt tractandis thematibus simplicibus; syllogismus, complexis; methodus, utrisque.

1. Cum hic mentio sit *instrumentorum*, intelliguntur instrumenta non externa, sed interna, mentis, rationis, aut intellectus: & iis instrumentis eget intellectus humanus, quia corruptus est, & nascitur omnium rerum insciius; est enim intellectus hominis naiscientis instar tabulæ rasæ, cui nihil inscriptum aut insculptum, omnia tamen inscribi aut insculpi possunt.

2. Tanta caligo inducta est in mentem humanam ex primorum p rentum lapsu, ut non tantum cæcutiat circa res supernaturales quæ spectant fidem & salutem nostram, sed & circa naturales, quæ naturæ lumine intelligi possunt, quin & circa modum cognoscendi res quaslibet. Communi hominum ignorantiæ circa res supernaturales mederi Deus voluit per Verbum suum quod est revelatum; circa res naturales per Philosophiam; circa modum cognoscendi per Logicam, quæ mentem docet humanam; quomodo circa rem cognoscendam versari debeat, atque in eum finem docet fabricare *quatuor* ista *instrumenta* cognoscendi, de quibus in posterum. Hæc quatuor cognoscendi instrumenta inserviunt tollendis

quatuor defectibus mentis nostræ in cognoscendo, quibus laboramus in rerum cognitione acquirenda, scilicet, est in nobis multarum rerum crassa quædam & profunda ignorantia, quam tollit *definitio*: deinde multa sæpe scimus, sed confuse, atque imperfecte, quam confusionem & imperfectionem tollit *divisio*, quæ distinctam in nobis & perfectam parit cognitionem: tertio, obnoxia est mens humana multis hæsitationibus & dubitationibus, nescit enim, an certo cognoverit, quæ etiam, an certo cognovisse existimat; hanc incertitudinem & dubitationem tollit *syllogismus*: quarto, hoc etiam est vitium humanæ mentis in cognoscendo, ut non servet ordinem debitum; hanc inordinationem tollit *methodus*.

3. Ab hisce quatuor cognoscendi instrumentis, vocatur hæc secunda Logicæ pars, *organica*.

4. Instrumenta hæc sunt immaterialia, quia inserviunt facultati immateriali, intellectui; ideoque materia carent proprie dicta, quæ per notas sensibiles in sensus incurrit, quali constant instrumenta materialia, malleus, serra, securis, &c. attamen analogice & per similitudinem hisce cognoscendi instrumentis adscribitur materia, ex qua quasi constant & componuntur; ita definitionis materia sunt genus & differentia, divisionis sunt totum & partes, syllogismi materia sunt partim tres termini, partim tres enunciationes, methodi materia sunt variæ enunciationes quæ suo ordine disponuntur: sic & illis (scilicet instrumentis cognoscendi) tribuitur materia circa quam occupantur nempe ipsa themata, circa quæ definienda, dividenda, probanda, ordinanda, occupantur hæc cognoscendi instrumenta; quin & materia in qua illis (scilicet cognoscendi instrumentis) assignatur, ipse scilicet intellectus hominis in quo sunt.

[5. Materia & forma proprie conveniunt corporibus: quando tribuuntur rebus immaterialibus, quales sunt hæc intelligendi instrumenta, debent vocari quasi materia & quasi forma, vulgo materiale & formale. Sic genus & differentia vocantur definitionis materia aut materiale: & in syllogismo materia aliqua & forma veniet, id est, materiale & formale; materia in tribus terminis & tribus enunciationibus, forma in figura & modo. Intelligitur utrobique forma & materia intelligibilis, non sensibilis.]

Quæst. II. *Quæ est materia ex qua hæc instrumenta conficiuntur?*

Affectiones thematum simplicium. Ex his enim definitiones & divisiones formantur: hinc argumenta petuntur syllogismis: hæ denique debito ordine dispositæ, methodum constituunt.

Quia instrumenta hæc intellectui inserviunt, & sunt entia rationis, eorum quoque materia est intelligibilis, & non sensibilis. Ista materia explicatur lib. 1. cap. 10. usque ad 24.

Nemo

Nemo enim definitionem conficere valet, nisi sciat quid sit genus, quid differentia, quid proprium, quid accidens, quid causa, &c. ex quibus definitiones constant: nemo divisionem, nisi noverit quid totum & quotuplex, quid pars & quotuplex fuerit; nam omnis divisio est totius in partes distributio: sic nemo syllogismum confecerit, nisi sciverit quid sit causa, effectum, subjectum, opposita, &c. à quibus termini medii solent peti: denique nemo ordinate rem aliquam per notiones secundas digesserit aut tractaverit, nisi earum naturas præcognoverit.

Quæst. III. *Quid est definitio?*

Definitio est oratio explicans quid sit, quod quæritur.

Definitio est oratio] vel interna, vel externa; magis tamen interna, quia Logica tota sermonem internum magis regit ac dirigit, quam externum; quia definitio concipi potest ab homine muto & elingui, ut nunquam sermone externo proferatur: tum sane definitio est oratio tantum interna.

Quæst. IV. *Quotuplex est definitio?*

Duplex; alia nominis, alia rei.

Quæst. V. *Quid est definitio nominis?*

Quæ nominis significationem explicat.

Quæst. VI. *Quot modis explicatur nominis significatio?*

Tribus modis: 1. notatione sive etymologia; ut, *Triangulum est quod habet tres angulos:* 2. voce conjugata; ut, *Qualitas est à qua quales aliqui dicuntur:* 3. denique voce synonyma notiore: ut, *Bovinator est tergiversator:* Huc pertinent lexica.

1. Quid sit *notatio sive etymologia* quid item *conjugatio* logica, vid. cap. 25. lib. 1.

2. *Synonyma.*] Sumitur hæc vox grammatice, pro voce æquipollenti aut ejusdem significationis; non vero Logice prout vox synonyma est definita cap. 26. lib. 1.

CAPUT

CAPUT II.

Quæst. I. *Quid est definitio rei?*

QUÆ explicat quid res ipsa sit.

Ut nomen differt à re, ita differt definitio nominis à definitione rei.

Quæst. II. *Quomodo dividitur?*

In perfectam, & imperfectam.

Quæst. VI. *Quam vocas definitionem perfectam?*

Quæ rei essentiam attributis essentialibus explicat perfecte; ut, *Homo est animal rationale.*

1. *Essentia rei)* vocatur unius cujusque rei natura, qua unaquæque res consti uitur, & ab alia re distinguitur: dicitur quoque *quidditas*, quia per eam respondetur ad quæstionem, quà quæritur *quid est res.*

2. Essentia, natura, quidditas, idem significant, sed respectus dicunt diversos: nam essentia dicitur de re in quantum eam constituit; natura, in quantum operatur; quidditas, in quantum definitur.

3. Præter illa tria, essentiam, naturam, quidditatem, idem quoque significat definitio: nam definitio est ratio essentiæ, seu λόγος τῆς οὐσίας, & explicat quæ sit natura rei definiendæ, & per eam solam respondetur ad quæstionem *quid est res*; ita definitio hominis, qua definitur animal rationale, explicat essentiam, naturam & quidditatem hominis.]

[4. *Attributa essentialia*] vulgo prædicata quidditativa, sunt genus proximum & differentia specifica, quæ in definitionibus corporum respondent materiæ & formæ: ut enim materia communis est, ita & genus; & ut forma unicuique est propria, ita & differentia.]

[5. Attributa essentialia dupliciter dicuntur; vel quæ essentiam rei constituunt, vel quæ constitutam immediate sequuntur: priori sensu, genus & differentia, posteriori, proprietates intelliguntur: hic autem sermo est de attributis essentialibus in significatione prima. Quia vero genus in definiendis corporibus desumitur à materia, & differentia à forma, factum est ut genus vulgo dicatur materia metaphysica, & differentia forma metaphysica.]

[6. Cum Deo tribuitur genus & differentia, genus significat materiam metaphysicam, uti quoque hæc tribuitur angelis & animæ rationali; nam materia & forma, utraque physica, non competunt nisi corporibus, quibus destituuntur Deus, angeli & animæ rationales.

7. *Perfecte*] id est, nullo ex attributis essentialibus omisso.

8 Per-

8. Perfectum dicitur, cui nihil deest eorum, quæ ad ejus vel integritatem, vel essentiam requiruntur: prior perfectio dicitur integralis, posterior essentialis, sic corpus perfectum est, cujus nullum membrum seu pars integrans abest; & homo perfectus, cum utramque possidet partem essentialem, animam rationalem & corpus. Utroque modo perfecta dicitur definitio.

Quæst. IV. *Quot sunt leges seu regulæ perfectæ definitionis?*

Sex.

Quæst. V. *Enumera.*

I. Definitio perfecta debet esse brevis.

1 *Brevitas* definitionis hoc exigit, ne quid in definitione deliciat, ne quid etiam redundet; ut, *homo est animal rationale.*

2. In primam legem maxime impingitur, cum ponuntur in definitione species quæ pertinent ad definitionem generis; ut, si quis definiat *fortitudinem, virtutem quæ servat mediocritatem in audacia & metu:* hic enim aliquid redundat, scilicet servare mediocritatem; quod non pertinet ad definitionem fortitudinis, sed virtutis moralis in genere.

II. Debet esse perspicua.

1. Quid sit *perspicuitas*, ex simili cognosci potest: quemadmodum enim per id quod perspicuum est, verbi causa, per vitrum, res alias videmus; ita per definitionem intelligimus rem definitam; quod ut fiat, debent verba definitionis esse distincta, non ambigua; propria, non tropica; (nisi cum tropica significatio est usitatior propria, ut, cum *Logica* definitur, quod sit *ars bene differendi*) usitata, non insolentia.

2. Quia verba valent usu, & vox *differere* usitatior est in significatione ratiocinandi quam disseminandi, certe non est culpanda definitio logicæ Ramæa, uti factum à Keckermanno, quod definiatur *ars bene differendi.*

III. Debet cum definito reciprocari.

1. Quia definitio & definitum eandem notant rem, definitio clarius, definitum obscurius; hinc est quod inter sese reciprocantur seu convertantur: *Omnis* enim *homo est animal rationale*, &, *omne animal rationale est homo.*

IV. Debet

IV. Debet esse affirmata.

1. Quia negatio non tam explicat quid res sit, quam quid non sit, & definitio explicat quid res sit, ideo definitio *debet esse affirmata*, non negata: interim hæc affirmatio magis intelligitur de re quam de voce; inopia enim vocabulorum interdum cogit uti vocibus negatis, sub quibus aliquid tamen affirmatum debet intelligi: sic, cum *brutum* definitur *animal rationale*, non significatur nuda animæ rationalis negatio, sed contrariæ positio, rationali animæ oppositæ.

2. Hæc admonitio præsertim observanda est in definiendo Deo: nam cum Deus definitur à sua infinitate, immortalitate, immaterialitate, &c. quamvis vocabula sint negativa, nostri tamen conceptus sub istis vocibus formati, debent esse positivi; id est, de re positiva: neque enim immaterialitas Dei significat simpliciter negationem materiæ, sed notat essentiam positivam & affirmatam, contrariam essentiæ materiali; sic & immensitas non significat, simpliciter, Deum nullo loco excludi, sed etiam & positive, omnem locum implere.

V. Debet sine copulatione aut disjunctione partium proponi.

1. Quia unaquæque res unam tantum habet essentiam, & definitio est istius essentiæ explicatio, non potest nec debet per *partes* proponi, quia essentia una, ut una, partes negat, scilicet, ut partes.

2. Non negat definitio *partes* sui; omnis enim definitio habet partes duas, genus & differentiam, quemadmodum homo definitur per animal & rationale: sed hæc lex vetat ne partes istæ, aut aliæ, per conjunctionem *copulativam* & *disjunctivam* proponantur, quia in unam naturam rei definitæ coëunt mediâ sui unione.

VI. Debet constare & attributis prioribus & notioribus natura, atque adeo ex indemonstrabilibus.

1. Quod definitio sit principium demonstrans, & non attributum demonstratum, liquet ex cap. 22. lib. 2. Quia definitio est causa cognoscendi definitum, debent *attributa*, genus & differentia, esse *propria* & *notiora natura* ipso definito: causa enim est prior & notior effecto, scilicet, natura & cognitione distincta. Porro, quia definitio est principium demonstrationis, debet quoque *constare ex attributis indemonstrabilibus*; alioquin daretur progressus in infinitum. Omnis causa prior & notior est effecto: genus & differentia sunt causæ definitionis, definitio est effectum: ergo genus & differentia sunt notiora & priora, scilicet, natura & cognitione distincta, definitione.

2. Genus,

2. Genus, scilicet proximum, & differentia, scilicet specifica.

3. Cum hîc lege sexta dicitur, quod attributa essentialia in definitione debeant esse priora natura ipso definito, intelligitur utraque prioritas, & quoad existendi consecutionem, & quoad causalitatem. Genus est prius definito, ut animal homine, quoad existendi consecutionem; differentia est prior definito, ut rationalitas homine, quoad causalitatem: vel sic; Genus est prius specie quæ definitur, existendi consecutione, differentia est prior causalitate: & sic utrumque est prius natura, definitione.

Quæst. VI. *Quibus partibus constat definitio perfecta?*

Genere [proximo] & differentia [specifica.]

Genus in definiendo invenitur ex reductione rei definiendæ ad suam categoriam: ibi enim, quod loco superiori ex proximo adjacet, est ejus genus proximum; reliqua omnia sunt genera remota, quæ superius collocantur. Intelligitur autem hîc genus proximum, quia superiora in illo continentur.

Quæst. VII. *Ut de genere nihil dicam, unde petitur differentia?*

Differentia substantiarum petitur à forma [substantiali ultima vel principali, non ab accidentali, vel subordinata seu disponente substantiali:] & cum formæ sunt ignotæ, proprietas adhibetur loco formæ. Differentia accidentium sumitur à subjecto, objecto, causa efficiente, aut simili.

[1. Quin dentur formæ *accidentales*, ut calor, color, &c. nullum est dubium: sed an dentur *substantiales*, id est, quæ sunt substantiæ distinctæ à materia, ut olim ante Aristotelem, & nunc post ejus ætatem disputari solet. Si sint præter animam rationalem ullæ formæ substantiales, recte tum dividitur ab authore forma substantialis in *ultimam* & *subordinatam*, aut in *principalem* & *disponentem*.]

[2. *Differentia* intelligitur essentialis & specifica, qualis raro est nota in substantiis, quia illarum formæ in sensus non incurrunt, à quibus tamen omnis nostræ cognitionis origo ducitur: sic ignis: definitur, elementum calidum & siccum, per proprietates, loco formæ, quæ ignota est. Quia accidentia omnia sunt in subjecto & versantur fere circa aliquod objectum, & habent causam sui efficientem simul & finalem hinc à respectu ad ista accidens definitur, & ejus differentia petitur à respectu ad ea.]

[3. *Subjectum*] quidem est externum accidenti, sed respectus accidentis ad subjectum, non est ei externus.]

[4. Omne

[4. Omne accidens est quidem in subjecto; subjectum tamen est extra accidens, id est esse potest & existere sine accidente, & accidens nunquam aut esse aut existere potest sine subjecto; ideoque respectus accidentis ad subjectum inhæsionis, accidenti est internus.]

Quæst. VIII. *Quomodo definiuntur accidentia propria?*

Genere, subjecto, & causa proxima; [intellige, causam proximam absolute, quæ dicta fuit emanativa] eaque vel efficiente; ut, *Eclipsis est defectus luminis in luna, ob terram inter solem & lunam interpositam:* vel finali; ut, *Appetitus est facultas naturalis in animali, ad consequendum quod sibi bonum, & vitandum quod sibi malum videtur:* vel denique utraque; ut, *Respiratio est attractio & expulsio aeris reciproca in animali, a pulmonibus facta, ad cordis refrigerium.*

1. Quænam accidentia sint propria, quænam communia, vid. cap. 23. & 19. lib. 1. Accidens proprium est proprium quarto modo, & quartum prædicabile commune est accidens prædicabile, sive quintum prædicabile.

2. In definitione eclipseos, *defectus luminis* est genus; *Luna* est subjectum; *interpositio terræ inter solem & lunam* est causa efficiens proxima absolute.

Quæst. IX. *Quomodo definiuntur accidentia communia?*

Variis modis, ex quibus hi sunt præcipui. 1. Definiuntur genere & subjecto; ut, *Scientia est habitus mentis:* 2. Genere & objecto; ut, *Physica est scientia corporis naturalis:* 3. Genere & fine; ut, *Grammatica est ars bene loquendi:* 4. Genere, objecto, aut fine; ut, *Liberalitas est virtus in eroganda & accipienda pecunia:* 5. Genere & causa efficiente; ut, *Albor est color ortus ex prædominio perspicui.*

Modus definiendi accidentia communia certis regulis comprehendi nequit, quia ipsa accidentia communia tam sunt varia.

CAPUT

CAPUT III, & IV.

Quæst. I. *Quid est definitio imperfecta?*

QUÆ, rei essentiam non explicat attributis essentialibus, aut saltem non explicat perfecte: eaque proprio vocabulo *descriptio* dicitur.

1. *Definitio imperfecta* in duobus recedit à definitione perfecta: vel quod adhibeat *attributa* non *essentialia*, sed accidentalia; vel si adhibeat essentialia, quod non sumat omnia; ideoque vere dicitur imperfecta.

[2. Vocantur hîc *attributa essentialia* quæ essentiam rei definitæ constituunt, non quæ eam consequuntur immediate; suntque tantum genus & differentia. Proprietas quidem dicitur attributum essentiale non tamen illo sensu, ac si essentiam constituat, sed quia essentiam rei constitutæ immediate sequitur, ideoque nunquam ingreditur definitionem perfectam.]

3. Definitio imperfecta vel est necessaria, vel arbitraria. Necessaria, cum perfecta definitio adhiberi nequit: atque hæc impossibilitas oritur vel ex parte entis, vel ex parte mentis, vel ex parte orationis. Primo modo non possunt definiri perfecte res illæ quæ ex imperfectione sua non admittunt definitionem perfectam; ut privationes, verbi causa, tenebræ: secundo modo non possunt perfecte definiri quæ, licet habeant essentiam perfectam, à nobis tamen perfecte non capiuntur; ut, Deus: tertio modo, ex parte orationis, quando res definienda essentiam quidem habet perfectam, & perfecte capitur, sed non dantur vocabula ad illam definitionem explicandam. Arbitraria est definitio imperfecta, quando adhiberi quidem potest definitio perfecta, sed tamen non adhibetur, quia ita nobis placet, & res est arbitrii nostri.

[4. Cum definitio perfecta sit explicatio essentiæ, & essentia non possit tribui nisi enti reali, quale non est privatio, ultro sequitur, nullam privationem posse perfecte definiri, quia nulli privationi essentia competit; atqui definitio perfecta est essentiæ explicatio.]

5. Deus perfecte definiri nequit, quia à nullo intellectu humano perfecte cognoscitur aut concipitur; & ratio est, quia illud dictum Apostoli, *Deum videbimus sicuti est*, locum demum habebit in altera vita, ideoque in hac vita Deus perfecte definiri nequit.

Quæst. II. *Quando adhibetur imperfecta definitio?*

1. Quando res ipsa non capit perfectam definitionem. 2. Quando nos rei essentiam non percipimus. 3. Quando desunt idonea vocabula, quæ in perfecta definitione requiruntur. 4. Quando aliorum captui definitio attemperanda est. 5. Denique quando proposita definitione alios delectare magis aut movere volumus, quàm docere.

Primo

Primo & secundo & tertio casu, definitio imperfecta est necessaria: quarto & quinto casu, est arbitraria.

Quæst. III. *Quæ res respuunt perfectam definitionem?*

I. Res infinitæ; ut, *Deus.*

1. *Deus*] non potest perfecte definiri, non ex parte sui, quasi non admitteret definitionem perfectam, sed ex parte nostri, quia nos ipsius essentiam non capimus.

II. Quæ non habent veram essentiam; ut, *privationes.*

1. Quia definitio perfecta est explicatio essentiæ, & essentia non competit nisi enti vero, *privatio* autem est negatio entis veri, consequenter ei non competit *essentia vera*, imo ne quidem essentia simpliciter; ideo, neque definitione perfecta definiri *privatio* potest.

2. *Privationes*] non possunt perfecte definiri ratione sui, quia ipsæ non admittunt definitionem perfectam: cum enim hæc (scilicet definitio perfecta) sit explicatio essentiæ, ac privationes essentiam nullam habeant, sunt enim non entia, seu negationes entium realium; non est mirum, quòd perfecte non definiantur.

Privationes, tantum abest, ut *essentiam veram* obtineant, ut ejus negationem dicant: quemadmodum cæcitas negat visum.

3. Privationes nullam habent essentiam, quia non sunt entia realia; at essentia convenit solis entibus realibus.

[4. Cum privationes dicuntur negationes entium, intellige realium: neque enim (verbi causa) cæcitas est aut substantia, aut accidens, aut Deus, aut creatura, quæ quatuor sunt entia realia; sed cæcitas, & omnis privatio est negatio entis realis; non tamen nihil, sed medium negationis interjectum inter ens reale & nihil.]

III. Quæ non habent unam essentiam; ut, *entia concreta & aggregata.*

1. *Entia aggregata*] sunt, quæ ex pluribus substantiis totalibus coalescunt, vel cum aliquo ordine inter se, uti est mundus, exercitus; vel sine ordine inter se, ut est acervus lapidum vel granorum. Neutrum est unum per se, sed utrumque est unum per accidens; quia in uno per se, quando ex pluribus coalescit, debet substantia una habere rationem potentiæ ad alteram: cui unitur, tanquam ad actum: sic in homine, duæ quidem substantiæ, sed imperfectæ, anima & corpus, uniuntur; verum ita, ut corpus sit instar potentiæ, anima instar actûs.

2. Quid sit unum per se, quid unum per accidens, operæ pretium est bene cognoscere. Unum per se est, aut ens immateriale, ut Deus, angeli, & animæ rationales; aut materiale, sed tale, cujus partes se habent essentiales materia & forma ut potentia & actus, & quæ in unam naturam compositi coalescunt.]

3. *Essentiam* per se *unam* habent aut res simplices ut angeli; aut, si compositæ sunt, in quibus partes componentes, atq; ejusdem naturæ communis

munis ac genericæ. & categoriæ, in unum compositum media unione coaluerunt; ut, *homo, lapis*, &c.

4. *Entia concreta*] vocantur, quæ concreverunt ac composita sunt ex subjecto & accidente; ut, *justus, albus.*

5. *Entia aggregata*] sunt, quæ ex diversis substantiis coaluerunt; vel cum unione, ut, *exercitus*, vel sine ulla media unione, ut, *acervus lapidum.*

IV. Quæ non habent essentiam perfectam; ut, *partes*, [*sive essentiales, sive integrales*] *principia rerum, res in fieri.*

1. *Essentiam perfectam* dicuntur habere, quibus ad essentiam aut integritatem nihil deest: sic in parte una ad essentiam totius pars alia atque alia, quia totum omnes partes requirit.

[2. Perfectum metaphysicis dicitur duobus modis: vel cui nihil deest aut deficit requisitum ad essentiam, vel cui nihil deest aut deficit requisitum ad integritatem: sic homo monoculus est perfectus homo perfectione essentiali, quia animam & corpus habet, partes, essentiales; sed non est perfectus perfectione integrali, quia aliqua pars integralis, puta oculus, ipsi deest ac deficit.

3. *Principia rerum*] hîc significant ea, ex quibus fiunt composita: neque hæc, ut principia, habent essentiam perfectam; ideoque materia & forma, rerum naturalium principia, non possunt perfecte definiri.

4. *Res in fieri*] dicuntur, quæ adhuc fiunt, ac quamdiu fiunt perfectam essentiam non sunt adeptæ; ut, *motus.*

5. Quæ numero 2. 3. & 4. recensentur, ea non admittunt definitionem perfectam ratione sui: Deus numero readmittit quidem definitionem perfectam ratione sui, sed non ratione nostri.

V. Summa genera.

1. *Summa genera*] non possunt perfecte definiri, quia non habent genus supra se, scilicet univocum, alioquin summa non forent; ideoque substantia, quantitas, qualitas, &c. perfecte definiri nequeunt, idque ratione sui.

VI. Individua.

2. *Individua*] non possunt perfecte definiri, quia non habent differentiam, scilicet essentialem, aut si habent, ea nobis ignota est; ideoque Petrus non potest perfecte definiri, quia nullam differentiam essentialem habet infra se. Ex omnibus ergo rebus solæ species, tum infimæ tum subalternæ, perfecte definiri possunt.

2. Disputatio gravis est, an *individua*, Petrus, Paulus, &c. habeant differentiam essentialem. Ramæi & multi alii, putant quod sic; quia si substantiæ singulares & primæ sunt maxime substantiæ, uti sunt, etiam debent distingui

à se invicem per differentias essentiales: hoc tamen fatendum est, illam differentiam essentialem ac substantialem individuorum plerumque nobis esse ignotam, & hæc causa est quod individua non possint perfecte definiri.

Quæst. IV. *Quarum rerum essentiam non possumus [intellectu] assequi?*

Quæ per se non incurrunt in sensus nostros; [scilicet externos] ut, substantiæ, cum corporeæ, tum incorporeæ.

[1. Hæc ex Peripateticorum sensu dicuntur. Neque tamen ab omnibus nostri seculi philosophis hoc recipitur, nimirum, substantias corporeas, qua substantiæ sunt, in sensus non incurrere: quod si non sensibus, utique nec intellectu percipi poterunt, juxta sententiam Aristotelis, qui judicat nihil esse in intellectu nisi quod prius fuerit in sensu; quod falsum est, quoniam sic, missis substantiis, circa mera accidentia intellectus noster versaretur.]

[2. *Substantiæ corporeæ non incurrunt in sensus*] in quantum sunt corpora aut substantiæ, sed eorum tamen accidentia in sensus incurrunt: cum vero accidentia ad essentiam substantiarum non pertineant, nihil est mirum si substantiarum essentias non assequamur, quum omnis nostra cognitio sit à sensu, & sola accidentia in sensus incurrant.]

[3. Si verum est, quod vulgo fertur, nullas substantias incurrere in sensus externos, & nos tamen ab infantiæ incunabulis assuevimus uti sensuum ministerio in rebus cognoscendis; profecto nulla substantia sub cognitionem nostram cadet: & cum sensus sint fallibiles cognoscendi magistri, quis poterit tuto iis fidere? nam à quibus vel semel fumus decepti, iis non est fidendum; sed sensus externi nos sæpe deceperunt: & cum nullæ substantiæ nec materiales, incurrant in sensus, à quibus est cognoscendi principium, nullas unquam intelligemus substantias, sed cognoscuntur sola accidentia; quæ si non sunt, uti multis non esse judicantur, nihil cognoscemus.]

4. *Substantiæ incorporeæ*, nec per se nec per accidentia in sensus incurrunt.

Quæst. V. *Quot modis formatur definitio imperfecta?*

Septem modis potissimum.

Quæst. VI. *Enumera hos modos.*

1. Cum accidens proprium definitur sola causa externa; [hæc definitio imperfecta vocatur causalis] ut, *Eclipsis est interpositio terræ.*

Hic omittitur genus & subjectum.

II. Cum

II. Cum definitur genere & subjecto; ut, *Eclipsis est defectus luminis in luna.*

Hic omittitur causa efficiens proxima.

III. Cum res aliqua definitur genere & proprietate una aut pluribus; ut, *Canis est bestia latrans.*

Hic omittitur differentia specifica & essentialis.

IV. Cum res definitur enumeratione partium aut specierum; ut, *Logica est ars definendi, dividendi, argumentandi, & ordinandi.*

Hæc est definitio facta per inductionem, seu per divisionem.

V. Cum res definitur remotione oppositi; ut, *Virtus est vitium fugere.*

Virtus enim opponitur *vitio.* Intelligitur hic *oppositum* immediate, quod non admittit medium participationis; nam si oppositum definiatur per oppositum mediatum medio participationis, est vitiosissima.

VI. Cum relatum definitur correlato; ut, *Dominus est qui habet servum.*

Dominus enim respectu servi est relatum, & servus correlatum.

VII. Cum res definitur coacervatione circumstantiarum; ut, *Homo est animal bipes, implume, erecto vultu manibusque præditum.*

Circumstantias intellige præsertim sensibiles, hoc est, quæ in sensus incurrunt: hæc speciatim *descriptio* dicitur, & à poetis & oratoribus plerumque adhibetur. Tales quoque sunt descriptiones plantarum, & animalium in physicis, item fluminum, montium, &c. in geographicis & historicis.

CAPUT V.

Quæst. I. *Quotuplex est divisio?*

Duplex: alia nominis, alia rei.

[1. Quæri potest, cur author hoc caput incipiat non à definitione, quæ est primum docendi præceptum, sed ab ipsius divisionis divisione. Resp. quia ipsa vox *divisio* ambigua est: atqui quotiescunque aliqua vox ambigua est, non est tractatio incipienda à definitione, nisi primum ipsa vox fuerit distincta: ideoque hic non à definitione divisionis, sed à distinctione incipiendum fuit.

Quæst. II. *Quid est divisio nominis?*

Enunciatio significationum homonymi vocabuli, aut distinctio ambiguæ sententiæ; ut, si quis retenseat significationes *juris*, aut distinguat hanc orationem, *Aio te Æacida Romanos vincere posse*. Hæc improprie *divisio* appellatur; rectius *distinctio* dicitur.

Divisio nominis, seu potius distinctio vocabulorum in omni disputatione, ac rei cujuscunque tractatione, in principio statim adhibenda est, ut constet, de qua re & quo sensu de ea agatur.

Quæst. III. *Quid est divisio rei, sive divisio proprie dicta?*

Divisio est explicatio totius per partes.

Divisio rei tota dependet ab explicatione capitis 14. *lib.* 1. *de toto & parte.*

Quæst. IV. *Quomodo distribuitur?*

Eodem modo quo totum. Ac primo in divisionem totius per se, & in divisionem totius per accidens.

Quid sit totum per se & totum per accidens, vid. *quæst.* 3. *& 4. cap.* 14. *lib.* 1.

Quæst. V. *Quotuplex est divisio per se?*

Quadruplex: vel enim dividitur [totum universale,] genus in species [& species in individua,] ut, *animal in hominem & bestiam*, [*homo in Petrum & Paulum*, estque illa divisio totius logici;] vel definitum in partes definientes [scilicet totum formale,] veluti, cum *homo*, sive humana, essentia dividitur sive resolvitur in *animal* & *rationale* [estque illa

illa divisio totius metaphysici; [totum essentiale,] compositum in materiam & formam; ut, *homo in corpus & animam rationalem*, [estque illa divisio totius physici;] vel denique totum integrale in sua membra, ut, *homo in caput, pectus, ventrem, artus*, &c. [estque illa divisio totius mathematici.

1. Ex quatuor divisionibus per se, prima & ultima sunt maxime unitatæ, nempe distributio generis in species, aut speciei in individua, & integri in membra: atque hæc peculiari nomine *partitio* dicitur.

2. Notandum vero est accuratissime discrimen inter utramque hanc divisionem, quod hoc signo dignoscitur infallibiliter: quotiescunque totum divisum de singulis partibus dividentibus enunciari potest in casu recto, toties est distributio generis in species, aut speciei in individua; quotiescunque vero totum divisum non potest enunciari de singulis partibus dividentibus nisi in casu obliquo, est distributio integri in membra: & causa hujus diversitatis est, quòd tota natura generis in unaquaque contineatur specie, & tota natura speciei in unoquoque individuo; at vero, non continetur tota natura integri in unoquoque membro. Exempli gratia, cum *animal* dividitur in *hominem & bestiam*, vel *animal* dicitur de *homine & bestia* in casu recto; cum *homo* dividitur in *Petrum, Paulum, Joannem, &c. homo* prædicatur de *Petro, Paulo, Joanne*, &c. in casu recto: sed vero, cum corpus dividitur in *caput, pectus, ventrem, artus*, &c. partes dividentes, non potest dici corpus de singulis partibus in casu recto, licet possit in casu obliquo: neque enim licet dicere, *Caput est corpus, Pectus est corpus*; sed bene licet dicere, caput, pectus, est corporis, scilicet pars.

Quæst. VI. *Quotuplex est divisio per accidens?*

Item quadruplex: vel enim dividitur causa per effecta, ut, *Plantæ aliæ calefaciunt, aliæ frigefaciunt*: vel effectum per causas, ut, *Testimonia alia sunt divina, alia humana; statuæ aliæ sunt ex ære, aliæ ex marmore; supellex alia est ad ornatum, alia ad usum*, &c. vel subjectum per adjuncta, ut, *Homines alii sunt liberi, alii servi*: vel adjunctum per subjecta, ut, *Morbi alii corporis sunt, alii animi.*

Divisio per accidens facilè intelligitur ex exemplis subjectis, & *quæstione 5. cap. 14. lib. 1.*

Quæst. VII. *Quot sunt leges bonæ divisionis?*

Septem potissimum.

Quæst. VIII. *Enumera omnes.*

I. Partes debent in toto consentire.

1. [*Partes*] Intellige vel membra respectu integri, quæ vulgo dicuntur partes integrantes; vel individua respectu speciei, vel species respectu generis, quæ utræque partes vocantur universales, melius, totius universalis: nam individua, partes universales dici nequeunt.]

[2. Ratio est, quia partes toti insunt, & ad totum ordinantur, illudque mensurant: at vero mensura & mensuratum consentire debent: ideoque, cum totum quod dividitur est substantia, & partes debent esse substantiæ; si totum fuerit accidens, & partes debent esse accidentia: quod intelligendum est de divisione totius per se; nam in divisione per accidens, totum potest esse substantia, & partes accidentia, ut, cum homo dividitur in servum & liberum.]

[3. Cum partes dicuntur toti inesse, id sic intelligi non debet, uti accidentia insunt subjecto: sunt enim hæ partes, de quibus hic sermo est, vel substantiæ, ut membra integri, individua specierum, species generum; vel si sint accidentia in ordine ad substantiam, tamen non dicuntur partes, sed in ordine ad accidentia.]

4. Imo vero, omnes hæ leges intelligi debent de toto per se: nam divisio totius per accidens vix habetur pro divisione, uti nec totum per accidens pro toto.

II. Et inter se opponi.

1. Ratio est, quia alioquin partes coinciderent, & sic totum dividere nequirent.

III. Partes proximæ & immediatæ semper sumendæ sunt in divisione, non remotæ.

1. *Partes proximæ & immediatæ*] dicuntur quæ sunt maxime vicinæ toti, in quas totum primo divici debet: ideoque vitiosa est divisio, quando multa membra transiliuntur; ut, si divisero corpus in plantam & animal, cum debeat primum dividi in simplex & mixtum.

2. Tabulæ prædicamentales docent, quænam partes toti viciniores, quænam à toto remotiores, quænam toti vicinissimæ]

3. Quænam sint partes proximæ rei divisæ, quænam remotæ, optimè perspici potest ex tabulis prædicamentalibus: in quibus quæ proxime infra rem dividendam collocantur, in sequenti gradu inferiori, sunt partes proximæ; quæ vero habent gradus intermedios inter se & rem dividendam, sunt partes remotæ.

IV. Partes singulæ minus continere debent, quam totum.

1. Ratio est, quia totum est majus sua parte unaquaque; alioqui totum & pars adæquarentur, quod est absurdum.

V. Uni-

V. Universæ, neque plus neque minus.

1. Ratio est, quia partes *universæ*, idem sunt ac totum, scilicet quando partes sunt unitæ; quod potissimum est intelligendum de toto essentiali.

[2. Gravis quæstio est, quomodo totum differat à partibus. Nos distincte respondemus: partes totius, verbi causa anima & corpus, considerantur, vel ut separatæ, vel ut conjunctæ sed non unitæ, vel ut conjunctæ & unitæ. Quando partes spectantur (verbi causa anima & corpus) ut sunt separatæ loco, ut anima sit in cœlo, corpus in terra, non sunt idem quod totum scilicet corpus, sed ab eo distinguuntur realiter. Si spectentur, ut loco quidem conjunctæ partes, sed non unitæ, adhuc non sunt idem quod totum, sed distinguuntur à toto realiter: ita si eo idem loco ponas & animam rationalem & corpus, sed non unita, non sunt idem quod homo. Verum si partes spectentur, ut conjunctæ loco & unitæ, jam idem sunt quod totum: sic anima rationalis & corpus, loco conjuncta & inter se unita, idem sunt quod homo, nec ab eo distinguuntur realiter.

VI. Divisio debet constare partibus pauciſſimis, &, si commode fieri possit, duabus.

1. Ratio est, quia divisio distinctam parit cognitionem; quo autem partes sunt pauciores, eo distinctius cognoscuntur: non tamen semper divisio in partes duas, sive διχοτομία, utcunque sit optima, haberi potest.

[2. Cum genus dividitur in species, plerumque divisio potest esse bimembris, &, si potest, debet: cum species dividitur in individua, rarius potest esse bimembris, neque anxie affectari debet, quia individua plerumque sunt plura duobus: cum integrum dividitur in membra, divisio bimembris esse debet, si potest; sed non semper potest; divisio definiti in partes definientes, & compositi in partes constituentes, & potest, & debet semper esse bimembris: divisio totius per accidens interdum potest, interdum non potest esse bimembris; neque scrupulose admodum hic quærenda est, si commode haberi nequeat.

VII. Modus dividendi adhibendus est, ne subdivisionum numerus nimium excrescat.

1. Ratio est quia cum divisio memoriæ quam maxime prosit, si subdivisiones instituantur multæ, memoria magis obruitur quam juvatur.

CAPUT VI.

Quæst. I. *Quid est syllogismus?*

SYllogismus est oratio, in qua, quibusdam positis, diversum quid à positis, propter ea quæ posita sunt, necessario sequitur.

1. *Oratio*] sumitur hic indefinite, non pro una, sed pro orationum complexu, per synecdochen numeri singularis pro plurali.

2. *Oratio* intelligitur potissimum interna, secundario externa: quia syllogismus sine oratione externa esse potest, ut in muto; sine interna non potest; &, quia tota Logica maxime dicitur à λόγῳ ἐνδιαθέτῳ, sermone interno, minus à sermone externo.

3. *Quibusdam positis*] id est, duabus enunciationibus propositis seu præmissis, unde sic vocantur.

4. Quando hoc loco præmissæ dicuntur causa conclusionis, intelligitur causa cognoscendi, non essendi; hæc enim locum tantum habet in syllogismo demonstrativo, non in topico, nec in sophistico, nec in ullo alio: at, quod præmissæ sint causæ conclusionis, id commune est omnibus syllogismis.

5. *Diversum quid*] id est, nova enunciatio, quæ vulgo dicitur *conclusio*. Hæc dicitur diversa formaliter, non materialiter, à propositionibus sive præmissis; non quod alii termini sint in conclusione quam fuerunt in præmissis, sed quod iidem termini aliter disponantur in conclusione quam in præmissis; nam qui termini in conclusione simul disponuntur, in præmissis à se invicem seperantur: ut in hoc syllogismo, *Omne animal sentit. Omnis homo est animal. Ergo omnis homo sentit.* Hic simul disponuntur in conclusione *homo* & *sentit*; qui iidem termini in præmissis à se invicem seperantur: nam *sentit*, terminus major, ponitur in majore propositione, quæ diversa est & seperatur à minore propositione, in qua alter terminus est, *homo*.

6. *Propter ea quæ posita sunt*] id est, vi & efficientia præmissarum, quia præmissæ sunt causa, scilicet cognoscendi, interdum essendi, conclusionis, hæc vero effectum præmissarum: hinc est quod vocula *propter* recte dicatur significare vim, nam causa est cujus vi res est.

[7. *Necessario*] Intelligitur hic necessitas consequentiæ seu conclusionis; non consequentis, seu prædicati in conclusione, quæ extra syllogismum invenitur in omni enunciatione necessaria; ut, *homo est animal*: hic est necessitas consequentis, id est prædicati, τὸ *animal* enim necessario cohæret necessitate καθ' αὐτὸ cum antecedente seu subjecto, *homo*;

homo; at hic non est necessitas consequentiæ seu conclusionis, quia hæc enunciatio necessaria est extra omnem syllogismum, & ideo non est conclusio, quæ veritatem suam & necessitatem tantùm habet in syllogismo, non extra illum.]

[8. Necessitas consequentiæ est necessitas thematis complexi seu enunciationis, deducta ex enunciationibus aliis prioribus. Necessitas consequentis est necessitas thematis simplicis & termini unius, & quæ non derivatur aliunde: estque vel necessitas qua prædicatum necessario dicitur de subjecto, de qua actum fuit in enunciatione necessaria; vel qua accidens necessario inest subjecto, de qua actum fuit cap. de proprio.]

[9. Quantum discriminis est inter thema simplex & complexum, tantum differt necessitas thematis simplicis, à necessitate thematis complexi: sed necessitas consequentis est necessitas thematis simplicis, necessitas consequentiæ est necessitas thematis complexi, & quidem illa quæ non existit in themate complexo, nisi beneficio syllogismi; nam quæ necessitas invenitur in aliqua enunciatione extra syllogismum, uti in hac, *homo est risibilis*, quamvis eadem hæc syllogismo inferri possit, quamdiu tamen non infertur, necessitas consequentiæ in illa esse dici nequit: sed & sunt enunciationes necessariæ, quarum necessitas nullo syllogismo inferri potest, ut est hæc, *homo est animal*; atque in hisce nunquam invenitur necessitas consequentiæ. Notandum & illud est, necessitatem hypotheticam seu conditionalem; necessitatem consequentis esse absolutam, & quidem internam.]

[10. Necessitas vulgo dividitur in internam & externam. Interna est, quæ principium habet in ipsa re necessaria: sic necessarium est hominem esse risibilem, quia risibilitas sui causam habet, qua necessario inest homini in ipso homine, scilicet rationali: & hæc est necessitas consequentis, quæ semper est interna. Necessitas externa est, quæ sui principium habet extra rem necessariam: ita necessarium est lunam pati eclipsin, si terra interponatur inter solem & lunam: hæc est necessitas externa, quia causa ob quam luna necessario eclipsin patitur, est extra lunam; hæc est necessitas consequentiæ, quæ semper est externa.]

Quæst. II. *Quot modis consideratur syllogismus?*

Duobus modis; vel enim consideratur absolute de ratione formæ, vel relate ad conditiones materiæ ac varios effectus.

[1. Materia & forma proprie tribuuntur solis corporibus; & quia corpora habent accidentia quibus incurrunt in sensus, eorum materia & forma dicitur sensibilis: sed per analogiam ac simili-

similitudinem, materia & forma tribuuntur iis quæ non sunt corpora, neque ullas habeant proprietates quibus in sensus incurrant, & hæc materia & forma dicitur intelligibilis: sic materia artium sunt præcepta, forma est methodus; utraque intelligibilis: talis quoque competit syllogismo.]

[2. *Forma*] quæ hîc tribuitur syllogismo, & *materia*, utraque est intelligibilis, quia solo intellectu percipitur; non sensibilis, quia ipse syllogismus est ens rationis, & opus nostri intellectûs: sic & *effectus* qui hîc tribuuntur syllogismo, non sunt externi, & incurrentes in sensum, sed interni, & in ipso intellectu existentes, scilicet sunt ista judicia quæ syllogismi relinquunt in intellectu, de conclusione ab eo cognita.]

3. *Conditiones materiæ*] scilicet proximæ, vocantur hic veritas vel falsitas, necessitas vel contingentia præmissarum.

4. *Effectus* syllogismi sunt judicia de conclusione relicta in mente.

5. Omnis syllogismus, sive lectus sive auditus, gignit vel assensum, vel dissensum, hoc est, judicium aliquod de conclusionis veritate vel falsitate in mente vel legentis vel audientis: nam qui syllogismum vel legit vel audit, si in animum ingrediatur tuum, fieri non potest quin aut conclusioni assentiatur, aut dissentiat, id est, quin judicet eam esse vel veram, vel fallam. Hæc judicia in mente hominum per syllogismos genita, quia intellectum nostrum disponunt ad cujusvis generis conclusionibus assentiendum vel dissentiendum, vocantur *dispositiones*, seu *habitus imperfecti*; & cum judicia ista sæpe iterantur atque confirmantur, gignunt *habitus perfectos*: & sic oriuntur in intellectu nostro omnes habitus intellectuales, scientiæ, artes, prudentiæ, quippe quæ nihil sunt aliud, quam collectio multorum judiciorum de rebus variis per syllogismos in mentem nostram illatorum: ita verbi causa, physica nihil est aliud quam coacervatio judiciorum de rebus naturalibus, earumque proprietatibus & operationibus, quæ mens humana, præsertim primorum philosophorum, per syllogismos de iis intulit ex præmissis, quarum veritatem in ipsa rerum natura diligenti scrutinio & indagine observavit.

Quæst. III. *Prior consideratio quot habet partes?*

Tres: vel enim agendum est de genesi [vel fabrica] sive ratione struendi syllogismorum, vel de εὐπορία, sive ratione inveniendi argumenti, vel de imperfectis speciebus syllogismi.

Quæst. IV. *Quænam sunt in genesi [fabrica syllogismi] spectanda?*

Materia, tum remota tum proxima, & forma.

Materia

Materia remota] syllogismi est, inter quam & syllogismum datur alia vicinior; *proxima*, ex qua syllogismus constat immediate: ita immediate constat ex enunciationibus tribus; remote, ex terminis seu thematibus simplicibus tribus, ex quibus enunciationes componuntur. Videantur exempla in textu.

Quæst. V. *Quæ est remota materia syllogismi?*

Tres termini; minor, major, & medius.

Tres termini] sunt tria themata simplicia, quæ hic vocantur *termini*, quia syllogismus ultimo in eo terminatur. Horum terminorum duo vocantur extremi, scilicet minor & major, qui sunt subjectum & prædicatum conclusionis, qui extra syllogismum, vocari solet quæstio. Tertius terminus extra quæstionem aut conclusionem dicitur medius, quia est quasi arbiter inter duos priores, scilicet extremos.

Quæst. VI. *Quis est minor terminus?*

Subjectum quæstionis.

1. *Subjectum quæstionis* vocatur *minor terminus*, quia est, aut angustius prædicato, nimirum cum non potest reciprocari, ut, *Logica est ars*, *Omnis homo sentit*; aut interdum æquale, ut, *Omnis homo est risibilis*; nunquam latius. Quando subjectum, aut est latius, aut esse videtur prædicato, enunciatio est non naturalis, sive contra naturam.

2. In enunciatione naturali prædicatum semper est, vel latius subjecto, quando non possunt reciprocari, ut, *homo est animal*; vel æquale subjecto, quando possunt reciprocari, ut, *homo est risibilis*; nunquam angustius: si enim fuerit angustius, ut, *animal est homo*, enunciatio est contra naturam.

Quæst. VII. *Quis major?*

Prædicatum quæstionis.

1. *Prædicatum quæstionis*] vocatur terminus major, quia est latius subjecto, quando non possunt reciprocari; vel ei æquale, quando possunt reciprocari; nunquam angustius.

2. Terminus major, Aristoteli dicitur extremum majus, & minor, extremum minus.

Quæst.

Quæst. VIII. *Quis medius?*

Argumentum, quod ad probandum quæstionem extrinsecus assumitur.

1. Terminus *medius* dicitur plerumque *medium* simpliciter; vel argumentum tertium, & argumentum simpliciter, quia arguit, id est, probat terminum majorem inesse minori.

2. *Extrinsecus*] id est extra conclusionem.

Quæst. IX. *Quæ est materia proxima?*

Tres propositiones, [id est, enunciationes:] quarum prima vocatur major propositio, vel absolute propositio; secunda, minor propositio, vel assumptio; tertia, conclusio.

1. *Propositio major*] interdum dicitur *major* simpliciter, & sic vocatur quia in ea semper est terminus major, seu prædicatum conclusionis: & secunda propositio vocatur *minor*, quia in ea semper est terminus minor, seu subjectum conclusionis, si contra fiat, syllogismus non valet.

2. Terminus major & minor semper sunt in ipsa conclusione, propositio major & minor semper sunt extra conclusionem.

3. Notandum hoc est semel, & tenendum semper, quod terminus major & minor sint themata simplicia, propositio major & minor sint themata complexa; quare nunquam debent confundi: præterea terminus major est pars propositionis majoris, terminus minor est pars propositionis minoris: quantum ergo differunt pars & totum, tantum differunt terminus major & minor ab uno latere, & propositio major & minor ab alio latere.

4. Accurate hîc cavendum est, ne terminus major ac minor confundantur cum propositione majore & minore: sic enim confunderentur themata simplicia cum complexis, materia remota syllogismi cum materia proxima.

Quæst. X. *Quibus terminis constat major?*

Majore & medio.

Quæst. XI. *Quibus minor?*

Minore & medio.

Quæst. XII. *Quibus conclusio?*

Minore & majore.

In omni quidem bono ac legitimo syllogismo, iltis terminis enunciationes constare debent, & singuli termini bis in unoquoque syllogismo poni debent.

Quæst.

Quæst. XIII. *Quid est forma syllogismi?*

Est apta trium propositionum dispositio ad conclusionem ex præmissis colligendam.

Quæst. XIV. *In quo consistit forma syllogismi?*

In figura & modo.

Quæst. XV. *Quid est figura?*

Figura est legitima dispositio medii cum partibus quæstionis.

1. *Figura*] respicit materiam syllogismi remotam, tres scilicet terminos, puta medium & duos extremos, qui hic dicuntur partes quæstionis, quia ex iis conclusio constat: horum trium terminorum combinatio *legitima*, id est, dispositio secundum leges certas ac regulas facta, vocatur *figura*.

2. Quando tres termini disponuntur quidem, sed non legitime, nec secundum naturæ ordinem, utcunque videatur figura non esse tamen.

3. Atque hæc ratio est, cur non debeat admitti figura quarta post tres receptas: nam in illa, alia quidem medii est dispositio cum partibus quæstionis, quam in tribus receptis; sed nec legitima est, nec naturalis est dispositio: quod in exemplis, siquis illa inspiciat, patebit.

Quæst. XVI. *Quid est modus?*

Modus est legitima enunciationum secundum quantitatem & qualitatem determinatio.

Modus] respicit materiam syllogismi proximam, tres enunciationes, majorem, minorem, & conclusionem; & docet quomodo, & quoad quantitatem, id est, universalitatem & particularitatem, & singularitatem, & quoad qualitatem, id est, affirmationem & negationem, istæ enunciationes debeant disponi.

Quæst. XVII. *Quotuplices sunt modi?*

Duplices; alii universales, alii singulares.

Modi singulares vocantur aliis proprii; & syllogismi singulares, expositorii.

Quæst. XVIII. *Quos vocas universales?*

In quibus utraque vel altera propositionum præmissarum est universalis.

Notandum est, quod modi universales alteram saltem propositionum exigant universalem: nam si utraque sit particularis, syllogismus non erit bonus.

Quæst.

Quæst. XIX. *Quos singulares?*

In quibus utraque præmissarum est singularis.

1. Modi *singulares* non sunt contenti altera præmissarum singulari, sed utramque talem postulant: non autem debent confundi præmissæ singulares cum particularibus, non magis quam enunciationes singulares & particulares.

2. *Præmissæ* hîc, vocantur communi nomine major & minor propositio, quia conclusioni præmittuntur.

CAPUT VII.

Quæst. I. *Quot sunt figuræ?*

TRes.

1. Syllogismi in tribus hisce figuris vocantur simplices & categorici, ut discernantur ab hypotheticis & compositis.

2. Syllogismi harum figurarum dicuntur categorici, quia in singulis enunciationibus horum syllogismorum prædicatum & subjectum de se invicem enunciantur simpliciter, absque vel modis vel conjunctionibus vel ullis similibus additamentis; & proprie opponuntur syllogismis hypotheticis.

Quæst. II. *Quæ est prima figura?*

In qua argumentum majori termino subjicitur, & de minore prædicatur.

In figura prima, propositio major constat ex termino medio ut subjecto, termino majore ut prædicato; propositio minor ex termino minore ut subjecto, & medio ut prædicato; conclusio ex minore ut subjecto, & majore ut prædicato.

Quæst. III. *Quæ secunda?*

In qua argumentum de utroque termino prædicatur.

Secundæ figuræ propositio major habet pro subjecto terminum majorem, & pro prædicato medium; propositio minor habet pro subjecto terminum minorem, & pro prædicato terminum medium; conclusio, pro prædicato majorem terminum, & pro subjecto minorem.

Quæst.

Quæst. IV. *Quæ tertia?*

In qua argumentum utrique termino subjicitur.

In tertia figura terminus medius est subjectum utriusque præmissæ, & majoris & minoris, & terminus major prædicatum propositionis majoris, terminus minor prædicatum propositionis minoris; terminus minor est subjectum conclusionis, & major ejusdem prædicatum.

Quæst. V. *Quot sunt modi universales in prima figura?*

Quatuor; *Barbara, Celarent, Darii, Ferio.*

Quæst. VI. *Quot in secunda?*

Item quatuor; *Cesare, Camestres, Festino, Baroco.*

Quæst. VII. *Quot in tertia?*

Sex; *Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.*

Quæst. VIII. *Quid sibi volunt vocales harum vocum?*

Indicant quantitatem & qualitatem propositionum, quibus præfiguntur, idque hoc modo;

Asserit A, [id est, affirmat] *negat E, verum generaliter* [id est, universaliter] *ambæ:*

Asserit I, negat O, sed particulariter ambæ.

1. Sensus horum versiculorum est, quod enunciatio, cui præfigitur A, debeat esse & universalis & affirmans; cui præfigitur E, debeat esse universalis negans; cui præfigitur vocalis I, debeat esse affirmans & particularis; cui præfigitur vocalis O, debeat esse particularis negans.

2. Fabrica syllogismi cujuscunque sequentibus imitatur regulis.

Da exempla in singulis modis: ac primum primæ figuræ.

BARBA- *Omne animal sentit:*
RA. *Omnis homo est animal:*
Ergo omnis homo sentit.

[1. Ex

[1. Ex tribus terminis sumi possunt sex conclusiones; nam tres isti termini, singuli cum singulis, sexies possunt combinari: non tamen semper stricte conclusiones rite recteque inferri possunt per syllogismum: ideoque si una ex sex conclusionibus non potest probari syllogismo legitimo, recurrendum est ad conclusionem aliam ex illis sex, donec habeatur illa conclusio, quæ syllogismo legitimo inferri ac probari potest.]

2. Ut ex tribus terminis simplicibus commode fiat syllogismus.

3. I. Termini duo ex illis assumi debent pro conclusione, ubi ex duobus terminis conclusio fuerit facta, tertius sumendus est pro medio.

4. II. Tum videndum est, quo modo terminus tertius sese habeat ad terminum majorem, an possint de se invicem affirmari, an negari; & cum alterutrum fieri debeat videndum est an universaliter, an particulariter debeant de se invicem vel affirmari vel negari: deinde, idem terminus medius debet conferri eodem modo cum termino minore.

5. III. Quod si terminus medius, vel cum majore vel cum minore debeat dispoui particulariter aut negate, nunquam potest conclusio accipi aut universalis aut affirmans; quia, cum altera præmissarum est vel particularis vel negans, etiam conclusio debet esse talis: ideoque tali casu, conclusio universalis aut affirmans si fuerit assumpta, debet mutari in particularem aut negantem, quia conclusio sequitur partem debiliorem.

6. IV. Ubi conclusio accepta fuerit, qualiscunque tandem sit, videndum est in quibus modis & figuris possit concludi; nam una conclusio in pluribus figuris & modis concludi potest quam alia: quippe universalis affirmans conclusio tantum concluditur in prima figura, in *Barbara*; universalis negans in prima & secunda figura, scilicet in *Celarent*, *Cesare*, *Camestres*; particularis affirmans in prima & tertia figura in *Darii*, *Darapti*, *Disamis*, *Datisi*; particularis negans in prima, secunda, & tertia figura, in *Ferio*, *Festino*, *Baroco*, *Felapton*, *Bocardo*, *Ferison*.

7. In exemplo hoc primo terminus minor est *homo*, terminus major *sentit*, medius *animal*: terminus major, *sentit*, ponitur in majore propositione; terminus minor, *homo*, ponitur in propositione minore; terminus medius, *animal*, extra conclusionem manet. Vocalis *A* singulis propositionibus præmissa, significat eas omnes esse universales affirmantes. In exemplis reliquis, ipse logicæ studiosus quærat terminum minorem, majorem, & medium.

CE- *Nullum animal est lapis:*
LA- *Omnis homo est animal:*
RENT. *Ergo nullus homo est lapis.*

DA-

DA- *Omnis color est visibilis:*
RI- *Aliqua qualitas est color:*
I. *Ergo aliqua qualitas est visibilis.*

FE- *Nullum vitium est positum in medio:*
RI- *Aliquis habitus est vitium:*
O. *Ergo aliquis habitus non est positus in medio.*

Da exmpla secundæ figuræ.

CES- *Nullus dives est egenus:*
A- *Omnis avarus est egenus:*
RE. *Ergo nullus avarus est dives.*

CA- *Omne animal est mortale:*
MES- *Nullus angelus est mortalis:*
TRES. *Ergo nullus angelus est animal.*

In exemplo hoc secundo, terminus minor est *angelus*, major *animal*, medius *mortale*: major cum medio, est in propositione majore; minor cum medio, est in propositione minore: vocalis *A* præfixa majori, significat eam esse universalem affirmantem; *E* præfixa minori & conclusioni, significat utramque esse universalem negantem. Cætera exempla diligentiæ studiosi Logicæ expendenda relinquuntur.

FES- *Nullum animal est planta:*
TI- *Quoddam vivens est planta:*
NO. *Ergo quoddam vivens non est animal.*

BA- *Omnis homo est animal:*
RO- *Quoddam vivens non est animal:*
CO. *Ergo quoddam vivens non est homo.*

Da exempla tertiæ figuræ.

DA- *Omnis virtus est ardua:*
RA- *Omnis virtus est honesta:*
PTI. *Ergo aliquod honestum est arduum.*

FE- *Nullus lapis vivit:*
LA- *Omnis lapis descendit naturaliter:*
PTON. *Ergo aliquid quod naturaliter descendit, non vivit.*

DIS- *Aliquis homo furit:*
A- *Omnis homo est animal rationale:*
MIS. *Ergo, aliquod animal rationale furit.*

DA- *Omnis avarus eget:*
TIS- *Quidam avarus est locuples:*
I. *Ergo, quidam locuples eget.*

In exemplo hoc quarto terminus minor est *locuples*, estque in propositione minore; terminus major est *eget*, estque in propositione majore; terminus medius est *avarus*, qui subjicitur & in majore & in minore. *A* significat majorem esse & universalem & affirmantem: *I* significat & minorem & conclusionem esse particulares affirmantes. Studiosorum diligentia exempla expendat cætera.

BO- *Aliquid corpus non est corruptibile:*
CAR- *Omne corpus est compositum:*
DO. *Ergo, aliquod compositum non est corruptibile.*

FE- *Nulla virtus adfert miseriam:*
RIS- *Quædam virtus est molesta:*
ON. *Ergo, quoddam molestum non adfert miseriam.*

Da etiam exempla modorum singularium in unaquaque figura.

Syllogismi singulares vulgo vocantur expositorii, vel etiam expositio sensilis; quia terminus medius semper est res singularis, quæ omnis semper in sensus incurrit.

In prima figura.

Messias debuit crucifigi:
Jesus est Messias:
Ergo Jesus debuit crucifigi.

In secunda figura.

Præceptor Alexandri fuit Stagirita:
Plato non fuit Stagirita:
Ergo, Plato non fuit præceptor Alexandri.

In tertia figura.

Judas fuit impius:
Judas fuit Apostolus:
Ergo, quidam Apostolus fuit impius.

Sufficit in exemplis modorum singularium, si minor & conclusio sint singulares, ut in exemplo 1, & 2.

CAPUT

CAPUT VIII.

Quæst. I. *Quibus fundamentis nititur necessitas consecutionis in syllogismis universalibus?*

Syllogismi affirmantes nituntur regula de omni; negantes regula de nullo.

Quia necessitas quædam est, qua ex præmissis necessario sequitur conclusio, sic ut qui præmissas concesserit, non possit non concedere conclusionem, quando syllogismus est bonus; ideo operæ pretium est, istam necessitatem consequentiæ in syllogismo recte cognoscere.

Quæst. II. *Quid est regula de omni?*

Quicquid de aliquo universali universaliter affirmatur, id affirmatur etiam de iis quæ sub illo continentur. Exempli gratia, de omni homine affirmatur *animal*: sub homine continetur *Petrus, Paulus*, &c. ergo de his quoque affirmatur *animal*.

Qui concedit, *omnem hominem esse animal*, quæ est major; ac concedit, *Petrum, Paulum esse homines*, quæ est minor, is necessario, velit nolit, debet concedere hanc conclusionem, *Ergo, Petrus, Paulus, &c. sunt animalia.*

Quæst. III. *Quæ est regula de nullo?*

Quicquid de aliquo omni [*universali*] *negatur universaliter, id negatur etiam de omnibus iis quæ sub illo continentur.* Exempli gratia, *lapis* negatur de omni animali: sub animali continetur *homo, equus, leo*, &c. ergo de his quoque negatur *lapis*.

Qui concedit hanc majorem, *nullum animal est lapis*, & concedit hanc minorem, *homo, equus, leo, &c. sunt animalia*, is cogitur necessario etiam concedere hanc conclusionem, *Ergo nullus homo, equus, leo, &c. est lapis.*

Quæst. IV. *Quo fundamento nituntur syllogismi singulares?*

Regula proportionis.

Quæst. V. *Quæ est regula proportionis?*

Quæcunque in uno tertio singulari [*& incommunicabili*] *conveniunt; ea quoque inter se conveniunt.* Exempli gratia, Davidi convenit fuisse prophetam, & fuisse homicidam: hinc

ſequitur, aliquem Prophetam fuiſſe homicidam; aut, aliquem homicidam fuiſſe Prophetam. Vel ſic; *Quorum duorum unum alicui tertio ſingulari & incommunicabili convenit, alterum non convenit, ea quoque inter ſe non conveniunt.* Exempli gratia, Ariſtoteli convenit fuiſſe Philoſophum non convenit fuiſſe Athenienſem: hinc ſequitur, aliquem Philoſophum non fuiſſe Athenienſem; aut, aliquem non Athenienſem fuiſſe Philoſophum.

1. Hæc regula vera eſt ſi illud *tertium ſingulare* fuerit *incommunicabile*; at, ſi fuerit communicabile, fallit: ſic, qui conceſſerit hanc propoſitionem, *David fuit Propheta*, atque inſuper hanc, *David fuit homicida*: is neceſſario debet concedere tertiam, *aliquis homicida fuit propheta.*

[2. In hoc ſyllogiſmo, *Eſſentia divina eſt Pater: Eſſentia divina eſt filius: Ergo filius eſt pater*, vitium eſt, quod terminus medius, ſcil. eſſentia divina, ſit quidem tertium ſingulare, ſed non incommunicabile; nam communicatur, aut potius communis eſt tribus perſonis.]

Quæſt. VI. *An omnes ſyllogiſmi dictis fundamentis conformes ſunt?*

Omnino. Qui enim ab hiſce fundamentis diſſentiunt, non ſyllogiſmi, ſed paralogiſmi ſunt.

Paralogiſmi] vocantur ſyllogiſmi vitioſi & fallaces.

Quæſt. VII. *Unde cognoſcis diſcrimen ſyllogiſmorum & paralogiſmorum?*

Ex quibuſdam legibus, quarum aliæ communes ſunt omnibus figuris, aliæ ſingulis peculiares.

Quæſt. VIII *Quænam ſunt leges communes?*

I. In ſyllogiſmo non debent eſſe plures termini, nec pauciores, tribus.

1. Non *plures*, quia medium qua medium ad duo refertur, ideoque, cum duobus tantum extremis diſponi poteſt.

2. Nec *pauciores*, quia nulla foret connexio: extremi enim termini per ſe diſponi nequeunt; niſi enim conjungatur tertio, non aliter diſponuntur in præmiſſis quam in concluſione; at concluſio eſt diverſum quid à præmiſſis.

3. Vitium, quod in hanc committitur legem, vel apertum eſt, vel occultum. Apertum eſt, cum plures termini ſub pluribus proponuntur vocibus.

Occul-

Occultum est, cum quatuor termini latent in tribus vocibus: quod fit, cum aliquis terminorum trium, vel major, vel minor, vel medius proponitur voce homonyma seu ambigua, id est, voce una quæ plures habeat significationes, & modo in una, modo in altera sumitur significatione in eodem syllogismo; quod quidem vitium committitur sæpissime in omni disciplina inter disputandum, ideoque dignissimum est observatu.

4. Interdum non videntur esse plures termini quam tres, quia tantum unusquisque terminorum trium una voce proponitur: sed revera tamen sunt quatuor termini, quia aliquis trium terminorum exprimitur voce ambigua, quæ, cum duas habeat significationes, materialiter una est formaliter duplex. Materialiter sumitur vox, cum spectatur secundum literas & syllabas: formaliter sumitur vox, cum spectatur secundum significationem; significatio enim forma vocis est: cum ergo gemina unius vocis est significatio, formam quasi duplicem habet; unde una vox ambigua censetur, constituitque duos terminos. Tali modi peccatur adversus hanc legem in hoc syllogismo:

Omnis canis est latrabilis.
Aliquod sidus est canis.
Ergo aliquod sidus est latrabile.

II. Non debet esse plus aut minus in conclusione, quam fuit in præmissis.

1. Quia conclusio est effectum præmissarum; ideo tantundem debet esse in conclusione quam fuit in præmissis, quia tantum est in effecto quantum fuit in causis, in hanc legem peccatur tali syllogismo; *Nullum immateriale est corruptibile. Omnis angelus est immaterialis. Ergo nullus angelus est corruptibilis aut mortalis.*

III. Medium non debet ingredi conclusionem, neque totum, neque ex parte: [quia sic medium ter poneretur in syllogismo; at omnis terminus bis tantum debet collocari in uno syllogismo.]

1. Ratio est, quia medium non est id quod, sed quo concluditur: quemadmodum ulna non est quod, sed quo mensuramus.

2. *Ex parte*] Dicitur terminus medius habere partes, quando non una voce, sed integra oratione absolvitur.

3. In hanc legem peccatur hoc syllogismo; *Omne animal est substantia. Omnis homo est animal. Ergo omne animal est substantia.*

4. Quia unusquisque terminorum, tum major, tum minor, tum medius, non nisi bis, ac necessario bis debet poni, & terminus major ac minor ingrediuntur conclusionem, fieri nequit ut in syllogismo bono medium ingrediatur conclusionem; sic scilicet medius terminus in syllogismo inveniretur ter, & unus reliquorum tantum semel.

IV. Extrema ita collocanda sunt in conclusione, ut erant sita in præmissis.

1. Per *extrema* intelliguntur hic terminus major & minor, qui hic ita debent poni in conclusione, ut erant in præmissis positi: hoc est, quia terminus major, ut latior termino minore, fuit in præmissis positus in majore propositione, & minor terminus, ut angustior, fuit positus in minore propositione; debet quoque terminus major, ut latior, esse prædicatum conclusionis, & terminus minor, ut angustior, esse subjectum conclusionis.

2. In hanc legem peccatur tali syllogismo; *Omne mixtum est corpus. Omne vivens est mixtum. Ergo, omne corpus est vivens.*

V. Ex duabus negantibus [præmissis] nihil concluditur.

1. Non est syllogismus ex duabus negantibus præmissis, quando particula *non* est pars termini medii: ut, verbi causa, *Quicquid non vivit*, id est, est non vivens, *non est planta. Metallum non vivit*, id est, est vivens. *Ergo, Metallum non est planta.* Hoc enim notandum est, cum particula negandi *non* ponitur ante aliquod verbum, ut, *lapis non sentit*, posse fieri talis enunciationis resolutionem dupliciter: nimirum, vel ut particula *non* ponatur ante copulam, ut si dicam, *lapis non est sentiens*; vel ut ponatur post copulam, ante prædicatum, ut si dicam, *lapis est non sentiens.* Posteriori modo si fiat resolutio, enunciatio est affirmans, non negans.

VI. Non etiam ex duabus particularibus præmissis; sed bene ex duabus singularibus præmissis.

1. Utraque hæc lex facile cognoscitur ex modis, qui ostendunt, si inspiciantur, majorem & minorem nunquam simul esse particulares, nunquam simul negantes.

2. In legem sextam peccatur tali syllogismo; *Aliquod corpus est calidum. Aliquod corpus est frigidum. Ergo, aliquod frigidum est calidum.*

3. In legem quintam peccatur tali syllogismo; *Nullum brutum est rationale. Nullus homo est brutum. Ergo, nullus homo est rationalis.*

VII. Conclusio sequitur partem debiliorem: hoc est, si altera præmissarum negata est, conclusio quoque debet esse negans, &, si altera præmissarum est particularis, conclusio quoque est particularis.

1. Negans propositio censetur debilior affirmante, & particularis universali.

2. In hanc legem sic peccatur; *Omne animal est sensibile. Aliquod vivens est animal. Ergo, omne vivens est sensibile.* Et tali syllogismo; *Nullum brutum est homo, Omnis canis est brutum, Ergo, omnis canis est homo.*

Quæst.

Quæst. XI. *Quæ sunt leges speciales?*

I. Major primæ figuræ debet esse universalis, & minor affirmans.

II. Major secundæ figuræ debet esse universalis, & altera præmissarum negans.

III. Minor tertiæ figuræ debet esse affirmans, & conclusio particularis.

1. *Leges speciales* quam optime facillimeque intelliguntur ex modis uniuscujusque figuræ.

2. Contra primam partem legis primæ specialis, peccatur tali syllogismo; *Aliquod corporeum est lapis. Omnis homo est corporeus. Ergo, omnis homo est lapis.*

3. Contra secundam partem, peccatur hoc syllogismo; *Omnis homo est animal. Nullus equus est homo. Ergo, nullus equus est animal.*

4. In secundæ legis partem primam impingit hic syllogismus; *Aliqua substantia non est animal. Omnis homo est animal. Ergo, aliquis homo non est substantia.*

5. In secundam partem legis speciales secundæ peccat hic syllogismus; *Omnis homo est animal. Omne brutum est animal. Ergo, omne brutum est homo.*

6. Adversus legis specialis tertiæ partem primam peccat hic syllogismus; *Omnis homo est animal. Aliquis homo non est doctus. Ergo, aliquod doctum non est animal.*

7. In secundam partem ejusdem legis impingit hic syllogismus; *Omnis homo est risibilis, Omnis homo est animal. Ergo, omne animal est risibile.*

8. Ad harum legum normam omnes syllogismi sunt componendi & exigendi.

CAPUT IX.

Quæst. I. *An syllogismi omnium figurarum sunt æque perfecti?*

MInime: syllogismi primæ figuræ cæteris perfectiores sunt.

1. Duplex est perfectio syllogismorum; una quæ respicit formam sive evidentiam illationis, quæ hic respicitur; alia est syllogismorum perfectio & imperfectio respectu materiæ: quo sensu enthymema dicitur syllogismus imperfectus, quia non omnes tres habet propositiones. Hic prior respicitur perfectio, quæ est ratione illationis ac formæ.

2. Illatio dicitur forma syllogismi, quia sine illa syllogismus ne syllogismus quidem fuerit, quemadmodum sine forma res non est id quod est: sed tres termini aut etiam tres enunciationes sunt materia syllogismi, aut potius partes ejus integrantes, quia etiamsi aliquid de ista materia desit, puta vel terminus aliquis, vel enunciatio aliqua, adhuc tamen syllogismus fuerit; quod liquet in enthymemate.

Quæst. II. *Quæ ob causas?*

Prima, quia in ea concludi possunt omnia genera problematum, affirmantia, negantia, universalia & particularia: cum in secunda figura tantum negantia concludi possint, & in tertia tantum particularia. Deinde, quia in prima figura apparet necessitas sequelæ syllogisticæ, & regula de omni & de nullo, quæ in cæteris figuris non ita liquido conspiciuntur.

1. Ex modis singularum figurarum sciri potest, quot cujusvis generis problemata, id est, quæstiones ac conclusiones, inferri possunt in figura prima, non item in 2, aut 3.

2. *Necessitas sequelæ)* seu consequentiæ evidentior est in figura prima quam in cæteris duabus, quia syllogismi figuræ primæ proprius accedunt ad naturalem discursum quàm syllogismi secundæ aut tertiæ figuræ; ideoque, *regulæ de omni & de nullo*, quæ sunt naturalis illationis fundamenta, magis quoque conspiciuntur in syllogismis primæ quam secundæ aut tertiæ figuræ: hinc est, quod idiotæ, & homines inliterati ac rudes Logicæ, quando syllogismos quosdam proferunt per naturalem Logicam, eos semper proferant in figura prima, non item secunda aut tertia: atque in eo consistit perfectio primæ figuræ præ 2. & 3. quod illa magis sit conformis naturali discursui quam hæ.

[3. Lo-

[3. Logica vulgo dividitur in naturalem & artificialem. Quæ divisio, nec generis est in species; nam species debent convenire in communi genere categorico, at Logica naturalis & artificialis sic non conveniunt; sunt quidem ambæ qualitates, sed cum prior sit potentia naturalis, posterior habitus, non possunt esse species ejusdem generis proximi categorici: nec est divisio integri in membra, quippe membra coeunt in unum totum, Logica naturalis & artificialis non item: quin ne rei quidem divisio est, sed vocis tantum distinctio; nam aliter sumitur hæc vox Logica quando significat ipsam naturalem potentiam ratiocinandi, quæ omnibus hominibus cognoscitur, unde hæc Logica naturalis dicitur; & aliter accipitur, cum significat habitum acquisitum ad facile ratiocinandum, & hæc vocatur Logica artificialis, atque ea fuit in initio definita.]

Quæst. III. *Cur ergo non semper adhibentur syllogismi primæ figuræ?*

Quia, licet hi syllogismi cæteris meliores sint evidentia sequelæ, conditio tamen materiæ, sæpe ratiocinantem trahit ad secundam aut ad tertiam figuram.

1. *Conditio materiæ*] intelligitur quantitas & qualitas enunciationum, ac præsertim conclusionis: ita conclusiones particulares negantes, multo sæpe facilius & naturalius probantur in secunda aut tertia figura, quam in prima.

2. Aliquid necessarium est duobus modis: vel simpliciter, & ad τὸ esse, vel secundum quid, & ad bene esse. Syllogismi secundæ & tertiæ figuræ, non sunt necessarii simpliciter, & ad esse Logicæ; attamen necessarii sunt secundum quid, & ad bene esse Logicæ: nam multi syllogismi citius, facilius, & naturalius quoque inferunt in figura secunda aut tertia, quam in prima; uti sunt, in quibus conclusio est particularis negans; ratio vero ejus est, quia plures sunt modi in secunda ac tertia figura, quibus talis conclusio inferri potest.

CAPUT X.

Quæst. I. *Satis dictum est de genesi, sive ratione struendi syllogismos: qua in re consistit εὐπορία, sive ratio inveniendi medii?*

UT medium idoneum eligatur ad conclusionem in qualibet figura & modo colligendam. Id vero quomodo fieri debeat, ex Institutionibus petendum est.

1. *Ratio inveniendi medii* plana & facilis hæc sola est, ut subjectum & prædicatum quæstionis deducantur per omnes affectiones

nes logicas & notiones secundas, generis, speciei, differentiæ, &c. quod ut commode fiat, subjectum & prædicatum referri debent ad suam singulæ categoriam, non enim melius patebit, quodnam vel subjecti vel prædicati sit genus, quæ species, differentiæ, &c. ac tum disputiatur, quænam affectionum logicarum cum subjecto aut prædicato consentiant, quænam dissentiant: quæ consentiunt cum utroque aut alterutro debent disponi cum iis affirmando quæ dissentiunt, negando. Præstant vero semper termini medii ab affectionibus logicis desumpti ex parte prædicati, quam qui desumuntur ex parte subjecti, quia quæstio non instituitur de subjecto, sed de prædicato. Pro exemplo sit quæstio, *An logica sit ars.*

2. Ut inveniam terminos medios quamplurimos, circumduco *Logicam* & *artem* per omnes notiones secundas, & possum argumentari, à *genere, specie, differentia, proprio, accidente, partibus, causis, effectis, adjunctis, oppositis*, &c. vel *logicæ*, vel *artis* affectionibus, primo libro traditis: hic vero tum judicium adhibendum est in iis terminis mediis ex tanta copia seligendis, qui maximam habent vim concludendi. *Opposita, diversa, impropria, dissimilia*, disponuntur negando; reliqua vero argumenta vere affirmando. Meliora autem erunt argumenta ex parte prædicati *artis*, quam ex parte subjecti *Logicæ*. Atque hic egregius est campus ingenii sui exercendi, in quo diligenter sese occupent tyrones.

CAPUT XI.

Quæst. I. *Pergamus ergo ad tertium membrum nostri instituti. Quot sunt species imperfecti syllogismi?*

SEptem præcipue: inductio, enthymema, exemplum, syllogismus hypotheticus, syllogismus disjunctivus, dilemma, & sorites.

Hic intelligitur imperfectio syllogismorum respectu materiæ, tum remotæ, trium terminorum, tum proximæ trium propositionum: quando scilicet aliquid hic deest ex alterutra materia, vocatur syllogismus imperfectus.

Quæst. II *Quid est inductio?*

Inductio est argumentatio, in qua ex individuis colligitur species, aut ex speciebus genus, aut ex partibus totum.

1. *Inductio* est valde idonea ad declarandum sive explicandum, & ad constituenda præcepta, sive principia disciplinarum: hoc modo, verbi causa, medici suæ disciplinæ regulas constituerunt, rhabarbarum Platoni, Socrati, Petro, Paulo, aliisque individuis, pur-

purgavit bilem, ergo rhabarbarum habet vim purgandi bilem. Vocatur *Inductio* hoc argumentandi genus, quia animus ex singularibus inducitur, & quasi introducitur in cognitionem universalium.

2. Inductio, exiguum aut fere nullum habet usum in disputando atque opponendo; quia, cum procedat ab universalibus ad singularia, non potest conclusio universalis bene inferri, nisi adferantur omnia singularia; at hoc difficillimum est. Verum ad alicujus rei illustrationem & ulteriorem deductionem, maximi usûs est inductio sed præsertim utilis est ad inveniendas & conformandas disciplinas; cum enim præcepta earum debeant esse universalia, & universalia non habeant veritatem nisi in singularibus, non potest præceptorum veritas aliunde melius demonstrari, quam in medium prolatis singularibus, in quorum veritate laudatur veritas universalium.

Quæst. III. *Illustra singulos modos singulis exemplis.*

Ex individuis species colligitur hoc modo; *Abel, Enoch, Noach, Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, Moses, Gedeon, Samson, Samuel, David, altique multi non aliter placuerunt Deo, quam per fidem: ergo, sine fide impossibile est Deo placere.* Ex speciebus colligitur genus hoc modo; *Milites, mercatores, agricolæ, opifices, homines eruditi, non sunt sua sorte contenti: ergo, nullum genus hominum sua sorte contentum est.* Ex partibus colligitur totum hoc modo; *Libri Mosis, Prophetarum, Evangelistarum & Apostolorum sunt divinæ autoritatis, ergo, tota S. Scriptura est divinæ autoritatis.*

Quæst. IV. *An in inductione omnia individua, species, aut partes, enumerandæ sunt?*

Aut enumerandæ sunt, aut utendum hac aut simili formula, *Nec potest dari dissimile exemplum.*

Quæst. V. *Quomodo evertitur inductio?*

Cum dissimile cæteris exemplum, exhibetur: vulgo *instantia* dicitur.

Ut, verbi causa, manus, pes, etiam caput; falsa est inductio, propter exemplum dissimile.

adfecta, est amputanda, ergo

Quæst. VI. *Quid est enthymema?*

Enthymema est syllogismus altera propositione truncatus; ut, *Avarus eget; ergo avarus non est dives. Qui non peccat non est autor peccati; ergo Deus non est autor peccati.*

Quæst.

Enthymema] dicitur quia altera propositio relinquitur cogitanda ἐν τῇ ψυχῇ: itaque hîc una ex præmissis deest vel major, vel minor. Ex propositionibus quæ in enthymemate sunt, prior vocatur *antecedens*, posterior *consequens*. Ad enthymema respondetur hac formula, *negatur antecedens*, & *negatur consequens*.

Quæst. VII. *Unde cognoscitur utra duarum propositionum desit?*

Ex conclusione sive consequente. Si enim in antecedente exprimitur [vel subintelligitur] subjectum consequentis, deest major, ut fit in primo exemplo: si in antecedente exprimitur [vel subintelligitur] prædicatum consequentis, deest minor, ut fit in altero exemplo.

1. Exemplum prioris est, *Homo est animal; ergo, homo sentit*: exemplum posterioris est, *Animal sentit; ergo, homo sentit*. Ex utroque exemplo videre est rem ipsam.

2. Quando subjectum utrobique est idem, deest major, ut in priori exemplo, quod sic in syllogismo perfecto sese habet; *Omne animal sentit. Omnis homo est animal. Ergo omnis homo sentit.* Quando prædicatum utrobique est idem, deest minor, ut in secundo exemplo, quod in syllogismo perfecto ita sese habet; *Omne animal sentit. Omnis homo est animal. Ergo omnis homo sentit.*

3. Si in antecedente nec idem subjectum nec idem prædicatum exprimatur consequentis, deest major, sed fit syllogismus perfectus in 3. figura, aut etiam in 1. figura.

Hæc sunt enthymemata.

1. *Nix est corpus.*
Aliquod corpus est frigidum.
2. *Nix est frigida.*
Aliquod frigidum est corpus.

In 1. figura.

1. *Omnis nix est frigida.*
Aliquod corpus est nix.
E. Aliquod corpus est frigidum.

2. *Omnis nix est corpus.*
Aliquid frigidum est nix.
E. Aliquid frigidum est corpus.

In 3. figura.

1. *Omnis nix est frigida*
Omnis nix est corpus.
E. Aliquid corpus est frigidum.
2. *Omnis nix est corpus.*
Omnis nix est frigida.
E. Aliquod frigidum est corpus.

Quæst. VIII. *Quomodo perficiuntur ejusmodi enthymemata?*

Addita propositione quæ desideratur.

1. Facile est propositionem addere quæ deest, si advertatur, illos terminos esse sumendos ad propositionem supplendam, qui singuli tantum semel occurrunt in antecedente & consequente, omisso communi utriusque vel subjecto vel prædicato: sic in exemplis statim positis, prius enthymema sic suppletur; *Omne animal*

animal sentit. Omnis homo est animal. Ergo omnis homo sentit, atque eodem modo suppletur posterius.

[2. Hoc enthymema, *Omnis albor est color. Ergo quædam qualitas est albor*, verum est enthymema, quia omnis color est qualitas; sed non potest reduci ad categoricum, nisi conclusione mutata aut minore: si neutra mutetur, erit vel minor negans in fig. 1. vel particularis major in 2. fig.

Quæst. IX. *Quid si neque subjectum neque prædicatum consequentis sit in antecedente?*

Tunc deest major: eaque addita, fit syllogismus hypotheticus. Sit enthymema, *Virtus est optanda, ergo vitium est vitandum*: adjiciatur hæc major hypothetica, *Si virtus est optanda, ergo vitium est vitandum*; & erit plenus syllogismus hypotheticus.

[1. Fieri potest, ut in enthymemate neque idem sit subjectum neque idem prædicatum consequentis quod fuit in antecedente, & tamen reducatur ad categoricum, non hypotheticum: ut in hoc exemplo, *metallum est substantia*, ergo, *quædam substantia non est planta*, abjiciatur substantia, fiatque major ex terminis reliquis hoc modo, *nullum metallum est planta, omne metallum est substantia*, ergo, *quædam substantia non est planta*, & est syllogismus 4. figuræ in *felapton*; vel sic, *nulla planta est metallum, quædam substantia est metallum*, ergo, *quædam substantia non est planta*, in 2. fig. in *festino*.]

2. Quid sit syllogismus hypotheticus, cap. sequenti explicabitur.

Quæst. X. *Quid est exemplum?*

Exemplum est inductio imperfecta, in qua ex uno singulari colligitur universale, ut ex eo aliud singulare sequatur: ut, *Bellum Syllæ & Marii fuit reipublicæ perniciosum; ergo bella civilia sunt reipublicæ perniciosa; ac proinde etiam bellum Cæsaris & Pompeii.*

Exemplum] non est efficax argumentandi ratio: unde Rhetoribus magis quam Philosophis in usu est; & qui syllogismos non capiunt, exemplis facile capiuntur. Modus argumentandi in exemplo facile intelligitur ex ejus definitione.

CAPUT

CAPUT XII.

Quæst. I. *Quid est syllogismus hypotheticus?*

Cujus major est hypothetica: ut, *Si Deus est, mundus regitur providentia: Atqui Deus est: Ergo, mundus regitur providentia.*

[1. *Syllogismus hypotheticus* hic dicitur, cujus major est hypothetica: non quasi minor nusquam sit aut esse possit hypothetica, nam sæpe talis est; sed tamen talis syllogismus non consuevit dici hypotheticus. Interim hoc observandum est quando major est hypothetica & non minor, conclusio est categorica; sed si minor est hypothetica, conclusio quoque est talis.]

2. *Major* dicitur *hypothetica* quæ constat conjunctione conditionali sive connexiva *si*.

Quæst. II. *An non etiam minor potest esse hypothetica?*

Ita: sed hoc fit, cum ipsa quæstio est hypothetica, [quales syllogismi categoricis æquipollent.]

Syllogismi categorici dicuntur syllogismi primæ, secundæ, vel tertiæ figuræ; & sic vocantur, quia eorum propositiones nullum habent συγκατηγόρημα, seu vocem syncategorematicam, conjunctionem *si*, *&*, *aut*, &c. sed prædicatum in iis de subjecto simpliciter κατηγορεῖ seu prædicatur, absque additamento, quando disponuntur subjectum & prædicatum enunciatione simplici & pura.

Quæst. III. *Unde dignoscitur sintne syllogismi hypothetici boni, an vitiosi?*

Ex hac regula: Ex syllogismis hypotheticis ii boni sunt, qui procedunt à positione antecedentis ad positionem consequentis, vel à remotione consequentis ad remotionem antecedentis; ut, *si homo est animal, sentit: Atqui homo est animal: Ergo, homo sentit.* Vel sic, *Si lapides vivunt nutriuntur: Atqui lapides non nutriuntur: Ergo, lapides non vivunt.* Qui procedunt à remotione antecedentis ad remotionem consequentis, vel à positione consequentis ad positionem antecedentis, vitiosi sunt; ut, *Si planta est animal, vivit: Atqui planta non est animal: ergo, planta non vivit.* Vel sic, *Si planta est animal, planta vivit: Atqui planta vivit: Ergo, planta est animal.*

1. His

1. Hic accuratissime teneri debet quid sit *ponere*, & quid *removere*. Nam *ponere* non est simpliciter affirmare, nec *removere* simpliciter negare, in quo multi errant: sed *ponere* est affirmare antecedens quod fuit affirmatum, & negare antecedens quod fuit negatum, sic, ut, etiam is ponat qui negat, modo id ante fuerit negatum; & *removere* est affirmare consequens negatum, vel negare consequens affirmatum, sic, ut is etiam removeat qui affirmat, modo id ante fuerit negatum. Verbi causa, *Si planta non est animal, non sentit; Sed non est animal: Ergo, non sentit*; est syllogismus procedens à positione antecedentis ad positionem consequentis, & tamen procedit negando: sic, *Si homo non est animal, non sentit: Atqui homo sentit: Ergo, homo est animal*; est syllogismus procedens à remotione consequentis ad remotionem antecedentis, & tamen procedit affirmando.

[2. Quamvis in metaphysicis ens positivum idem sit quod affirmatum, prout opponitur enti negativo, quemadmodum visus est ens positivum, cæcitas ens negativum; hic tamen *ponere* non significat simpliciter affirmare; nam hoc loco, etiam qui negat ponit, nempe si neget quod ante fuit negatum: sic quamvis abstractio remotionis sit idem quod abstractio negationis seu complexa; hic tamen *removere* non est simpliciter negare; nam etiam hoc loco qui affirmat, removet, modo affirmet id quod ante fuit negatum.]

3. In disputationibus hîc utimur compendio, & dicimus; *Sed verum est prius, sive antecedens. Ergo & posterius sive consequens*, vel, *Falsum est posterius; sive consequens, Ergo & prius, sive antecedens.*

[4. In syllogismo hypothetico qui procedit à positione antecedentis ad positionem consequentis, partes majoris propositionis, cum sumuntur categorice, id est, absque *si* semper sunt veræ: in syllogismo hypothetico qui procedit à remotione consequentis ad remotionem antecedentis, partes majoris propositionis, si sumantur categorice absque *si*, semper sunt falsæ. Quando terminus medius cum altera parte quæstionis, vel subjecto vel prædicato pugnat, id est, cum negatur, syllogismus hypotheticus procedit à remotione consequentis ad remotionem antecedentis: quando vero cum utraque parte conclusionis contentit, id est, cum affirmatur, procedit à positione antecedentis ad positionem consequentis.]

[5. Ex iisdem terminis non potest fieri syllogismus hypotheticus, à positione antecedentis ad positionem consequentis, & à remotione consequentis ad remotionem antecedentis: quia in priori debent ambæ premissæ esse affirmatæ, vel ambæ negatæ, in posteriori debet altera propositionum esse affirmata, altera negata; at non possunt ex iisdem terminis fieri simul propositiones affirmatæ & negatæ.

Quæst.

Quæst. IV. *Quomodo revocantur syllogismi hypothetici ad categoricos?*

Syllogismi hypothetici, in quibus idem est subjectum antecedentis & consequentis, [sive expressum, sive subintellectum,] fiunt categorici, abjecta conditione [seu conjunctione] *si*, & communi antecedentis & consequentis subjecto. Uti, *Si ego sum pius, ego sum beatus: Atqui sum pius: Ergo ego sum beatus.* Categorice sic argumentabor; *Omnis pius est beatus; Ego sum pius; Ergo.*

1. In exemplo hoc authoris, subjectum antecedentis in consequente est expressum: sed interdum in consequente, minore, & conclusione subintelligitur; ut in hoc exemplo, *Si homo est animal sentit: Sed est animal: Ergo sentit.*

2. Syllogismi, qui procedunt à positione antecedentis ad positionem consequentis, concluduntur in figura prima; ut in exemplo autoris, quæst. 3. *Animal sentit: Homo est animal: Ergo homo sentit.*

3. Qui vero procedunt à remotione consequentis ad remotionem antecedentis, revocantur ad figuram secundam, quia minor est negans, ut in exemplo autoris, quæst. 3. *Quod vivit, nutritur: Lapides non nutriuntur: Ergo non vivunt.*

[4. Non videtur hoc esse universaliter verum, quod syllogismi hypothetici procedentes à positione antecedentis ad positionem consequentis, reducantur semper ad figuram primam: nam dari potest exemplum, ubi minor sit negans, quo casu non potest ulla fieri reductio syllogismi hypothetici ad figuram primam. Ut, verbi causa, *Si planta non est animal, non sentit: atqui planta non est animal: Ergo non sentit.* Abjiciatur *si*, & commune antecedentis ac consequentis *planta*, fiatque syllogismus categoricus, erit talis; *animal sentit: planta non est animal: ergo planta non sentit:* hic minor est negans, & in prima figura, & consequenter vitiosus syllogismus. Hic nihil aliud responderi potest quam reductionem talis syllogismi non esse debito ac legitimo modo institutam; nam sic videtur reduci debere: *non animal non est sentiens: planta est non animal: ergo planta est non sentiens:* & tum minor est affirmans, sed prædicatum per particulam *non* est infinitum, quod non impedit quo minus enunciatio maneat affirmans.]

[5. Syllogismi hypothetici omnem vim concludendi emendicant à categoricis, atque eorum vi concluduntur, & in illis quidem figuris ad quas reduci valent: ideoque, syllogismi hypothetici procedentes à positione antecedentis ad positionem con-

consequentis, concludunt vi syllogismorum categoricorum in figura prima, quia ad eam reducuntur; & qui procedunt à remotione consequentis ad remotionem antecedentis, concludunt vi syllogismorum secundæ figuræ, quia ad eam reducuntur: neque reduci possunt ad primam & tertiam, quia neutra istarum figurarum admittit minorem negantem, qualis est hic.

[6. Syllogismi hypothetici vim concludendi habent à categoricis, quando ad eos reduci valent, sed non omnes reduci possunt; quales sunt illi, in quibus conclusio est particularis negans: Verbi causâ, *Si aliquod animal non est rationale, brutum non est rationale: sed verum prius: ergo & posterius*; hic syllogismus hypotheticus, nullo modo ad categoricum figuræ primæ reduci potest.]

Quæst. V. *Quid si non subjectum, sed prædicatum antecedentis & consequentis idem sit?*

Major hypothetica convertenda est in relativam. Exempli gratia, sic syllogismus hypotheticus, *Si Abraham justificatus est ex fide, nos quoque ex fide justificabimur: Atqui Abraham*, &c. fiatque hujus syllogismi major relativa, erit syllogismus categoricus, hoc modo; *Quo modo Abraham justificatus est, eodem modo nos justificabimur: Atqui Abraham*, &c.

[1. Non est verum, quod si idem sit prædicatum antecedentis & consequentis, debeat major hypothetica converti in relativam: nam hic syllogismus hypotheticus, *Si qualitas est accidens, albor est accidens; sed verum prius; ergo & posterius*, converti potest in hunc categoricum, *Omnis qualitas est accidens. Omnis albor est qualitas. Ergo, omnis albor est accidens.*]

2. Quid sit enunciatio relativa, vide quæstionem ultimam cap. 27. lib. 1.

3. Quod dicit author, quando non subjectum antecedentis & consequentis, sed prædicatum utriusque est idem, majorem hypotheticam, esse convertendam in relativam, non semper est verum; nam converti potest talis syllogismus in categoricum secundæ figuræ: ut in hoc exemplo; *Si omne corpus est lapis, aer est lapis: Sed aer non est lapis: Ergo, non omne corpus est lapis*: sic convertitur, *Nullus lapis est aer: Quoddam corpus est aer: Ergo quoddam corpus non est lapis.*

Quæst. VI. *Quid si neque subjectum neque prædicatum antecedentis & consequentis idem sit?*

Syllogismus hypotheticus nunquam poterit fieri categoricus, Exempli gratia, hic syllogismus, *Si ex lege justitia, Christus frustra mortuus est: Sed ex lege justitia: Ergo*, &c. fieri non potest categoricus.

Ratio est, quia forent quatuor termini, quod est contra leges syllogismi categorici.

Quæst. VII. *Quid est syllogismus disjunctivus?*

Cujus major est propositio disjunctiva.

Major disjunctiva] est quæ habet conjunctionem disjunctivam, *aut, sive, seu,* &c.

Quæst. VIII. *Quotuplex est?*

Duplex; bimembris, vel plurium membrorum.

Vis syllogismi disjunctivi *bimembris* consistit in immediata membri utriusque oppositione; vel, si *plura* sint *membra*, in omnium membrorum plena enumeratione: quod si vel membra duo non sint immediate opposita, sed admittant medium participationis, vel si non enumerentur membra omnia, syllogismus disjunctivus non valebit.

Quæst. IX. *Quomodo formatur bimembris?*

Vel à positione alterutrius membri proceditur ad eversionem alterius, vel ab eversione alterutrius ad positionem alterius: ut, *Aut dies est, aut nox; sed dies est, ergo non est nox:* vel, *sed nox est; ergo non est dies:* vel, *sed non est dies; ergo nox:* vel, *sed non est nox; ergo dies.*

Quæst. X. *Quomodo formatur syllogismus disjunctivus plurium membrorum?*

Cæteris membris sublatis, quod reliquum est, concluditur; ut, *Aut ver est, aut æstas, aut autumnus, aut hyems: Sed neque ver est, neque æstas, neque hyems; Ergo est autumnus.*

Quæst. XI. *Quid si ambobus, vel omnibus membris sublatis tollitur totum?*

Est syllogismus ab enumeratione partium; ut, *Qui injuriam facit, id facit aut furto, aut adulterio, aut contumelia, aut alio aliquo modo: Atqui nemo sua furatur, nemo seipsum adulteratur, nemo seipsum afficit contumeliâ: Ergo, nemo sibi facit injuriam.*

CAPUT

CAPUT XIII, & XIV.

Quæst. I. *Quid est dilemma?*

Dilemma est argumentatio duorum membrorum, quorum utrumque adjunctum habet incommodum; ut, *Si ducenda est uxor, aut pulchra ducenda est, aut deformis: si pulchram ducis, erit sollicitudini; si deformem, erit fastidio.*

Dilemma] vocari solet aliis *syllogismus cornutus*, quia duobus quasi cornibus ferit: dicitur à δὶς & λαμβάνω, quia utrovis modo quis dilemma capiat, ipse capitur, propter incommodum utrique membro adjunctum; & est efficax argumentandi genus, quando bonum est. Tum bonum est, 1. quando omnia membra disjuncta plene enumerantur; 2. quando sine medio opponuntur; 3. quando incommodum ita grave est, ut non possit retorqueri.

Quæst. II. *Quot modis est dilemma infirmum?*

Duobus modis; nempe si membra non sint immediate opposita, aut si non satis gravi incommodo urgentur. Utroque modo infirmum est dilemma propositum. Nam inter pulchritudinem & extremam deformitatem medium aliquod interpositum est; & non necesse est, ut aut pulchritudo sollicitudinem marito, aut deformitas fastidium pariat.

Est etiam infirmum dilemma, quando in adversarium retorqueri potest.

Quæst. III. *Quid est sorites?*

Sorites est argumentatio constans multis propositionibus ita collatis, ut prædicatum propositionis præcedentis fiat subjectum sequentis, indeque prædicatum ultimum de primo subjecto concludatur: ut, *Quos Deus præcognovit, eos prædestinavit; quos prædestinavit, vocavit; quos vocavit, justificavit; quos justificavit, glorificavit:* hinc collige, *Ergo quos præcognovit, glorificavit.*

1. *Sorites* dicitur à σωρὸς acervus; est enim tantum cumulus multarum enunciationum, quæ à se invicem dependent.

[2. Hoc notandum est in sorite, quod termini debeant esse affirmati, non negati, & subordinati sibi invicem per se, non

per accidens; subordinatione aut prædicamentali, quæ species generibus, individua speciebus; aut causali, qua causæ proximæ, remotis per se subordinantur: alioquin non valebit sorites.]

3. Subordinatio prædicamentalis est in terminis soritæ, cum in eodem prædicamento sub se invicem ponuntur in gradibus superioribus & inferioribus. Exempli gratia, homo est animal, animal est vivens, vivens est mixtum, mixtum est corpus, corpus est substantia; ergo homo est substantia. Subordinatio causalis est in terminis soritæ, cum disponuntur causæ superiores & inferiores, quarum hæ ab illis dependent per se hoc est, quatenus causant, & causant effectum tale, tali modo, loco, tempore, & sub talibus circumstantiis singularibus. Exempli gratia, ingluvies parit cruditatem in ventriculo, hæc parit cruditatem sanguinis, hæc atrophiam, hæc hydropem, aut phthisin, hæc mortem; ergo ingluvies parit mortem. Si vero termini in sorite sint causæ subordinatæ per accidens, sorites non valeat; ut in hoc, Qui bene bibit, bene dormit, qui bene dormit, non peccat, qui non peccat, est beatus; ergo, qui bene bibit est beatus; vitium est, quod bene bibere sit causa per accidens somni.

4. Tot vero sunt syllogismi in sorite, quot termini inter subjectum enunciationis primæ & prædicatum ultimæ fuerunt interjecti: sic in exemplo authoris sunt tres pleni syllogismi.

CAPUT XV.

Quæst. I. *Atque hactenus de syllogismo absolute ac ratione formæ considerato. Quomodo dividitur syllogismus ratione materiæ?*

In syllogismum dialecticum, apodicticum sive demonstrativum, & sophisticum sive fallacem.

1. *Syllogismus* dicitur hîc spectari ratione *materiæ*, quatenus spectantur ejus hîc propositiones, sintne veræ, an falsæ; si veræ, an sint necessariæ, an contingentes: pro diversis enim conditionibus propositionum, syllogismus diversos quoque producit effectus in intellectu humano, cujus est opus. Producit syllogismus in mente nostra judicium aliquod, sive assensum de conclusione: si propositiones syllogismi sunt falsæ, producunt assensum falsum, & judicium erroneum, sive errorem; vocaturque talis syllogismus sophisticus: si vero propositiones syllogismi sint veræ ac necessariæ, ita ut causa necessitatis, sit in rebus ipsis, producunt assensum verum, & judicium certum; & talis syllogismus, vocatur apodicticus: si autem propositiones sint veræ, sed contingentes, producunt assensum & judicium quidem verum, sed incertum atque infirmum, qui, vel opinio dicitur, vel

vel fides humana; & talis syllogismus vocatur dialecticus: si propositiones sint veræ & necessariæ, sic, ut causa necessitatis aut necessariæ potius veritatis sit infallibilitas dicentis, puta Dei, producunt assensum seu judicium verum, certum, firmum, quod vocatur fides divina, quia assentitur Dei testimonio. Qui syllogismus gignit opinionem fidem humanam, vel dubium, aut alium quemlibet assensum, præter scientiam & errorem, dicitur dialecticus.

[2. Per alium quemlibet assensum, genitum syllogismo dialectico, qui tamen non sit opinio, nec fides humana, nec assensus dubius, intelligitur hoc loco fides divina, id est, ille assensus qui adhibetur conclusioni ex syllogismo; propter terminum medium desumptum à testimonio Dei aut Prophetarum, Evangelistarum, & Apostolorum, Spiritu sancto actorum: nam & talis syllogismus est dialecticus, utpote in quo adhibetur pro termino medio æque argumentum inartificiale, petitum ab autoritate sive divina sive humana, atque adhibetur argumentum artificiale desumptum à ratione, quemadmodum, id videre est capite sequenti.]

Quæst. III. *Quid est syllogismus dialecticus?*

Syllogismus dialecticus est syllogismus generans opinionem, aut alium quemlibet assensum præter scientiam.

1. *Syllogismus dialecticus*, alio nomine dicitur topicus, latine probabilis aut contingens.

2. Syllogismus hic dicitur dialecticus, propter usum, quia maxime inservit discursibus communiter inter homines in conversatione institui solitis; rarius enim ab iis adhibentur syllogismi apodictici: dicitur & topicus, à τόποις sive locis inveniendi argumenta, seu terminos medios, qui loci hic longe sunt plures quam in syllogismo apodictico aut sophistico. Cum dicitur probabilis aut contingens, sic dicitur vel ratione conclusionis, quæ plerumque talis est, non tamen semper; vel ratione præmissarum, quarum vel utraque, vel altera saltem probabilis est, aut contingens.

3. *Opinionem aut*, &c.] *Opinio* est assensus qui conclusioni præbetur, verus quidem, sed dubius, pendulus, infirmus, & incertus: præter quem datur assensus non tantum verus, sed & certus atque firmus, scilicet fides divina, qua assentimur Deus testanti in verbo suo, cujus tamen certitudo ac firmitas non provenit à termino medio, quia est causa proxima; talis enim assensus verus, firmus, ac certus, vocatur scientia, quæ est effectum syllogismi apodictici: assensus qui præbetur conclusioni ob testimonium divinum, est assensus verus, certus, ac firmus non tamen est scientia neque etiam gignitur à syllogismo apodictico, sed dialectico; ideoque, effectum hujus syllogismi

partim est assensus verus infirmus, qui dicitur opinio vel fides humana, partim assensus verus firmus, qui dicitur fides divina.

[4. Doctrina de assensu qui ab intellectu hominis præbetur conclusioni alicui termini medii, eam in aliquo syllogismo inferentis, meretur bene percipi, quia fundamentum est omnium habituum intellectualium, qui non aliter gignuntur, quam per assensus varios in unum quasi acervum accumulatos. Potest autem omnis assensus per divisionem bimembrem dividi in verum & falsum: verus in infirmum & firmum: infirmus in opinionem & fidem humanam; firmus in inevidentem, quæ dicitur fides divina, & evidentem, quæ dicitur scientia. Assensus falsus, vulgo error, producitur syllogismo sophistico; assensus verus, firmus, evidens, vulgo scientia, producitur syllogismo apodictico: reliqui vero assensus veri, sive firmi fuerint sive infirmi, producuntur syllogismo dialectico. Una hic supereſt difficultas circa fidem divinam, quomodo dicatur illa assentes inevidens, siquidem multa credimus quæ quoque scimus aut videmus: sic ipse Servator noster dicit Thomæ. Luc. 24. *in credis quia vides.* Ad quam difficultatem hic responderi debet, aut non esse idem objectum fidei, & scientiæ aut sensuum, & Thomam aliud vidisse & tetigisse aliud credidisse; aut si fides divina & scientia circa idem occupentur objectum, ut, si quis sciat mundum esse creatum per rationem aliquam philosophicam, & idem credat propter authoritatem verbi divini, in quo id est revelatum, diversa tamen ratio est, qua cognoscit homo mundum esse conditum, cum illud apodictice scit, & cum idem credit propter testimonium Dei in verbo suo testantis: nempe in priori cognitione videt ac cognoscit ipsam causam sui assensus rei demonstratæ insitam; in posteriori cognitione tantum cognoscit mundum esse conditum, nulla percepta causa sui assensus quæ in ipsa re sit, sed tantum quia Deus testatur.

[5. Assensus verus, est vel incertus & infirmus, vel certus & firmus. Prior, est vel opinio, vel fides humana, qua quis assentitur conclusioni alicui ob testimonium hominis; qui cum fallere possit & falli, non potest assensus esse firmus, præbitus ob testimonium ejus conclusioni: Posterior, est vel evidens, vel inevidens: evidens dicitur cum quis assentitur conclusioni sic, ut ejus causam videat & vocatur scientia; ut, cum quis assentitur huic conclusioni. Homo est risibilis, quia novit eum esse rationalem, rationalitas enim in homine est causa risibilitatis: inevidens est, cum quis assentitur conclusioni, & ejus causam non videat, & vocatur fides divina, ut, cum quis assentitur huic conclusioni. Eadem numero corpora relurgent, aut, Dantur tres personæ in essentia divina, quia Deus sic testatur in verbo suo. Assensus hic est verus, & certus, & firmus, quia Deus nec fallere potest, nec falli; sed est inevidens, quia qui assentitur hisce conclusionibus ob testi-

testimonium Dei, non videt causam aliquam in Deo, cur sint tres personæ in essentia divina, aut in corporibus, cur eadem numero sint resurrectura. Atque ideo elegantissime definitur fides divina ab Apostolo, ὑπόστασις πρᾶγμάτων βλεπομένων, id est, assensus firmus & subsistens, eorum quæ non videntur, id est, inevidens, hoc est, quæ non sciuntur per causam proximam.]

Quæst. III. *Quænam spectanda sunt in syllogismo dialectico?*

Quæstiones sive problemata, propositiones, & inventio argumentorum.

Conclusio sive quæstio in syllogismo *topico*, speciali nomine vocatur *problema*, quia in utramque fere partem disputari potest.

Quæst. IV. *Quales debent esse quæstiones sive problemata dialectica?*

[Vera: sed] nihil refert, sive probabilia sive paradoxa, sive necessaria sive contingentia sint; modo pietati, bonis moribus, aut sensui communi non adversentur. Neque enim disputandum est, *an Deus sit colendus, an parendum sit Magistratui*; quia illud pietati, hoc bonis moribus contrarium est: neque, *an nix sit alba*, quia illud cum sensu pugnat.

1. Cum hic argumenta dialectica dividuntur in artificialia & inartificialia, male hæc divisio applicatur terminis mediis syllogismi tantum topici, cum & in syllogismo apodictico termini medii, causa efficiens proxima, & finis proximus, & effectum proximum, & causa remota, sint argumenta artificialia, & conclusio syllogismi apodictici probari quoque possit argumento inartificiali, æque ac syllogismus dialecticus.]

2. Problemata in syllogismo topico debent esse vera, quia falsa sunt syllogismi sophistici conclusiones,

[3. Nullius artis est invenire terminum aliquem medium inartificialem, desumptum à testimonio Dei; ex Bibliis assumatur tantum aliquis locus biblicus tale testimonium continens: sed, ubi jam fuerit inventum, vel maximæ artis est illud sic disponere, ut fortiter arguat, id est, presse atque urgenter vel veritatem adstruat, vel falsitatem destruat. Ita quoque nullius artis est ex corpore juris civilis proferre aliquam legem, vel probantem vel refutantem; sed ex lege inventa argumentari, & sic disponere testimonium jurisconsulti in lege allatum, ut thesin propositam

acriter vel probet vel refutet, hoc opus, hic labor est, & maximæ artis ac summi judicii. Utrumque hoc à theologiæ & juris studiosis maxime negligitur; qui tamen maxime ab argumento inartificiali, testimonio vel Dei in verbo suo, vel jurisconsulti in corpore juris in argumentando solent procedere: alter enim sine scripturis, alter sine lege loqui erubescit. In philosophia & medicina magis proceditur argumentis artificialibus desumptis à ratione.]

4. *Paradoxa*] dicuntur *problemata* quæ sunt vera præter opinionem vulgi: ut, cum proponitur quæstio, an terra moveatur; quod, si verum est, verum est præter opinionem vulgi, ideoque paradoxum: ubi vulgus non tantum significat plebem illiteratam, sed & communem multitudinem literatorum, principiis antiquis ac non bene examinatis inhærentium.

5. *Necessaria*] *problemata* sunt, quæ sive divina aut testimonio Dei probantur. *Contingentia* aut *probabilia* dicuntur problemata, modo una præmissarum sit contingens aut probabilis.

6. Syllogismus topicus dicitur *contingens* & *probabilis*, non semper à conclusione, quæ interdum est necessaria, sed à præmissis vel ambabus, vel una seltem, aut à medio potius, quod probabiliter ac contingenter cohæret cum partibus quæstionis.

Quæst. V. *Quotuplicia sunt problemata?*

Duplicia; alia realia, alia notionalia.

Quæst. VI. *Quæ vocas realia?*

In quibus attributum est vera res; ut, *An Logica sit ars*; *An justificemur operibus?*

Attributum] idem est hic quod prædicatum.

Quæst. VII. *Quæ notionalia?*

In quibus attributum, est notio aliqua aut terminus artis; ut, *An ars sit genus Logicæ*; *An opera sint causa justificationis nostræ coram Deo?*

1. *Notio aliqua*] scilicet secunda, non prima: nam notio prima, veram aliquam rem designat, & affectionem philosophicam; sed notio secunda significat affectionem logicam, & ens rationis, seu, ut hic loquitur author, *terminum artis*, quales libro primo tradidit à cap. 10. ad 24.

2. *Terminus artis*] dicitur aliis τεχνολόγημα, id est, vocabulum unicuique arti proprium: sic metonymia & synecdoche sunt τεχνολογήματα rhetorica; meridianus, horizon, zodiacus, sunt τεχνολογήματα astronomica, genus, species, &c. sunt τεχνολογήματα logica.

3. Talia

3. Talia problemata notionalia, frequentissime occurrunt inter disputandum in philosophia, medicina, theologia, jurisprudentia, & in omni facultate ac disciplina: quod exempla satis quotidie docent.

Quæst. VIII. *Quomodo dividuntur problemata realia?*

In absoluta, & comparata.

Quæst. IX. *Quæ vocæ absoluta?*

In quibus quæritur, an attributum [reale] subjecto conveniat, necne; ut, *An gloria sit in bonis numeranda?*

Exemplum problematis *absoluti* ex ethicis, est hoc; *an virtus moralis sit habitus?*

Quæst. X. *Quæ comparata?*

In quibus, propositis duobus pluribusve subjectis, quæritur, utri magis, vel cui maxime conveniat attributum reale: vel in quibus propositis duobus pluribusve prædicatis, quæritur, utrum magis, vel quodnam maxime subjecto insit: ut, *Sitne virtus, an gloria magis in bonis numeranda? Fuerítne Alexander fortior, an temperantior?*

1. Exemplum problematis *comparati*, est hoc; *utrum virtus moralis sit habitus nobilior quam intellectualis?*

2. Quando hic fit mentio *plurium subjectorum*, intellige subjecta prædicationis, non vero inhæsionis.

Quæst. XI. *Quales debent esse propositiones dialecticæ?*

Propositiones dialecticæ debent esse [semper veræ, interdum] certæ: aut saltem probabiles; non paradoxæ.

Per propositiones *dialecticas* intellige præmissas syllogismi topici; quæ interdum sunt certæ, interdum contingentes, semper tamen veræ.

Quæst. XII. *Quid est probabile?*

Quod videtur omnibus, vel plerisque, vel sapientibus; atque iis vel omnibus, vel plerisque, vel nobilissimis ac celeberrimis.

Ex hac quæstione liquet esse quinque gradus probabilitatis: illud est probabile quod videtur 1. omnibus, 2. plerisque, 3. sapientibus omnibus, 4. sapientibus plerisque, 5. sapientibus celeberrimis.

Quæst. XIII. *Quid est paradoxum?*

Quod verum est præter opinionem vulgi; [ut, *solem esse majorem terra*, aut, *antipodes dari.*]

CAPUT

CAPUT XVI.

Quæst. I. *Quænam requiruntur ad inventionem argumentorum dialecticorum?*

Locus & regula.

1. Per *argumenta dialectica* hic intelliguntur termini medii in syllogismo topico.

2. Ut quis feliciter syllogismos conficiat dialecticos, ad duo attendendum est: 1. ut terminum medium inveniat; 2. ut inventum cum partibus quæstionis disponat cum judicio. Argumentum invenire, ingenii est; disponere, judicii: in utroque intellectus juvatur in inveniendo per *locos*, in disponendo per *regulas*: quæ *regulæ* in singulis locis sunt variæ; *loci* vero ad argumentorum inventionem facientes tot sunt, quot sunt classes affectionum logicarum seu notionum secundarum lib. 1. explicatarum: sic locus est generis, speciei, causæ, subjecti, &c. sed quot sint regulæ in unoquoque loco, certo assignari nequit.

Quæst. II. *Quid est locus?*

Locus est sedes & nota quædam communis, cujus admonitu invenitur argumentum.

Locus] nihil est aliud quam designatio terminorum logicorum, ex quibus medium hujus syllogismi petitur.

Quæst. III. *Quid est regula sive canon?*

Canon est propositio continens rationem consequentiæ syllogismi dialectici.

Regula sive *canon* aliis dicitur *maxima*, aliis *axioma*; estque enunciatio desumpta ex loco aliquo, qua innititur syllogismi in concludendo vis: itaque locus facit ad medii inventionem, regula ad inventi medii cum judicio dispositionem; nam, an affirmate, an negate disponendum sit inventum jam argumentum, docet canon.

Quæst. IV. *Quomodo dividuntur argumenta dialectica?*

In artificialia, & inartificialia, sive testimonia.

1. *Argumenta artificialia* sunt, quæ per artem, scilicet logicam, inveniuntur: *inartificialia*, quæ sine ulla arte tantum assumuntur, prout nobis occurrunt, qualia sunt testimonia; hæc enim, prout inciderint, accipiuntur: quæ licet sine arte inveniuntur, non tamen sine arte disponuntur; sed in iis disponendis maximo opus est judicio.

2. Ar-

2. Argumentum artificiale dicitur insitum; inartificiale assumtum: ratio est, quia argumentum artificiale inest vel subjecto vel prædicato conclusionis, sed inartificiale extrinsecus extra subjectum aut prædicatum assumitur. Verbi causa, cum quis probat, Deum resuscitaturum nostra corpora eadem, quia est omnipotens; omnipotentia est argumentum artificiale atque insitum, desumptum à loco proprii, est enim proprietas subjecti, scilicet Dei, atque inest Deo: sed si quis eandem enunciationem probet hoc medio, quia Deus sic testatur in verbo suo, argumentum est inartificiale, quod extra tum subjectum tum prædicatum conclusionis, ex verbo Dei, tanquam testimonium ejus, assumitur.

Quæst. V. *Unde petuntur argumenta artificialia ad confirmanda aut refellenda problemata notionalia?*

Ex definitione aut proprietate notionis sive affectionis: de qua in problemate quæritur. Sic probes, *Aerem non esse genus venti: quia aer non prædicatur de vento in quæstione qua quæritur quid sit.*

Intellige hic *notionem* secundam, sive affectionem logicam; non vero primam, sive affectionem philosophicam, aut realem, quæ rebus convenit citra & præter mentis operationem.

Quæst. VI. *Unde petuntur argumenta artificialia ad confirmanda aut refellenda problemata realia?*

Ex affectionibus subjecti aut prædicati. Ea enim sunt horum argumentorum loci.

Affectiones subjecti aut prædicati j intelligantur logicæ, quæ *lib.* 1. *cap.* 10. & sequentibus sunt traditæ: debet enim subjectum & prædicatum per illas notiones secundas circumduci, quemadmodum *cap.* 10. *hujus lib.* monuimus.

Quæst. VII. *Quomodo dividuntur argumenta artificialia problematum realium?*

In absoluta & comparata.

1. *Argumenta absoluta*] dicuntur, quæ conveniunt quæstioni sine ulla comparatione cum aliquo tertio: *comparata* vero, quæ conveniunt quæstioni, sed facta eorundem comparatione cum tertio.

2. Argumenti absoluti exemplum est, *Alexander fuit fortis, quia multa præclare gessit*; hic *præclare gesta* arguunt absolute fortitudinem in Alexandro: sed cum probo Alexandrum fuisse fortiorem Achille, quia plura gesserit præclare quam Achilles, est argumentum comparatum.

Quæst.

Quæst. VIII. *Quomodo dividuntur absoluta?*

In consentanea, & dissentanea.

Argumenta *consentanea* disponuntur semper affirmando; *dissentanea* negando.

Quæst. IX. *Quænam dicuntur argumenta consentanea?*

Quæ cum [utraque vel] aliqua parte quæstionis consentiunt.

Per *aliquam partem quæstionis* intellige vel subjectum vel prædicatum conclusionis.

[Quæst. X. *Quænam dicuntur argumenta dissentanea?*

Quæ ab alterutra parte quæstionis dissentiunt; nam si dissentanea dissenserint ab utraque parte quæstionis, syllogismus constabit ex puris negantibus, & non valebit.

Quæst. XI. *Quotuplicia sunt ea* [*consentanea?*]

Duplicia; vel enim à nomine sumuntur, vel à re ipsa.

Duo sunt quæ cognosci ab homine possunt ac solent; 1. res ipsæ quæ cognoscuntur, 2. nomina & voces quibus cognoscuntur: ideoque duo sunt argumentorum genera, alia desumpta à rebus ipsis, alia à vocibus seu nominibus.

Quæst. XII. *Quot sunt loci argumentorum* [*consentaneorum*] *quæ sumuntur à nomine?*

Duo: etymologia sive notatio, & conjugata.

De *etymologia* & *conjugatis* vid. *cap.* 25. *lib.* 1.

Quæst. XIII. *Quot sunt loci argumentorum* [*consentaneorum*] *quæ sumuntur à re ipsa?*

Novem: definitio, genus, species, totum, pars, causa, causatum, subjectum, & adjunctum.

1. De loco *definitionis*, vid. cap. 1, 2, 3, 4. lib. 2.
2. De loco *generis & speciei*, vid. cap. 11. lib. 1.
3. De *toto* & *parte*, *causa* & *causato*, *subjecto* & *adjuncto*, vid. cap 14. lib. 1. usque ad 19. inclusivè.

Quæst.

Quæst. XIV. *Quot sunt loci argumentorum dissentaneorum?*

Quinque; disparata, contraria, relative opposita, privative opposita, & contradicentia.

De locis argumentorum *dissentaneorum*, vid. cap. 22. lib. 1.

Quæst. XV. *Quot sunt loci argumentorum comparatorum?*

Quinque etiam; majus, minus, par, simile, & dissimile.

De locis argumentorum *comparatorum*, vid. cap. 20. lib. 1.

Quæst. XVI. *Quotuplicia sunt testimonia?*

Duplicia; alia divina sunt, alia humana.

1. *Testimonia divina* sunt quæ proficiscuntur à Deo, sive sint revelationes divinæ, quæ prophetis aliisque olim fuerunt factæ, sive sint ejus oracula verbo suo expressa & relicta: *humana* sunt, quæ proficiscuntur ab homine verbi causa, Cicerone, Aristotele, &c. ac merentur tantum fidei quanta est integritas & veracitas testantis.

2. Testimonia divina sunt infallibilia, quia Deus nec fallere potest nec falli: at humana sunt fallibilia, quia homo & fallere potest & falli, & fallit & fallitur, nisi homo afflatur inspiratione Spiritûs S. quemadmodum factum fuit Prophetis, Evangelistis, Apostolis, aliisque viris Dei, qui ducti fuerunt Spiritu infallibilitatis, erant enim Θεόπνευστοι, ideoque eorum testimonium non pro humano, sed pro divino habetur. Ad testimonia humana refer authoritates philosophorum, leges jurisconsultorum, testimonia historicorum, &c.

CAPUT

CAPUT XVII. & XVIII.

Quæst. I. *Ostende aliquot exemplis, quomodo ex his locis argumenta peti debeant ad confirmanda aut refellenda problemata realia.*

CUM sic argumentor, *Non est de meo tuum, ergo non est mutuum*, argumentum petitum est ab etymologia; *Homo sum, humani nihil a me alienum puto*, à conjugatis; *Homo debuit contemplari cœlestia, ergo debuit creari erecto corpore*, à fine; *Fugit, ergo est in culpa*, à signo. *Justus servat leges, ergo injustus transgreditur leges*, à contrariis; *Deus dat vitam hominibus, ergo dabit victum*, à majori. Canones ad unumquemque locum pertinentes peti debent ex Institutionibus plenioribus.

Hisce duobus capitibus tantum exempla quædam proponuntur, quibus modus petendi argumenta ostenditur in syllogismo topico: hoc est vero uniuscujusque officium, advertere ex quo loco, sive à qua notione secunda, hoc aut illud argumentum tertium sit desumptum. Et hisce exemplis plura addere, aut ex majori Logica vel aliunde petere, unicuique est facile.

CAPUT XIX.

Quæst. I. *Hæc sunt exempla problematum absolutorum: declara porro, quomodo confirmentur aut refellantur problemata comparata?*

ARgumenta ad confirmanda aut refellenda problemata comparata, petuntur ex iisdem locis, canonibus absolutis (quatenus illud fieri potest,) in comparatos commutatis: Exempli gratia, sicuti probari potest, *Deum esse bonum, quia ejus opera sunt bona*, ducto argumento ab effectis; ita quoque concludi potest, *Deum infinitis modis meliorem esse creaturis, quia illius opera infinitis modis meliora sunt quam opera creaturarum.* Quia autem canones absoluti non semper possunt mutari in comparatos, necesse est singulis locis adjungi canones peculiares, quibus comparata problemata probanda sint: sed hi etiam ex Institutionibus plenioribus petendi sunt.

1. Quem-

1. Quemadmodum canon est absolutus, *Cui unum convenit conjugatorum, ei & alterum*, ut, *Cæsar consulit reipublicæ, ergo vere est consul*: ita comparate potest institui hic canon, *Cui unum comparatorum magis convenit, ei & magis convenit alterum*, ut, *Cæsar magis consuluit reipublicæ quam Pompeius, ergo & magis fuit consul quam Pompeius.*

2. Sic canon est absolutus, *Cui convenit finis, ei conveniunt & media*; *Cui convenit definitio, ei & definitum*: uterque mutari potest in canonem comparatum hoc modo, *Cui definitio magis convenit, ei & definitum magis convenit*; *Cui magis convenit finis, ei & magis conveniunt media.*

CAPUT XX.

Quæst. I. *Cum ergo satis dictum sit de syllogismo dialectico, pergamus ad demonstrationem. Quid est demonstratio?*

DEmonstratio est syllogismus scientiam pariens, [id est, efficiens.]

1. Syllogismus *apodicticus*, latine dicitur *demonstrativus*, & simpliciter *demonstratio.*

[2. *Scientiam*] Scientia interdum sumitur 1. latissime, pro quolibet assensu vero qui opponitur errori, quocunque demum modo is assensus acquiratur, sive sit firmus sive infirmus: sic scientia etiam opinionem includit, & omnem assensum verum præter errorem.

[3. 2. Strictus, pro assensu vero, sed firmo atque infallibili: sic opinionem excludit & fidem humanam; sed comprehendit nihilominus & fidem divinam, qua credimus Deo testanti; & cognitionem sensuum, scilicet cum sensus non errant, qua scimus parietem esse album, quia videmus; & cognitionem primorum principiorum, quæ sine probatione cognoscuntur, & ex sola vocabulorum intellectione intelliguntur: ita scimus, totum esse majus sua parte.

[4. 3. Strictissime, pro assensu conclusionum quæ probantur per causam vel effectum: sic fidem divinam, cognitionem sensuum, & scientiam principiorum excludit: & tali sensu sumitur in definitione demonstrationis, estque effectum, scilicet intelligibile, syllogismi apodictici.]

[5. *Scientia* latissime sumpta opponitur errori & significat judicium verum, sive sit necessarium, quod non potest esse falsum; sive sit contingens, quod potest esse falsum; sive illud accipiatur sensu, sive inductione, sive testimonio divino, sive humano, sive aliquo termino medio, desumpta ab aliqua affectione Logica quæ vere concludit. Strictius sumpta scientia significat judicium verum, non contingens, cui falsum subesse possit, sed necessarium, cui falsum subesse non potest: & hoc comparatur vel sensu, quando

versatur

versatur circa objectum proprium, & organum ac medium bene sunt disposita, & objectum est debite approximatum, ut sensus non erret; vel testimonio divino, quod erroris omnis & falsitatis est expers; vel inductione, quo modo comparatur judicium verum, firmum ac necessarium, circa prima principia; vel medio termino desumpto à causa vel affecto, vel simili affectione Logica, quæ concludit vere ac necessario. Strictissime sumpta scientia est judicium verum, certum, necessarium, sed cujus necessitas non derivatur à testimonio divino, nec à certitudine sensuum, nec comparatur inductione, sed deducitur à solo loco & affectione logica causæ vel efficientis vel finalis proximæ.]

[6. Judicium illatum per sensum verum est firmum, insa ibile ac necessarium, sub conditionibus tribus in textu positis, quia tum non errat; sed una ex illis tribus deficiente, errare potest, ac sæpenumero errat, inducitque judicium erroneum sensus in intellectum. Ex non debita approximatione subjecti, turris eminus visa ut rotunda, quæ in se tamen est quadrata, judicabitur ab intellectus judicio erroneo esse rotunda, propter fallaciam visus ortam ex nimia turris à visu distantia: sic ex indispositione organi, verbi causa, oculi in ictu rico, qui ob flavum colorem suffusum oculo omnia videt flava, unde oritur judicium erroneum intellectus omnia flava judicantis: sic per fallaciam visus ortam ex duplici medio, aere & aqua, visus remum sub aqua videbit ut fractum, qui tamen est rectus, unde oritur in intellectu judicium erroneum, quo judicat remum quoque esse fractum, qui non est fractus. Cum vero extra hos tres casus sensus dicitur non errare, judiciumque intellectus à sensu petitum dicitur infallibile ac necessarium, intelligendum hoc est de rerum existientiis, non essentiis: nemo enim tam ineptus aut fatuus est, ut non assentiatur infallibiliter ac necessario campanam sonare, cum eam sonantem audit, solem lucere, cum eum lucentem videt, ignem esse calidum, cum calorem tactu deprehendit; at vero quæ sit essentia soni, lucis, caloris, quæ eorum causæ pro lucentes ac constituentes, nullas sensuum dictare potest, quare nec ex ullo sensuum judicio ab intellectu judicium illud indubitatum de istarum qualitatum natura ferri potest, quod tamen in vulgari sit philosophia, ubi hoc falsissimum axioma Aristotelis tanquam fundamentum sternitur omnis hâc erroris, *Nihil est in intellectu, nisi prius fuerit in sensu.*]

Quæst. II. *Quomodo dividitur demonstratio?*

In demonstrationem τοῦ διότι sive *cur res sit*, & demonstrationem τοῦ ὅτι, sive *quod res sit*.

Quæst.

Quæst. III. *Quid est demonstratio* cur res sit?

Quæ non solum probat rem esse aut non esse, sed etiam reddit causam cur res sit aut non sit.

1. Demonstratio τοῦ διότι, seu cur res sit, non ita dicitur, quia concludat τὸ διότι, sive cur res sit, nam concludit tantum τὸ ὅτι, sive quod res sit, sic tamen ut in præmissis adferat τὸ διότι, sive causam cur res sit; sed demonstratio τοῦ ὅτι sic concludit quod res sit, ut, ne in præmissis quidem adferat causam cur res sit: ideoque discrimen hic est in eo situm, quod demonstratio cur res sit, in præmissis reddat causam cur res sit, at demonstratio quòd res sit ne in præmissis quidem id præstat. Sic in hac demonstratione τοῦ διότι, *Omne rationale est capax scientiæ. Omnis homo est rationale Ergo omnis homo est capax scientiæ*; concluditur tantum τὸ ὅτι, quod *homo sit scientiæ capax*; at in præmissis causa tamen affertur cur sit scientiæ capax, scilicet τὸ *rationale*, ideoque est demonstratio cur res sit: sed in hac demonstratione τοῦ ὅτι, *Quod illustrat aerem, hoc est ortum. Sol illustrat aerem. Ergo sol est ortus*; hic concluditur, quod *sol sit ortus*, ut tamen in præmissis non detur causa cur sol sit ortus, nam *illustratio aeris* effectum est orti solis, non causa, ergo demonstratio τοῦ διότι, sive cur res sit, sic dicitur, non ratione conclusionis, sed ratione præmissarum, quia τὸ διότι in conclusione reperiri nunquam potest: significat enim causam cur prædicatum conclusionis insit subjecto, ideoque est terminus medius; at medium non ingreditur conclusionem: ut nihil sit mirum, nunquam inferri aut concludi ipsum τὸ διότι, est enim non id quod, sed id quo concluditur. Verum in demonstratione τοῦ ὅτι, ibi nullo modo invenitur τοῦ διότι, neque est id quo concluditur, neque invenitur in præmissis; quod exempla docent.

Quæst. IV. *Quid est demonstratio* quod res sit?

Quæ solum probat rem esse aut non esse.

Quæst. V. *Unde petita est differentia harum specierum?*

A fine. Finis enim demonstrationis, est scientia: atqui scientia dividitur in scientiam τοῦ διότι, sive *cur res sit*, & in scientiam τοῦ ὅτι, sive *quod res sit*.

1. Quotuplex est scientia, totuplex est demonstratio, quia scientia est effectum demonstrationis; sed scientia est duplex: ergo & demonstratio. Scimus enim vel rem tantum esse, ut non cognoscamus causam; vel scimus rem esse: & simul novimus causam cur res sit.

2. Cognoscimus causam cur res sit in præmissis syllogismi demonstrativi τὸ διότι, & per causam proximam dispositam in præmissis cognoscimus in conclusione non posse rem, id est prædicatum conclusionis, aliter se habere: atque ideo dicitur conclusio necessaria, & totus syllogismus, necessarius, & ipsa scientia τὸ διότι, habitus sive assensus necessarius, aut judicium necessarium; & hæc optime definitur, *cognitio rei necessariæ per causam proximam.*

[3. Scientia τὸ διότι definitur *cognitio*, non quæ est apprehensio simplex, aut prima mentis operatio, sed quæ est operatio mentis complexa ac secunda, conjunctio vel divisio, affirmatio vel negatio, una voce, judicium sive assensus. Intelligitur autem cognitio hic non tam actualis, quæ nunc temporis per syllogismum demonstrativum τὸ διότι acquiritur, quàm habitualis, quæ acquisita & habita ab intellectu, eum reddit habilem atque idoneum ad intelligendum res illas circa quas scientia versatur. Porro, est *cognitio rei necessariæ*, id est, entis realis necessarii: ideoque ad scientiam hanc non sufficit necessitas præceptorum, definitionum, divisionum, canonum, sed requiritur necessitas ipsius objecti scibilis: nam necessitas præceptorum etiam in artibus exigitur ac prudentiis, quæ non sunt scientiæ propriæ dictæ, per demonstrationem τὸ διότι genitæ. Denique, *per causam proximam* intelligitur efficiens aut finis; non materia aut forma, nisi in quantum efficientis aut finis rationem habent.]

Quæst. VI. *Quid est scientia* cur res sit?

Est cognitio dianoetica, qua cognoscimus causam propter quam res est esse illius rei causam, nec posse eam rem aliter se habere.

1. *Cognitio dianoetica*] latine dicitur *discursiva*, quæ per διάνοιαν seu *discursum* ac syllogismum gignitur. Est enim duplex cognitio: una *noetica*, qua aliquid cognoscimus sine discursu, ut, *Totum esse majus sua parte*; alia *dianoetica*, qua aliquid cognoscimus per discursum, ut, *hominem esse risibilem quia est rationalis.* Scientia cur res sit est cognitio posterioris generis.

[2. Scientia noetica respicit secundam mentis operationem, quæ vulgo dicitur *conjunctio & divisio*, estque nihil aliud quam judicium simpliciter latum de alicujus enunciationis veritate, absque ulla probatione. Hæc scientia cognoscuntur principia prima, quorum veritas adeo clara est, ut, sola vocabulorum significatione accepta, absque ullo syllogismo assensum impetret; ut, *totum est majus sua parte.* Scientia dianoetica respicit tertiam mentis nostræ operationem, quæ dicitur *discursus*, estque judicium latum de veritate enunciationis, sed quæ per syllogismum est probata.]

3. *Nec*

3. *Nec posse eam, &c.*] Scientia ergo τοῦ διότι est firma atque infallibilis, & animum scientis reddit indubitatum, immobilem, atque immutabilem.

4. Ratio est, quia certitudo, firmitas & infallibilitas scientiæ nostræ gignitur ex certitudine, firmitate & infallibilitate ipsius rei, quæ certa, firma & infallibilis est, quando certam, firmam & infallibilem suæ existentiæ habet causam; & talem habet res quæ scitur per demonstrationem τοῦ διότι.

[5. Vulgo dicunt, & rectissime, philosophi, *certitudo mentis sequitur certitudinem entis*, &, *certitudo subjecti certitudinem objecti*: sensus hic est, quod mens humana, subjectum simul & causa intellectionis, tum demum certo rem intelligit ac necessario, quando ipsa res intelligenda certam ac necessariam causam habet cur sit: neque enim judicium certum ac necessarium ferri potest de re quæ nullam sui certam ac necessariam causam habet.

Quæst. VII. *In quo differt hæc scientia à scientia* quod res sit?

Scientia τοῦ ὅτι, sive *quod res sit*, non gignitur ex causa propter quam res est, hoc est, ex causa proxima; sed ex effectu, aut causa tantum remota.

1. Scientia τοῦ διότι differt à scientia τοῦ ὅτι ratione & qualitate termini medii, qui in scientia τοῦ διότι est causa proxima proprietatis demonstrandæ, id est, talis causa, qua posita, proprietas ponitur, & qua sublata, tollitur: sed vero medium in scientia τοῦ ὅτι aut non est causa, sed effectum, aut, si sit causa, est causa non proxima, sed remota.

CAPUT XXI.

Quæst. I. *Quot sunt partes [scilicet remotæ] demonstrationis* cur res sit?

TRes; subjectum, [scilicet inhæsionis] affectio demonstranda, & causa quæ est medium demonstrationis. Ex subjecto & affectione constat quæstio; ex causa cum subjecto & affectione seorsim combinata fiunt præmissæ, sive principia demonstrationis.

1. Eædem sunt partes demonstrationis cur res sit quæ sunt aliorum syllogismorum; sed nonnihil aliis veniunt nominibus: terminus minor hic vocatur *subjectum*, non tantum prædicationis, ut in omnibus syllogismis, sed & inhæsionis, quod hic est peculiare; terminus major vocatur *affectio* seu *proprietas demonstranda*; terminus medius vocatur *causa*: præmissæ, major & minor, vocantur peculiari nomine *principia*, scilicet complexa; conclusio hic vocatur plerumque *quæstio*.

[2. Cum subjectum aliud sit prædicati, aliud adjuncti, non hic in demonstratione τὸ διότι intelligitur subjectum prædicati, sed adjuncti tantum interni & quidem proprii, non communis, quod prædicatur de subjecto inhæsionis: reliqua subjecta, sive adjuncti externi, sive prædicati cujuscunque, quocunque modo etiam prædicentur de subjecto, sive prædicatione interna sive externa, sive essentiali sive accidentali, sive absoluta sive limitata, in omni alio syllogismo extra demonstrationem τὸ διότι locum habent.]

[3. Et hoc peculiare est huic demonstrationi cur res sit, quod terminus major, nulla alia possit esse affectio logica quam accidens proprium quarto modo, & terminus medius, nulla alia affectio esse possit quam causa proxima efficiens aut finalis; cum in aliis omnibus syllogismis extra hanc demonstrationem τὸ διότι, ab omnibus aliis quoque affectionibus logicis termini medii duci possint.]

Quæst. II. *Quænam sunt in his spectanda?*

Præcognitiones, & conditiones.

Præcognitiones] demonstrationem præcedunt; *conditiones* in ipsa demonstratione observandæ sunt.

Quæst. III. *Quænam sunt præcognoscenda?*

De tribus terminis, sive partibus [remotis] demonstrationis, præcognoscendum est, quid significet nomen [vel vocabulum:] de subjecto & causa etiam an sint: de principiis, quod vera sint: de affectione demonstratur, quod sit; deque conclusione, quod vera sit.

1. *De*

1. *De tribus terminis*] debet præcognoſci, *quid ſignificet* vox unaquæque, quia alioquin de ignotis diſputaretur.

[2. Quia voces veniunt loco rerum, & de rebus diſſeritur per voces; ſi ignorentur voces, reque de rebus diſſertatio & ratiocinatio inſtitui poteſt; ergo ante omnia præcognoſci debent *ſignificationes vocum*, quibus in demonſtratione τῷ ὅτι utimur, quia vero hæc inſtituitur de proprietate, quæ demonſtratur ineſſe ſubjecto, fruſtra foret demonſtrandi labor, niſi conſtet *ſubjectum* dari, & quia proprietas de ſubjecto exiſtente demonſtratur per cauſam, certum debet eſſe ante demonſtrationem, quod talis *cauſa ſit* in rerum natura, alioquin per eam proprietas de ſubjecto demonſtrari non poſſet, ſicuti vero ante demonſtrationem certum eſt, & ſupponitur dari tum ſubjectum tum cauſam, ita incertum eſt, ante illam an detur proprietas, ſeu *affectio* demonſtranda, quam dari certum eſt demum poſt demonſtrationem factam, porro, quia omnis ſyllogiſmus infert concluſionem tanquam ignotam ex præmiſſis tanquam notis, etiam in demonſtratione cur res ſit prius debent eſſe notæ præmiſſæ, quoad naturam & cognitionem diſtinctam, antequam ex illis demonſtrando inferatur *concluſio*, quæ demum nota evadit poſt demonſtrationem.]

3. *De ſubjecto & cauſa*] debet præcognoſci *an*, & quod ſint: quia fruſtra demonſtratio inſtitueretur, ſi non conſtet dari ſubjectum affectionis demonſtrandæ; & ſi non ſit certum dari cauſam, qua affectio de ſubjecto demonſtretur, nulla ſcientia gigni poſſet, ex cauſa enim incerta non poteſt gigni ſcientia certa.

[4. Cauſa hic dicitur incerta, quæ eſt incertæ exiſtentiæ: ideoque, ſi non certo exiſtat, aut ſaltem non conſtet certo exiſtere terminum medium, qui hic eſt cauſa, non poteſt inferri certa exiſtentia prædicati in concluſione, quod hic eſt proprietas: ideoque accurate debet inquiri, ſi id quod pro termino medio aſſumitur, certo exiſtat, & exiſtere conſtet: id autem eſt certum, & certo exiſtit, de quo, aut de cujus exiſtentia à nemine dubitari poteſt, qui quidem ſanæ eſt mentis. Quilibet autem ille ſit terminus medius tantæ certitudinis, ut de eo nullatenus dubitari queat, qui infert alicujus prædicati incerti, de quo dubitari poteſt an ſit aut exiſtat, exiſtentiam in concluſione, non tam facile eſt dictu, & res arduæ contemplationis.]

5. *De principiis*] debet præcognoſci, *quod ſint vera*, quia ex præmiſſis falſis non poteſt ſequi concluſio vera, niſi per accidens: at in demonſtratione τῷ διότι concluſio eſt vera, quia eſt ſyllogiſmus verus, non fallax.

CAPUT XXII.

Quæst. I. *Quotuplices conditiones spectandæ sunt in demonstratione?*

TRiplices: aliæ ad quæstionem pertinent, aliæ ad causam sive medium, aliæ denique ad præmissas sive principia.

1. Quia demonstratio τὸ διότι, sive cur res sit, longe nobilior est, & multis parasangis superior demonstratione τὸ ὅτι, sive quod res sit, hinc fit, ut in hoc & seq. capite, atque apud logicos & philosophos, passim demonstratio τὸ διότι simpliciter & absolute demonstratio dicatur κατ' ἐξοχήν, sive secundum excellentiam.

2. Conditiones respiciunt vel materiam remotam demonstrationis, vel materiam proximam: quæ respiciunt materiam remotam, spectant solum medium; quæ respiciunt materiam proximam, spectant vel conclusionem seu quæstionem, vel præmissas seu principia.

Quæst. II. *An non igitur omnis quæstio admittit demonstrationem?*

Non omnis; sed ea solum quæ vera est, & veritatis suæ certam causam habet, veluti, cum accidentia propria prædicantur de subjecto: ut, *Homo est capax scientiæ; Luna patitur eclipsin; Humor oculi crystallinus debet esse coloris expers.*

1. Quæstio demonstranda debet esse *vera*, quia demonstrata gignit scientiam, id est cognitionem veram; nihil autem est in effecto, nisi fuerit in causa, vel formaliter vel eminenter: debet insuper veritatis suæ habere *causam*, scilicet proximam; quia scientia, quam gignit, est cognitio rei per causam: debet habere causam proximam *certam* quia scientia est cognitio certa.

[2. Hoc axioma sic solet & debet distingui, scilicet vel formaliter vel eminenter; id est, nulla forma est in effecto, quin eadem fuerit in causa, aut aliquid in ea fuerit eminentius. Causa quæ effectum continet formaliter, vulgo dicitur univoca, quæ eminenter, æquivoca. Sic cum canis canem generat, quia eadem forma est canis geniti quæ est in gignente, dicitur canis gignens causa univoca, & effectum continere formaliter: sed & Deus cum cane concurrens ad generationem alterius canis, est causa canis geniti, sed æquivoca, continetque effectum eminenter; quia non ipsa forma canis geniti est in Deo, Deus enim caret anima sentiente, sed in Deo est virtus eminentissima, qua productionem animæ sentientis in cane attingit, quamvis ipse eam non habeat.]

3. *Accidentia*

3. *Accidentia propria*] quæ demonstrantur de subjecto suo vel emanant ab essentia subjecti, & sunt interna, ut, capacitas scientiæ ab homine; vel dependent à causa extra subjectum, & sunt externa, ut, eclipsis lunæ dependet ab interpositione terræ inter solem & lunam, utrumque illud accidens proprium de subjecto suo demonstrari potest.

[4. Proprium quarto modo à subjecto suo emanat, ita ut subjectum respectu ejus sit causa emanativa, ipsum sit effectum emanans. Sed causa emanativa alia est interna, alia externa. Interna dicitur, quæ in eodem est subjecto in quo est effectum ejus, proprietas emanans: ita anima rationalis, causa emanativa, & capacitas disciplinæ, effectum emanans, sunt in eodem subjecto, homine: externa dicitur quæ extra subjectum est in qua est effectum; sic interpositio terræ inter solem & lunam est extra lunam, subjectum, in qua tamen est ejus, tanquam causæ emanativæ, effectum emanans, eclipsis, seu defectus luminis.]

[5. Quæcunque enunciationes cadunt sub demonstrationem ac demonstrari possunt, eas oportet esse tales, ut earum in subjecto inveniatur causa, & quidem certa atque immutabilis, ob quam prædicatum ipsi insit. Hæ dicuntur mediatæ ex parte causæ; quibus opponuntur enunciationes immediatæ ex parte causæ, quæ nullam habent causam, nec in se, nec extra se cur prædicatum insit subjecto, præter Deum, qui est causa omnis veritatis: sic, cur homini insit rationalitas, quod significatur in hac enunciatione, *homo est rationalis*, nulla causa est aut in homine aut extra hominem, præter Dei voluntatem, qua ipsum esse rationalem voluit, & non irrationalem. Dicitur interdum enunciatio mediata & immediata ex parte subjecti: mediata, cum inter prædicatum & subjectum datur subjectum medium, cui prædicatum insit prius; ut cum dico, *homo sentit*, subjectum enim datur medium, *animal*: immediata est, cum inter prædicatum & subjectum nullum datur subjectum medium, aut prius, de quo dicatur prædicatum; ut cum dico, *animal sentit*, talis propositio immediata hic non intelligitur, sed intelligitur in prædicabilibus, qu. 5. cap. 10. lib. 1.

[6. Gravissima est quæstio, an voluntas Dei sit causa omnis veritatis; seu, ut alii proponunt, an aliquid antecedenter ad Dei voluntatem sit verum. Resp. si veritas intelligatur simplex, quæ est ipse ens transcendens, certum est quod Deus aut ejus voluntas, ut est causa omnis entitatis, ita quoque sit causa omnis veritatis, quæ entitatem sequitur: ita quod homo sit, & quod sit vere aut verus homo, à voluntate est Dei, qui sic voluit. Sed quæritur potissimum de veritate complexa, quæ est in enunciationibus, in quibus subjectum & prædicatum essentialiter de se invicem prædicantur: multi enim putant illas connexiones essentiales subjecti & prædicati esse veras, antequam voluerit Deus aut prædicatum aut subjectum existere; ut in hac enunciatione, *Rosa est flos*, *Homo est animal*. Sed cum veritas complexa fundetur in simplici, quæ voluntas Dei est causa veritatis simplicis, eadem ut videtur est causa veritatis complexæ.]

Quæst. III. *Quænam igitur respuunt demonstrationem?*

Primo propositiones [seu enunciationes] in quibus definitio aut partes definitionis prædicantur de definito, ut, *Homo* est *animal*, aut *rationalis: virtus est habitus*, &c. Ejusmodi enim propositiones immediatæ sunt, nullamque causam habent suæ veritatis, [in ipso scilicet subjecto.] Deinde, propositiones in quibus accidentia fortuita & mutabilia prædicantur de subjecto; ut, *Homo ambulat, ægrotat*, &c. hæc enim certam causam non habent.

[1. *Propositiones immediatæ*] hic dicuntur ex parte causæ, quæ in subjecto careat causa suæ veritatis, id est, in quibus prædicatum ita cohæret cum subjecto, ut cohæsionis media causa in subjecto nulla detur: sic in homine nulla causa est, cur sit *animal*, cur *rationalis*, quia utrumque est ipsa hominis essentia; ideoque non magis demonstrari potest, *hominem est animal*, aut *rationalem*, quam *hominem esse hominem*: & hanc ob causam dicuntur istæ propositiones immediatæ ex parte causæ.

2. *Accidentia fortuita & mutabilia*] dicuntur, quæ causam quidem habent cur in subjecto sint, sed instabilem, incertam & facile mutabilem: ideoque demonstrari non possunt, quia demonstratio τὸ διότι debet fieri per causam necessariam, certam & immutabilem, qua res non potest aliter se habere.

3. Hæc enunciatio, *homo ægrotat*, non potest demonstrari: non quia prædicatum, *ægrotare*, non habeat causam in subjecto eam enim habet in homine, intemperiem scilicet; sed quia non habet causam certam & immutabilem: nam intemperies in homine, causa ægrotandi, potest mutari in bonam temperiem.

Quæst. IV. *Quale debet esse medium demonstrationis?*

Causa proxima affectionis.

1. Per *affectionem* intelligitur in hoc loco prædicatum conclusionis.

2. Intelligitur *causa proxima* absolute non in suo genere, de qua utraque *in lib. 1. Synops. cap. 17. de causa efficiente.*

Quæst. V. *Quid vocas hoc loco causam proximam?*

Qua posita, effectum ponitur; & qua sublata, tollitur: atque adeo, in qua mens acquiescit.

Quæst.

Quæst. VI. *Ex quo genere causarum petitur hæc causa proxima?*

Ex genere causæ efficientis aut finalis.

Non petitur causa proxima ex genere causæ materialis aut formalis, quia prædicatum est accidens, & non habet materiam aut formam proprie dictam, est enim id quod demonstratur, proprietas, seu accidens proprium; atqui solum corpus habet materiam & formam physicam proprie dictam.

Quæst. VII. *Quomodo dividitur causa efficiens proxima, quæ medium demonstrationis esse potest?*

In internam, & externam.

Omnis causa efficiens est *externa* respectu causati, quatenus nulla causati essentiam ingreditur: alia tamen dicitur *interna* respectu subjecti, quia est in eodem subjecto in quo est effectum.

Quæst. VIII. *Quam vocas causam efficientem internam?*

Quæ est in eodem subjecto in quo est effectum.

Exemplum causæ efficientis internæ est rationalitas, quæ est in eodem subjecto aut homine, in quo est ejus effectum, capacitas disciplinæ.

Quæst. IX. *Quam vocas externam?*

Quæ non est in eodem subjecto in quo est effectum.

Exemplum causæ externæ efficientis est interpositio terræ inter solem & lunam respectu lunæ, quæ non est in ipsa luna, in qua est effectus ejus, scilicet defectus luminis.

Quæst. X. *Da exempla demonstrationis; ac primo exemplum à causa efficiente interna.*

Omne rationale est capax scientiæ: Omnis homo est rationalis: Ergo, omnis homo est capax scientiæ.

In hoc exemplo, *rationale* est medium, & quidem causa efficiens interna prædicati, scilicet capacitatis scientiæ, & forma subjecti, scilicet hominis.

Quæst.

Quæst. XI. *Da exemplum demonstrationis à causa efficiente externa.*

Quod à solis radiis, objecta terra, nequit illustrari, id patitur eclipsin luminis à sole accepti: Luna nequit à solis radiis, objecta terra, illustrari: Ergo, luna patitur eclipsin, &c.

In posito exemplo, medium, scilicet *à solis radiis, objecta terra, non posse illustrari*, est causa efficiens externa prædicati, scilicet *eclipseos*, in conclusione.

Quæst. XII. *Da exemplum à causa finali.*

Quod debet colores omnes admittere, id debet esse expers coloris: Humor oculi crystallinus debet omnes colores admittere: Ergo, humor oculi crystallinus debet esse expers coloris.

In hoc exemplo, medium, scilicet *colores omnes admittere*, est causa finalis prædicati, scilicet *esse expers coloris*, in conclusione.

Quæst. XIII. *An medium demonstrationis non debet esse causa proxima subjecti?*

Fit quidem aliquando, ut causa efficiens proxima prædicati sit etiam forma subjecti; verum illud neque necessarium est, neque perpetuum.

Quod fiat aliquando, potest exemplo primo constare: & sunt hujusmodi demonstrationes præstantiores cæteris.

CAPUT

CAPUT XXIII.

Quæst. I. *Quot sint conditiones spectandæ in præmissis sive principiis demonstrationis?*

Quinque. Requiritur enim primo, ut sint necessario vera, & quidem necessitate summa ac reciproca: deinde, ut sint immediata atque prima: tertio, ut sint causa conclusionis: quarto, ut sint notiora: quinto, ut sint priora conclusione.

1. Enunciationes sunt duorum generum: quædam habent manifestam veritatem, quædam non item. Conclusiones in syllogismo demonstrativo τὸ ὅτι veritatem manifestam non habent, atque ideo demonstrantur. Præmissæ seu principia veritatem manifestam habent vel ex terminis ipsis, vel ex demonstratione ante facta; nam enunciatio demonstrata habetur post demonstrationem pro certa: ideoque enunciationes demonstratæ sunt veræ & vera principia, respectu enunciationum aliarum adhuc demonstrandarum.

2. Prima conditio in præmissis requisita est, ut debeant esse *veræ* quia conclusio syllogismi apodictici est vera; sed conclusio vera ex præmissis falsis inferri nequit: secundo, debent esse *necessariæ necessitate summa*, quæ est necessitas tertii gradus.

I. Præmissæ debent esse *necessario veræ*, quia conclusio debet esse necessario vera: nam conclusio necessaria ex propositionibus non necessariis concludi nequit: porro, debent præmissæ esse necessariæ *necessitate summa*, id est κατ' ἄκρα ἀντίστροφα, sive reciproca, quia continent causam proximam absolute prædicati, quæ talis est ut cum effecto suo reciprocetur, quia ea posita effectus ponitur, & sublata tollitur.

II. Præmissæ debent esse *immediate* ex parte causæ, ut non habeant causam veritatis suæ intra se, per quam possint demonstrari; alioquin daretur progressus in infinitum: debent esse *primæ*, id est ut non detur veritas prior qua demonstrentur, scilicet in eodem syllogismo.

III. Præmissæ debent esse *causæ conclusionis*, non tantum cognoscendi, sed & essendi; hoc est, non tantum quibus conclusio cognoscatur, quod in omni syllogismo locum habet, sed per & propter quas sit prædicatum in subjecto conclusionis.

IV. Debent esse præmissæ *notiores* conclusione, non tantum quoad nos & cognitione confusa, quod in omni alio syllogismo requiritur, sed & natura ac cognitione distincta; de qua utraque vid. cap. 23. lib. 1.

V. Debent præmissæ esse *priores conclusione*; non tantum quoad nos, quod in omni alio syllogismo locum tenet, sed & natura, tanquam causæ conclusionis: quod hic peculiare est, & in aliis syllogismis locum non habet.

3. Omnis enunciatio, sive fuerit præmissa aliqua demonstrationis τὸ ὅτι sive non, habet causam suæ veritatis extra se, scilicet Dei voluntatem, quæ est causa omnis & entitatis & veritatis; præter

præter quam enunciationes quædam causam veritatis habent intra se, hoc est, in ipso subjecto enunciationis causa aliqua est, ob quam prædicatum dicatur de subjecto & ei inesse. Sic, verbi causa, hæc enunciatio, *homo est risibilis* causam suæ veritatis habet extra hominem, scilicet Dei voluntatem, quia voluit hominem esse risibilem; & intra hominem, scilicet animam rationalem, quæ in homine est causa risibilitatis: ideoque hæc enunciatio est mediata ex parte causæ licet sit immediata ex parte subjecti. Sed hæc enunciatio *homo est rationalis*, causam quidem veritatis suæ extra se habet, puta voluntatem Dei qua decrevit ut homo esset rationalis, & non irrationalis; sed intra se veritatis suæ causam habet nullam, neque enim in homine causa est ulla cur sit rationalis; ideoque hæc enunciatio est immediata ex parte causæ, & tales debent esse præmissæ in demonstratione τῦ διότι.]

[4. Nihil impedit, quo minus præmissæ alicujus demonstrationis singularis demonstrentur aliæ, id est, in aliis syllogismis demonstrativis: sed fieri nunquam debet, nec potest, ut in eadem demonstratione præmissæ demonstrentur conclusionem ipsæ demonstrantem.

5. In omni syllogismo & semper præmissæ sunt causæ cognoscendi conclusionem; eam ita, ut ignota, intertur ex præmissis, tanquam notis: sed hoc peculiare est in syllogismo demonstrativo τῦ διότι, ut præmissæ inveniant causæ essendi conclusionis, hoc est, ut in præmissis contineatur causa cur prædicatum insit subjecto conclusionis.

6. Ex hisce quinque conditionibus, duæ priores tantum requiruntur in majore, non necessario in minore, demonstrationis τῦ διότι: tres posteriores & in majore & in minore exiguntur. Veritas horum omnium examinetur in exemplis cap. præced.

Quæst. II. *Quænam proprietas sequitur ex his conditionibus?*

Ut principia sint οἰκεῖα τῦ δεικνυμένε, id est, *propria ei rei quæ demonstratur*, **hoc est, neque heterogenea, neque communia.**

Quæst. III. *Quænam dicuntur principia heterogenea?*

Quæ ex alia scientia petita sunt; veluti: si quis, ad probandas quæstiones physicas, adhibeat principia mathematica.

[1. *Principia heterogenea* latine dicuntur quæ sunt alterius generis, qualia adhiberi non debent in demonstrando; id est, quod vulgo dici solet, *non debet à demonstrante fieri transitus de genere in genus*; id est, in demonstranda conclusione physica, non debent adhiberi principia, aut media in principiis, petita ex matheſi, aut vice versa: sic in conclusionibus demonstrandis philosophicis, non debent adhiberi principia vel media petita ex theologia, aut vice versa; quando scilicet quæstiones philosophicæ demonstrandæ constent ex utro-

utroque termino philosophico, quæ quæstiones vocantur puræ: sed, si quæstiones fuerint mixtæ, ut alter terminus sit peritus ex philosophia, alter ex theologia, ex utraque possunt peti termini medii; ut in hac quæstione, *an Corpus Christi sit ubique?* Ideoque distinguendum hic est accurate inter quæstiones seu conclusiones puras & mixtas: puræ vocantur, quarum terminus uterque, & subjectum & prædicatum, desumitur ex eadem disciplina, atque tum ex eadem peti debet terminus medius; mixtæ conclusiones seu quæstiones sunt, quarum terminus alter ex una disciplina desumitur, alter ex alia, ac tum medius terminus desumi potest ex hac vel illa disciplina, ut tamen non committatur transitus de genere in genus: sic, quando alicujus quæstionis terminus unus est philosophicus, alter theologicus, licet terminum medium petere vel ex philosophia, vel ex theologia.]

[2. Nec hoc vitium committitur, quando in demonstrationibus scientiæ subalternatæ principia scientiæ subalternantis adhibentur; ut, si in demonstrationibus musicis adhibeantur principia arithmetica; quia musica & arithmetica non sunt diversi generis scientiæ, ideoque neque principia arithmeticæ sunt heterogenea musicæ. Vocantur vero scientiæ subalternatæ, non quæ sua principia & objectum accipiunt à superiori scientia (sic enim physica & mathematica subalternarentur metaphysicæ, quod tamen falsum est;) sed quæ eadem habent principia idemque objectum cum scientia superiori, atque in eo tantum differunt, quod scientia subalternata ad objectum materiale scientiæ subalternantis adjiciat accidens sensibile, manente tamen eodem objecto formali: sic, verbi causa, objectum materiale arithmeticæ est numerus, formale, qua numerus: musicæ objectum materiale etiam est numerus, sed sonorus, id est, spectatus cum accidente sensibili sono; formale objectum est qua numerus, non qua sonorus, nam musica docet numerare, addere, subtrahere, multiplicare, dividere sonos & tonos.]

[3. Subalternatio locum tantum habet in disciplinis mathematicis, quarum aliæ sunt puræ, aliæ mixtæ: puræ sunt arithmetica & geometria, quia objectum suum, numerum & magnitudinem abstrahunt ab omni materia sensibili, & pure ac nude considerant; mixtæ dicuntur quæ objectum suum spectant in materia sensibili, ut sunt astronomia, optica, musica, &c. quia considerant quidem numerum & magnitudinem, sed vel in cœlis, vel in colore & luce, vel in sonis & tonis. Hoc autem notandum est accurate, esse subalternationem inter scientias superiores & inferiores; sed illas quæ habent idem objectum formale, eademque principia, & quæ hoc solo differunt, quod objectum materiale scientiæ inferioris & subalternatæ spectet aliquod accidens aut corpus in sensus incurrens, quod non spectatur à scientia superiori & subalternante: sic arithmetica numerum, geometria magnitudinem considerat, extra omnem materiam sensibilem, seu corpus fuerit seu accidens in sensus incurrens. Atque hinc clarum est, physicam & mathematicam non subalternari metaphysicæ, quia alia habent principia, alia objecta & di-

distincta à principiis & objectis metaphysicæ: nam quæ sunt principia in Physica & mathematica, ea sunt conclusiones illatæ in metaphysicis; & objectum physicæ est corpus naturale, mathematicæ quantitas, tum discreta tum continua; objectum vero metaphysicæ est ens reale, quod distinguitur à corpore naturali, & à quantitate. Sed scientia subalternans ac superior, & subalternata atque inferior, nec objectis nec principiis distinguuntur: ideoque principia scientiæ subalternantis, cum adhibentur in demonstrationibus scientiæ subalternatæ, non sunt ibi heterogenea, sed homogenea, neque in demonstrando committitur transitus de genere in genus.]

4. Nota, objectum materiale dici rem consideratam, quæ potest esse pluribus disciplinis communis; ita agitur de homine in physica, ethica, medicina, theologia: objectum formale dicitur modus considerandi, qui est uni disciplinæ proprius (nisi una alteri subalternetur, ut hic musica arithmeticæ) sic alio modo hominem explicat physica, alio ethica, alio medicina, alio theologia.

Quæst. IV. *Quænam vocas communia?*

Quæ pluribus scientiis accommodari possunt.

1. *Principia communia* non debent adhiberi in demonstratione τῶν ὅτι, quia non generant scientiam, quæ est demonstrationis effectum ac finis. Exhibentur vero illa in metaphysica, quæ est disciplina generalis.

[2. Metaphysica est generalissima omnium scientiarum, quod patet ex ejus objecto, scilicet ente reali: ideoque habet etiam principia generalissima, & quæ inservire possunt demonstrationibus, non tantum metaphysicis, sed & physicis & mathematicis; qualia sunt, *Idem non potest esse & non esse*: hæc vero distinctam perfectamque scientiam non generant, quæ tamen in demonstrando spectatur atque exspectatur.]

Quæst. V. *Quomodo dividuntur principia?*

In axiomata & theses.

Quæst. VI. *Quid est axioma?*

Axioma est principium cujus veritas, cognita significatione vocabulorum, à nemine potest ignorari; ut, *Nihil potest simul esse & non esse: Totum est majus sua parte.*

[1. Quæritur an hæc enunciatio, *Deus est*, sit axioma, id est, an ex sola significatione vocabuli *(Deus)* cognoscatur quid sit: metaphysici sic efferunt, an Deum esse, per se sit notum. Resp. nonnulli negant, ut Timplerus, Burgersdicius, &c. in Metaphysica: nos affirmamus; quia si quis explicet quid voce hac

hac *Deus* significetur, scilicet ens, quo nihil melius aut perfectius vel esse aut cogitari potest, is statim deprehendet in se hunc assensum, quo intelligat ac judicet tale ens dari: nam si possit non dari, aut non esse, erit imperfectum, nam, non esse imperfectius est quam esse, ideoque si vox *Deus* omnem significet perfectionem, etiam significat existentiam, quia hæc omnium perfectionum est maxima; ergo non potest cognosci quid significet vox Dei, nisi simul cognoscatur illum esse: itaque hæc enunciatio, *Deus est*, est axioma.]

2. Sic cognito, quid sit *totum*, quid *pars*, quid sit *esse majus*, cognoscitur totum esse majus sua parte.

3. Axiomata sunt principia communia, & eorum veritas hominum omnium animis dicitur esse innata, quia ut quis assensum illis præbeat, nulla requiritur aut demonstratio aut ratiocinatio, sed is impetratur ex sola vocum significatione accepta. Suntque hæc principia vel theoretica, vel practica: theoretica inveniuntur in Metaphysica, suntque communia Physicæ & Mathematicæ; practica inveniuntur in Ethica, suntq; communia Politicæ & Oeconomicæ.

Quæst. VII. *Quid est thesis?*

Thesis est principium, cujus veritas non ex sola vocabulorum significatione cognita, sed ex sensuum judicio, aut qualicunque declaratione innotescit.

1. *Thesis*] sumitur 1. pro quæstione ad disputandum proposita: sic vocamus theses physicas, logicas, &c. 2. sumitur pro quæstione infinita in rhetoricis; 3. pro specie enunciationis immediatæ ex parte causæ, ut hic, cujus causa nulla datur intra ipsum subjectum, qua possit demonstrari ejus veritas.

2. *Qualicunque declaratione*] scilicet præceptoris aut professoris.

3. Thesis significat propositionem immediatam ex parte causæ, non ex parte subjecti: si enim thesis significaret propositionem mediatam ex parte causæ, hoc est, ulterius demonstrabilem per causam, daretur progressus in infinitum; à quo natura abhorret, & qui omnem tollit scientiam.

Quæst. VIII. *Quotuplex est thesis?*

Duplex; definitio, & hypothesis.

Thesis] sive sit *hypothesis*, sive sit *definitio*, significat principium proprium huic aut illi scientiæ: sic Mathematica & Physica sua habent principia propria, tum hypotheses, tum definitiones nominales.

Quæst.

Quæst. IX. *Quid est definitio?*

Definitio est, qua quid res sit enunciamus; ut, *Corpus naturale est quod constat materia & forma. Natura est principium & causa motus & quietis ejus in quo est primo, per se, & non per accidens.*

Hic intelligimus definitionem præsertim nominalem, & interdum quoque realem.

Quæst. X. *Quid est hypothesis?*

Qua, an res sit aut non sit, enunciamus; ut, *Esse animam, Deum, &c. A quolibet puncto ad quodlibet punctum duci posse rectam lineam.*

Cum demonstratio conformata est ad conditiones hoc & præcedente capite explicatas, non solum probat rem esse aut non esse, sed præterea explicat causam cur ita sit.

CAPUT XXIV.

Quæst. I. *Quotuplex est demonstratio τὸ ὅτι, sive* quod res sit?

Duplex; alia enim est ab effectu, alia à causa remota.

[1. Cum demonstratio & scientia dividuntur in demonstrationem & scientiam τὸ ὅτι ac τὸ διότι, ea est divisio non generis univoci in species æquales, sed vel æquivoci vel analogi in species inæquales, hoc est nomen scientiæ & demonstrationis magis convenit ac priori jure scientiæ & demonstrationi τὸ διότι quam τὸ ὅτι: quia scientia & demonstratio τὸ διότι longe est perfectior scientia & demonstratione τὸ ὅτι: quemadmodum ens quoque dividitur in Deum & creaturam, substantiam & accidens, tanquam in species inæquales, quia Deus potiori jure & magis ac perfectius est ens quam creatura, substantia quam accidens.]

[2. Proprie loquendo, nullum est genus æquivocum; quia æquivocum dicitur philosophis & Aristoteli id quod pluribus convenit & tribuitur secundum nomen tantum, at genus significat non tantum communionem nominis, sed naturæ: verum hæc communio naturæ generi tæ in speciebus, non est unius modi, sed vel æqualis, vel inæqualis. Æqualis dicitur communio generis, cum omnes species ex æquo participant naturam ac nomen generis, sic ut nulla species alteri id acceptum referat; quemadmodum homo non debet bestiæ quod sit animal, nec bestia homini, ideoque animal est genus univocum: Inæqualis dicitur communio generis, cum species una alteri debet quod nomen ac naturam generis participet, & tale genus vocant analogum scholastici; ita

ta accidens debet ſubſtantiæ, creatura Deo, quod nomen ac naturam entis, id eſt eſſentiam & exiſtentiam participent: nam quod accidens ſit ens debet ſubſtantiæ, quod creatura ſit ens debet Deo. Atque tale genus eſt demonſtratio reſpectu demonſtrationis τῦ ὅτι & διότι, nam demonſtratio τῦ ὅτι in tantum eſt demonſtratio in quantum participat conditiones aliquas demonſtrationis τῦ διότι.

3. Scientia & demonſtratio τῦ ὅτι eſt imperfectior quam τῦ διότι, quia in illa intellectus hominis non quieſcit, in hac quam maxime.

Quæſt. II. *Quam vocas demonſtrationem ab effectu?*

Quæ ex effectu ſenſibili cauſam colligit; veluti ſi quis ſolito ſerius experrectus videt parietes cubilis ſui à ſole colluſtrari, indeque colligit ſolem jamdudum ortum eſſe.

1. Exemplum demonſtrationis ab effectu in forma ſyllogiſtica eſt hoc, *Quod illuſtrat parietes cubilis, illud eſt ortum: Sol illuſtrat parietes cubilis: Ergo, ſol eſt ortus.*

[2. Demonſtratio ab effectu iiſdem conſtat terminis quibus demonſtratio τῦ διότι: ſed hoc diſcriminis eſt, quod in demonſtratione ab effectu, id quod demonſtratur ſit ipſa cauſa, quæ hic eſt prædicatum concluſionis, terminus medius ſit effectus, per quem cauſam exiſtere concluditur; at in demonſtratione τῦ διότι terminus medius eſt cauſa, & id quod demonſtratur, prædicatum quæſtionis eſt effectus; ut ſi dixero, *Quod eſt ortum illuſtrat parietes cubilis: Sol eſt ortus: Ergo ſol illuſtrat parietes cubilis.*]

[3. Non male dixit Ramus, omnia argumenta eſſe relata, id eſt, prædita mutua argumentandi, id eſt probandi, vi; ſic cauſa arguit, id eſt probat, effectum, & effectum cauſam: atque ideo dicitur hîc demonſtratio ab effectu conſtare iiſdem terminis quibus conſtat demonſtratio τῦ διότι, in qua terminus medius eſt cauſa proxima, ſed cauſa proxima, & effectum ſemper ſe mutuo arguunt, probant, imo ponunt ac tollunt.]

Quæſt. III. *Quam vocas demonſtrationem à cauſa remota?*

Quæ ex cauſa remota colligit effectum non eſſe; ut, *Plantæ non habent animam ſenſitivam: ergo non reſpirant.*

1. Exemplum ſyllogiſticum demonſtrationis à cauſa remota eſt, *Quicquid reſpirat habet animam ſenſitivam: Plantæ non habent animam ſenſitivam: Ergo, non reſpirant.* Anima ſenſitiva eſt cauſa remota adſpirationis, nam pulmones ſunt cauſa proxima.

Quæst. IV. *Quid est discriminis inter has duas species demonstrationis?*

Demonstratio ab effectu potest esse affirmata & negata, quia effectum cum causa proxima reciprocatur; eoque posito, causa proxima ponitur, & sublato, tollitur: at demonstratio à causa remota debet semper esse negata. Cum enim causa remota latior est effecto, fit quidem ut ea sublata effectum tollatur; sed non ut ea posita effectum etiam ponatur. Recte colligitur, *Plantæ non respirare, quia non habent animam sensitivam*: sed non sequitur, *Omnia animalia respirare, quia habent animam sensitivam.*

1. Bene dicit author, cum causa remota est latior effecto, demonstrationes à causa remota tantùm esse negatas: sed vero, si causa remota sit adæquata effectui & æque lata, demonstratio à causa remota etiam potest fieri affirmate, ut in hoc exemplo; *Quæ habent animam vegetantem nutriuntur: Plantæ habent animam vegetantem: Ergo nutriuntur.* Hic terminus medius est causa remota; nam causa proxima nutritionis est facultas nutrix: & tamen procedit syllogismus in prima figura affirmata, quia causa hæc remota adæquatur effectui, & cum eo reciprocatur; nam quicquid nutritur habet animam vegetantem, & contra.

2. Ut tum etiam ex causa remota colligatur effectum esse: nam, (quod à paucis notatur, & tamen verum est) causa remota vel latius patet effecto, nec cum illo reciprocatur, & tum ex illa infertur effectum non esse; vel æque late patet quàm effectus, & cum eo reciprocatur, & tum ex illa infertur quoque effectum esse.

CAPUT

CAPUT XXV.

Quæst. I. *Atque hæc de syllogismo dialectico & apodictico. Quid est syllogismus sophisticus sive fallax?*

QUI ficta specia [vel apparentia] syllogismi dialectici errorem gignit.

1. Quia *syllogismus sophisticus* propositionibus constat falsis, etiam falsitatem gignit atque errorem; nam *qualis causa, talis effectus*: ergo syllogismus fallax non potest gignere nisi assensum falsum, qui uno nomine vocatur *error*: nam quando accidit ut ex præmissis falsis inferatur conclusio vera, ut, *Omnis lapis est vivens: omnis homo est lapis: ergo, omnis homo est vivens*: fit hoc per accidens. Ita hæc vera sunt; Ex veris non sequitur nisi verum, nunquam falsum, nec per se nec per accidens: Ex falsis non sequitur nisi falsum, scilicet per se; nam ex falsis etiam verum sequi potest per accidens.

[2. Cum in syllogismo spectatur & materia & forma, potest contingere fallacia vel ex parte materiæ, vel ex parte formæ; hinc syllogismus sophisticus duplici modo est vitiosus: nam interdum forma non valet, quod judicandum est ex legibus, tum generalibus tum specialibus syllogismi; interdum vitium est in ipsa materia, ut syllogismi forma sit bona, & tali casu ex præmissis in materia falsis potest inferri conclusio vera, & quoad formam bona, cujus exemplum est in commentario: at nunquam fieri potest ut ex præmissis quoad materiam & formam bonis ac veris, inferatur conclusio falsa.]

[3. *Syllogismus sophisticus* una voce vocatur *sophisma*, latine *fallacia*: quod utrumque vocabulum nunc quidem in malam sumitur partem, pro syllogismo deceptorio; antiquitus tamen honoratum fuit. Dicitur vero syllogismus sophisticus, qui videtur esse bonus, cum tamen non sit; ideoque audientem vel legentem abducit in errorem: qua voce significatur judicium vel assensus mentis, quo judicat conclusionem aliquam esse veram quæ est falsa, aut falsam quæ est vera; quod judicium aut qui assensus non potest gigni nisi per propositiones falsas, vel ambas, vel alterutram; nunquam enim conclusio falsa est, aut judicium de conclusione falsum, nisi aliqua sit fallitas in præmissis vel præmissa. Atque hic spectatur falsitas non ratione formæ, quæ ex legibus de syllogismo bono facile deprehendi potest, sed ratione materiæ, id est propositionum. Falsitas vero judicii sive error circa conclusionem syllogismi sophistici, alio vocatur nomine ignorantia pravæ dispositionis, quia per eam intellectus hominis prave disponitur, ut non possit facile assentiri conclusioni veræ: atque hæc est, cum alicujus conclusionis termini intelliguntur bene, sed sub illis terminis bene intellectis erroneum formatur judicium de ipsius conclusionis veritate aut terminorum connexione. Ignorantia pure negationis dicitur, cum ipsi ignorantur termini sub quibus enun-

ciatio aliqua proponitur circa quam erratur. Error nòrat judicium sive assensum falsum, & opponitur judicio seu assensui vero. Gignitur vero error vel per, vel sine syllogismo. Sine syllogismo, quando quis judicat aliquam enunciationem veram quæ est falsa, & contra; quia ipsos terminos simplices ignorat, vel quia à sensibus suis deceptus est, vel quia ei impositum est per testimonium fallax alterius: qui error est inculpabilis & invincibilis, si nec in se nec in causis suis præveniri aut præcaveri potuit. Sed alius est error qui per syllogismum gignitur fallacem & fallentem, quando quis assentitur conclusioni falso, ut judicet esse falsam quæ est vera, & vice versa, propter vitium aliquod syllogismi quod non deprehendit, & quod deprehendere debuit & potuit: culpabilis est hic error & vincibilis, estque effectum syllogismi sophistici.]

[4. Error dicitur invincibilis in se, quando in ipso errante nihil est quo vinci aut superari potuit; in causis suis, quando nulla datur aut intra aut extra errantem causa, per quam vinci aut superari potuit. Totidem modis dicitur error vincibilis. Ita vincibilis est error, quando aliquis ignorat hoc quod agit, per ignorantiam quam sibi ebrietate acquisivit; nam causa ignorantiæ, ipsa scilicet ebrietas, præcaveri potest ab eo qui sibi ignorantiam tali modo acquisivit; ideoque dicitur hic error vincibilis in sua causa.]

[5. Ramus, & qui eum sequuntur, nulla tradunt præcepta de syllogismo sophistico, quia putant sufficere præcepta de syllogismo vero, & illis judicari posse fallaciam syllogismi sophistici. Attamen ita potest syllogismus sophisticus institui, ut ejus fraus ex regulis & legibus veri syllogismi detegi nequeat; quare non videtur inconsultum quædam tradere præcepta de syllogismo fallaci, ejusque fallaciis detegendis. An autem doctrina de syllogismo sophistico sit essentialis pars Logicæ, an accidentalis, quæstio est absque grandi necessitate invecta: neque enim multum refert utrumvis dixeris; id sufficit, quod non semper fucus syllogismi sophistici ex regulis & legibus syllogismi veri dijudicari aut cognosci possit.]

6. Aliquis fortasse judicet, non esse opus præceptis novis de syllogismo sophistico, quia eorum falsitas dijudicari possit ex præceptis de syllogismo vero. Respondeo, id fortasse fieri posse, cum sophisma directe impingit in leges syllogismi boni: verum quid si ementiatur speciem syllogismi boni, atque ita sit institutus, ut omni modo appareat bonus? certe tum opus est novis regulis, neque ex legibus syllogismi recti ejus falsitas facile deprehendetur; quemadmodum aurum chymicum ita ementitur speciem veri auri, ut discerni ab eo nequeat, nisi regulis peculiaribus.

[7. Notandum est, syllogismum sophisticum ementiri tantum syllogismi dialectici speciem, non apodictici, quia veritas conclusionis in syllogismo apodictico tam est clara & evidens, ut non possit ita latere sub larva & apparentia syllogismi fallacis, quin falsitas statim appareat: at quia nec tam evidens nec tam firma est veritas conclusionis in syllogismo dialectico, quin ponit ei subesse falsum, hinc fit ut facile aliquis fucus & impostura latere possit in conclusione syllogismi topici.]

CAPUT

CAPUT XXVI.

Quæst. I. *Quotuplicia sunt sophismata?*

Duplicia; alia sunt in voce, alia in re.

[1. Cum falsitas omnis sit infinita, male videntur syllogismi falsi reduci ad duas classes; ut alii sint in voce, alii in re. Respondeo, licet falsitas sit infinita, hoc est, infinitis modis abiri possit à vero, veritas enim simplex est & indivisibilis, à qua quicquid recedit falsum est, attamen regulæ certæ & præcepta definita tradi possunt, quibus deprehendantur varii modi in syllogismis falsis recedendi à vero; & hæ regulæ ad duas classes revocari possunt, ut quædam ostendant falsitatem syllogismorum ortam ex *voce*, aliæ ortam ex *re*.]

[2. Si dicendum est id quod res est, tot sunt genera sophismatum, quot sunt classes verorum syllogismorum: nam quot modis dicitur unum oppositorum, tot modis dicitur & alterum; sed sophisma & syllogismus verus sunt opposita; ergo quot modis dicitur syllogismus verus, tot modis quoque dicuntur sophismata; Atqui loci syllogismorum verorum plures sunt quam sex in *voce*, & septem in *re*: Ergo & loci sophismatum sunt plures quam sex in *voce*, & septem in *re*. Quid enim? ut syllogismus verus desumere potest terminum suum medium à genere, specie, toto, causa, subjecto, opposito, & ab omnibus affectionibus logicis, sive notionibus secundis; ita ab iis quoque omnibus desumi potest terminus medius, fallax in sophismate: ut cum sumitur pro termino medio genus, quod non est genus, subjectum, quod non est subjectum, oppositum, quod non est oppositum, &c.

Quæst. II. *Quot sunt loci sophismatum eorum quæ in voce consistunt?*

Sex; homonymia, amphibolia, compositio, divisio, prosodia sive accentus, & figura dictionis.

Multa ex his sophismatibus cognosci possunt ex Grammatica aut Rhetorica, &c. multa deprehendi judicio naturali, absque arte aut præceptis Logicæ.

Quæst. III. *Quid est sophisma homonymiæ?*

Quod oritur ex unius dictionis ambiguitate ut, *Finis rei est illius perfectio: Mors est finis vitæ: Ergo, mors est vitæ perfectio.*

Quæst. IV. *Quid est discriminis inter has duas species demonstrationis?*

Demonstratio ab effectu potest esse affirmata & negata, quia effectum cum causa proxima reciprocatur; eoque posito, causa proxima ponitur, & sublato, tollitur: at demonstratio à causa remota debet semper esse negata. Cum enim causa remota latior est effecto, fit quidem ut ea sublata effectum tollatur; sed non ut ea posita effectum etiam ponatur. Recte colligitur, *Plantæ non respirare, quia non habent animam sensitivam:* sed non sequitur, *Omnia animalia respirare, quia habent animam sensitivam.*

1. Bene dicit author, cum causa remota est latior effecto, demonstrationes à causa remota tantùm esse negatas: sed vero, si causa remota sit adæquata effectui & æque lata, demonstratio à causa remota etiam potest fieri affirmate, ut in hoc exemplo; *Quæ habent animam vegetantem nutriuntur: Plantæ habent animam vegetantem: Ergo nutriuntur.* Hic terminus medius est causa remota; nam causa proxima nutritionis est facultas nutrix: & tamen procedit syllogismus in prima figura affirmata, quia causa hæc remota adæquatur effectui, & cum eo reciprocatur; nam quicquid nutritur habet animam vegetantem, & contra.

2. Ut tum etiam ex causa remota colligatur effectum esse: nam, (quod à paucis notatur, & tamen verum est) causa remota vel latius patet effecto, nec cum illo reciprocatur, & tum ex illa infertur effectum non esse; vel æque late patet quàm effectus, & cum eo reciprocatur, & tum ex illa infertur quoque effectum esse.

CAPUT

CAPUT XXV.

Quæst. I. *Atque hæc de syllogismo dialectico & apodictico. Quid est syllogismus sophisticus sive fallax?*

QUI ficta specia [vel apparentia] syllogismi dialectici errorem gignit.

1. Quia *syllogismus sophisticus* propositionibus constat falsis, etiam falsitatem gignit atque errorem; nam *qualis causa, talis effectus*: ergo syllogismus fallax non potest gignere nisi assensum falsum, qui uno nomine vocatur *error*: nam quando accidit ut ex præmissis falsis inferatur conclusio vera, ut, *Omnis lapis est vivens: omnis homo est lapis: ergo, omnis homo est vivens*: fit hoc per accidens. Ita hæc vera sunt; Ex veris non sequitur nisi verum, nunquam falsum, nec per se nec per accidens: Ex falsis non sequitur nisi falsum, scilicet per se; nam ex falsis etiam verum sequi potest per accidens.

[2. Cum in syllogismo spectetur & materia & forma, potest contingere fallacia vel ex parte materiæ, vel ex parte formæ; hinc syllogismus sophisticus duplici modo est vitiosus: nam interdum forma non valet, quod judicandum est ex legibus, tum generalibus tum specialibus syllogismi; interdum vitium est in ipsa materia, ut syllogismi forma sit bona, & tali casu ex præmissis in materia falsis potest inferri conclusio vera, & quoad formam bona, cujus exemplum est in commentario: at nunquam fieri potest ut ex præmissis quoad materiam & formam bonis ac veris, inferatur conclusio falsa.]

[3. *Syllogismus sophisticus* una voce vocatur *sophisma*, latine *fallacia*: quod utrumque vocabulum nunc quidem in malam sumitur partem, pro syllogismo deceptorio; antiquitus tamen honoratum fuit. Dicitur vero syllogismus sophisticus, qui videtur esse bonus, cum tamen non sit; ideoque audientem vel legentem abducit in errorem: qua voce significatur judicium vel assensus mentis, quo judicat conclusionem aliquam esse veram quæ est falsa, aut falsam quæ est vera; quod judicium aut qui assensus non potest gigni nisi per propositiones falsas, vel ambas, vel alterutram; nunquam enim conclusio falsa est, aut judicium de conclusione falsum, nisi aliqua sit falsitas in præmissis vel præmissa. Atque hic spectatur falsitas non ratione formæ, quæ ex legibus de syllogismo bono facile deprehendi potest, sed ratione materiæ, id est propositionum. Falsitas vero judicii sive error circa conclusionem syllogismi sophistici, alio vocatur nomine ignorantia pravæ dispositionis, quia per eam intellectus nominis prave disponitur, ut non possit facile assentiri conclusioni veræ: atque hæc est, cum alicujus conclusionis termini intelliguntur bene, sed sub illis terminis bene intellectis erroneum formatur judicium de ipsius conclusionis veritate aut terminorum connexione. Ignorantia puræ negationis dicitur, cum ipsi ignorantur termini sub quibus enun-

ciatio aliqua proponitur circa quam erratur. Error notat judicium sive assensum falsum, & opponitur judicio seu assensui vero. Gignitur vero error vel per, vel sine syllogismo. Sine syllogismo, quando quis judicat aliquam enunciationem veram quæ est falsa, & contra; quia ipsos terminos simplices ignorat, vel quia à sensibus suis deceptus est, vel quia ei impositum est per testimonium fallax alterius: qui error est inculpabilis & invincibilis, si nec in se nec in causis suis præveniri aut præcaveri potuit. Sed alius est error qui per syllogismum gignitur fallacem & fallentem, quando quis assentitur conclusioni falso, ut judicet esse falsam quæ est vera, & vice versa, propter vitium aliquod syllogismi quod non deprehendit, & quod deprehendere debuit & potuit: culpabilis est hic error & vincibilis, estque effectum syllogismi sophistici.]

[4. Error dicitur invincibilis in se, quando in ipso errante nihil est quo vinci aut superari potuit; in causis suis, quando nulla datur aut intra aut extra errantem causa, per quam vinci aut superari potuit. Totidem modis dicitur error vincibilis. Ita vincibilis est error, quando aliquis ignorat hoc quod agit, per ignorantiam quam sibi ebrietate acquisivit; nam causa ignorantiæ, ipsa scilicet ebrietas, præcaveri potest ab eo qui sibi ignorantiam tali modo acquisivit; ideoque dicitur hîc error vincibilis in sua causa.]

[5. Ramus, & qui eum sequuntur, nulla tradunt præcepta de syllogismo sophistico, quia putant sufficere præcepta de syllogismo vero, & illis judicari posse fallaciam syllogismi sophistici. Attamen ita potest syllogismus sophisticus institui, ut ejus fraus ex regulis & legibus veri syllogismi detegi nequeat; quare non videtur inconsultum quædam tradere præcepta de syllogismo fallaci, ejusque fallaciis detegendis. An autem doctrina de syllogismo sophistico sit essentialis pars Logicæ, an accidentalis, quæstio est ab hac grandi necessitate invecta: neque enim multum refert utrumvis dixeris; id sufficit, quod non semper fucus syllogismi sophistici ex regulis & legibus syllogismi veri dijudicari aut cognosci possit.]

6. Aliquis fortasse judicet, non esse opus præceptis novis de syllogismo sophistico, quia eorum falsitas dijudicari possit ex præceptis de syllogismo vero. Respondeo, id fortasse fieri posse, cum sophisma directe impingit in leges syllogismi boni: verum quid si ementiatur speciem syllogismi boni, atque ita sit institutus, ut omni modo appareat bonus? certe tum opus est novis regulis, neque ex legibus syllogismi recti ejus falsitas facile deprehendetur; quemadmodum aurum chymicum ita ementitur speciem veri auri, ut discerni ab eo nequeat, nisi regulis peculiaribus.

[7. Notandum est, syllogismum sophisticum ementiri tantum syllogismi dialectici speciem, non apodictici, quia veritas conclusionis in syllogismo apodictico tam est clara & evidens, ut non possit ita latere sub larva & apparentia syllogismi fallacis, quin falsitas statim appareat: at quia nec tam evidens nec tam firma est veritas conclusionis in syllogismo dialectico, quin ponit ei subesse falsum, hinc fit ut facilè aliquis fucus & impostura latere possit in conclusione syllogismi topici.]

CAPUT

CAPUT XXVI.

Quæst. I. *Quotuplicia sunt sophismata?*

Duplicia; alia sunt in voce, alia in re.

[1. Cum falsitas omnis sit infinita, male videntur syllogismi falsi reduci ad duas classes; ut alii sint in voce, alii in re. Respondeo, licet falsitas sit infinita, hoc est, infinitis modis abiri possit à vero, veritas enim simplex est & indivisibilis, à qua quicquid recedit falsum est, attamen regulæ certæ & præcepta definita tradi possunt, quibus deprehendantur varii modi in syllogismis falsis recedendi à vero; & hæ regulæ ad duas classes revocari possunt, ut quædam offendant falsitatem syllogismorum ortam ex *voce*, aliæ ortam ex *re*.]

[2. Si dicendum est id quod res est, tot sunt genera sophismatum, quot sunt classes verorum syllogismorum: nam quot modis dicitur unum oppositorum, tot modis dicitur & alterum; sed sophisma & syllogismus verus sunt opposita; ergo quot modis dicitur syllogismus verus, tot modis quoque dicuntur sophismata; Atqui loci syllogismorum verorum plures sunt quam sex in *voce*, & septem in *re*: Ergo & loci sophismatum sunt plures quam sex in *voce*, & septem in *re*. Quid enim? ut syllogismus verus desumere potest terminum suum medium à genere, specie, toto, causa, subjecto, opposito, & ab omnibus affectionibus logicis, sive notionibus secundis; ita ab iis quoque omnibus desumi potest terminus medius, fallax in sophismate: ut cum sumitur pro termino medio genus, quod non est genus, subjectum, quod non est subjectum, oppositum, quod non est oppositum, &c.

Quæst. II. *Quot sunt loci sophismatum eorum quæ in voce consistunt?*

Sex; homonymia, amphibolia, compositio, divisio, prosodia sive accentus, & figura dictionis.

Multa ex his sophismatibus deprehendi judicio naturali, cognosci possunt ex Grammatica aut Rhetorica, &c. multa abique arte aut præceptis Logicæ.

Quæst. III. *Quid est sophisma homonymiæ?*

Quod oritur ex unius dictionis ambiguitate ut, *Finis rei est illius perfectio: Mors est finis vitæ: Ergo, mors est vitæ perfectio.*

1. Quid sit *homonymia* in voce, explicatum est cap. 26. lib. 1. Illa ambiguitas potest esse vel in termino minore, vel in termino majore, vel in medio.

2. Omne *sophisma homonymiæ* impingit in legem primam syllogismorum verorum: nam in eo sunt semper quatuor termini, licet tres tantum appareant; quia una vox, aliquem ex tribus terminis significans, hic semper habet significationes duas, ob homonymiam.

Quæst. IV. *Quomodo solvuntur hæc sophismata?*

Distinctione vocis ambiguæ. Exempli gratia, in propositio sophismate vox *finis* in majore significat causam finalem; in minore extremum: [ideoque sunt 4. termini.]

Quæst. V. *Quid est sophisma amphiboliæ?*

Quod oritur ex ambiguo sensu orationis, cujus singulæ voces carent homonymia; ut, *Qui sunt domini sui, sunt sui juris: Servi sunt domini sui: Ergo, servi sunt sui juris.*

1. *Sophisma amphiboliæ* differt à sophismate homonymiæ tantum in eo, quod illud sit situm in ambiguitate totius sententiæ, hoc in ambiguitate unius vocis.

2. Male vulgo vocatur hoc sophisma amphibologiæ, nam hæc vox non est græca: sed ἀμφιβολία dicitur ab ἀμφιβάλλω, quia sensus orationis in medium quasi projicitur, ut gemino sensu ea capi valeat.

Quæst. VI. *Quomodo solvuntur hæc sophismata?*

Distinctione orationis ambiguæ. Exempli gratia, voces *domini sui* sunt pluralis numeri in majore propositione prolati exempli; in minore sunt singularis numeri.

Quæst. VII. *Quid est sophisma compositionis?*

Quod oritur ex conjunctione eorum quæ dividenda sunt; ut, *Duo & tria sunt par & impar: Quinque sunt duo & tria: Ergo, quinque sunt par & impar.*

[1. *Sophisma compositionis* & divisionis frequenter oritur in enunciationibus habentibus modum *possibile*: ut *possibile est ridentem flere*, verum est in sensu diviso, falsum est in sensu composito; hoc est, possibile est ut qui nunc ridet, alio ac diviso tempore fleat; sed non est possibile ut qui ridet, simul fleat, ut componantur simul risus & fletus, qui est sensus compositus: sic, *possibile est sedentem stare*, & verum est & falsum, pro diverso sensu, vel composito vel diviso.

[2. *Sophisma*

[2. *Sophisma compositionis*, seu periculosum oritur, cum in definitione *causæ liberæ* ea conjunguntur quæ sint dividenda, vel vice versa: definitur illa, *quæ, positis omnibus ad agendum requisitis, potest agere & non agere, vel agere hoc & illud*; ubi, si *comma* ponas post vocabulum *potest*, ut conjungas *potest agere & non agere*, ac sit sensus, causa libera est, quæ, positis omnibus ad agendum requisitis, potentiam habet agendi simul & non agendi, aut agendi hoc simul & illud, nihil est illa definitione & illo sensu falsius; imo impossibile est, ut aliquis habeat talem potentiam, qua eodem tempore agat simul, & non agat, ambulet simul, & non ambulet, credat simul, & non credat: hanc tamen potentiam simultatis, id est, agendi simul & non agendi, in homine exigunt quidam, ut homo possit dici causa libera, & prædictus arbitrio libero. At vero, si causæ liberæ definitionem & sensum hunc ponas, ut *comma* collocetur post *agere*, & *non agere*, atque componatur *potentia non agendi cum actu agere*, hoc modo, *causa libera est, quæ, positis omnibus ad agendum, requisitis, potest agere, & non agere, agere hoc, & illud*, nihil est illa definitione & sensu verius: nam non est impossibile, ut cum homo agit, & agit hoc, eodem tempore simul habeat in se potentiam aut non agendi, aut agendi aliud, quæ vulgo dicitur simultas potentiæ: imo hæc est ipsa rei veritas, quam unusquisque in se deprehendit; neque enim actus loquendi aut ambulandi tollit à me potentiam non loquendi aut non ambulandi, vel loquendi aliud, aut ambulandi alio. Itaque optime dici solet, in nobis esse *simultatem potentiæ*, id est, cum (verbi causæ) ambulamus, simul esse in nobis potentiam non ambulandi; & in hac simultate potentiæ, vera libertas causæ liberæ & arbitrii liberi, ac tantum, sita est. Non ergo liberi sumus, quasi aut quia, omnibus ad agendum requisitis, *verbi causa* ad ambulandum & credendum, habemus adhuc in nobis talem potentiam, qua aut non ambulemus aut non credamus, qui vulgo dicitur sensus compositus; sed liberi sumus, licet, omnibus ad agendum requisitis, necessario ambulemus aut credamus, ac, non possimus non ambulare aut credere, quia volentes & ambulamus & credimus (neque enim ad ambulandum aut credendum cogimur contra voluntatis nostræ inclinationem, instar stipitum, quin & ambulamus & credimus ex prævia ratione) & quia cum ambulamus aut credimus, simul habemus potentiam qua possumus non ambulare aut non credere, non quidem eo tempore quo credimus aut ambulamus, sed alio, qui est sensus divisus. At in causa necessaria, cum illa agit, omnibus ad agendum requisitis, ut cum ignis urit, non tantum non est potentia simultatis, id est, qua ignis, cum urit, simul non urat, quod est impossibile, sed ne est quidem simultas potentiæ, id est, ignis, cum urit, ne habet quidem simul in se potentiam aliam actionem quam urendi exercere, etiam tempore alio aut

ullo; neque urit quia vult, aut judicat esse urendum: atque ideo, quia potentiam non urendi aut aliud operandi nullum habet, ne quidem in sensu diviso libere agere dici ullo modo potest; sic sol nunquam habuit, nec habet, cum movetur ab oriente in occidentem, potentiam aut non movendi, aut movendi in contrarium: quæ observasse occasione hujus sophismatis, magni fuerit in gravissimis controversiis usus.]

Quæst. VIII. *Quid est sophisma divisionis?*

Quod oritur ex divisione eorum quæ conjungenda sunt: ut, *Planetæ sunt septem: Sol & luna sunt planetæ: Ergo, sol & luna sunt septem.*

1. Vox *planetæ* sumitur *collective*, quando sumitur pro omnibus simul in majore; *distributive*, quando sumitur pro quibusdam tantum in minore.

[2. Particula *omnis* dicitur sumi collective, quando prædicatum non potest dici de subjecto, particula *omnis* remota, & subjecti divisione instituta; uti hic, *septem* non potest dici de planetis, particula *omnis* remota, & planetarum divisione instituta; neque enim verum est, *sol* & *luna* sunt septem. Sumitur distributive, quando prædicatum dici potest de subjecto, particula *omnis* remota, & subjecti divisione instituta, vel in genera singulorum, vel in singula generum, vel in species, vel in individua: ut, cum dico, *omnis homo est animal*, sumitur vox *omnis* distributive in singula generum, nam licet de omnibus individuis dicere, *Petrus Paulus*, &c. *est animal*; at, cum dico, *Christus mortuus est pro omnibus hominibus*, aut, *omnes homines salvati sunt per Christum*, sumitur vox *omnis* distributive in genera singulorum, nam non omnes homines singulares in individuo sunt salvati per Christum, sed omnia genera hominum, id est, sive Judæi, sive Gentiles, sive pauperes, sive divites, sive principes, sive subditi: & sic debet intelligi cum Apost. inquit, *Deus vult omnes homines salvos fieri*: & cum Christus dicitur *curasse omnem morbum*, intelligitur omne genus morbi.]

[3. Bene observanda est distinctio vocis *omnis*, quando sumitur vel collective, vel distributive, & quando sumitur distributive in genera singulorum, vel singula generum, nam inde dependet decisio multarum quæstionum, tum in philosophia, tum in theologia, imo hinc tota quæstio de gratiæ & mortis Christi universalitate decidi potest: nam quæ loca Scripturæ habentia notam universalitatis ab adversariis explicantur de singulis generum, explicanda sunt de generibus singulorum.]

Quæst.

Quæst. IX. *Quomodo solvuntur hæc sophismata?*

Distinctione diversorum sensuum, quos habet oratio pro diversa partium compositione aut divisione. Exempli gratia, in priori exemplo, *duo & tria* sumuntur divisim in majore, in minore conjunctim. In altero exemplo sumitur vox *planetæ* collective in majore propositione, in minore distributive.

Quæst. X. *Quid est sophisma prosodiæ?*

In quo eodem modo pronunciantur, quæ scribuntur diversimode; aut pronunciantur diversimode, quæ scribuntur eodem modo: ut, *Omnis equus est bestia: Omnis justus est æquus: Ergo, omnis justus est bestia.* Similiter, si quis confundat *leporem* cum *lepore*, *amare* cum *amarè*, *malum* cum *malum*.

Quæst. XI. *Quomodo solvuntur hæc sophismata?*

Cum ostenditur, aut eodem modo pronunciari quæ scribuntur diversimode; aut pronunciari diversimode quæ scribuntur eodem modo.

Quæst. XII. *Quid est sophisma figuræ dictionis?*

In quo ex dictionum similitudine colligitur, eadem iis accidentia aut etiam significationem convenire. Ut, si quis ita colligat, *Poeta* esse fœminini generis, quia *nota* est fœminini generis; aut, *ardere*, *vapulare*, esse actiones, quia *docere*, *verberare*, sunt actiones.

Hæc duo sophismata ex sola Grammatica & Rhetorica bene cognitis solvi possunt.

Quæst. XIII. *Quomodo solvuntur hæc sophismata?*

Ostensa diversitate accidentium aut significationis in vocibus similibus. Nam, licet *poeta* & *nota* terminatione conveniant, non tamen sequitur ut ejusdem generis sint: non sequitur etiam *verberare* & *vapulare* esse ambo significationis activæ, quamvis sint voces terminatione simillimæ vocibus activis.

CAPUT

CAPUT XXVII.

Quæst. I. *Quot sunt loci sophismatum eorum quæ in rebus sunt?*

SEptem: accidens, dictum simpliciter & dictum secundum quid, ignoratio elenchi, consequens, petitio ejus quod in quæstione est, [vulgo *petitio principii*] non causa pro causa, & plures interrogationes.

Quæst. II. *Quid est sophisma accidentis?*

Cum colligitur, subjecto convenire quicquid dicitur de prædicato: ut, *Homo est species: Socrates est homo: Ergo Socrates est species. Mus rodit panem: Mus est syllaba: Ergo syllaba rodit panem.*

1. *Sophisma accidentis* oritur ex eo, quod vox aliqua nunc sumatur formaliter, pro eo quod significat; nunc materialiter, prout est terminus logicus, grammaticus, aut rhetoricus: quemadmodum exempla docent in authore posita; ubi vox *homo* semel sumitur pro exemplo termini logici, scilicet pro specie, quæ subjicitur animali, generi, & semel pro sua significatione, in quantum significat animal rationale; & vox *mus* semel sumitur ut significat illud animalculum, semel ut est dictio monosyllaba.

2. Voces dicuntur sumi formaliter, cum sumuntur pro rebus significatis, & materialiter, cum sumuntur pro literis & syllabis ex quibus constant: sic *Rex* sumitur formaliter, cum accipitur pro eo qui supra alios est constitutus: materialiter, cum dicitur esse monosyllabum. Quando hæ duæ acceptiones vocum in syllogismo confunduntur, oritur sophisma accidentis.

Quæst. III. *Quomodo solvuntur hujusmodi sophismata?*

Cum ostenditur, id quod de subjecto colligitur per accidens de prædicato dici, ut in priori exemplo fit, aut ipsum prædicatum per accidens dici de subjecto sito, ut fit in exemplo posteriori. Exempli gratia quamvis *Socrates* sit *homo*; & *homo* sit *species*; non tamen sequitur, ut *Socrates sit species*: quia *speciem esse* dicitur de *homine* per accidens. Similiter, quamvis *mus* sit *syllaba* & *mus rodat panem*; non tamen sequitur, ut *syllaba rodat panem*: quia *syllabam esse* convenit *muri* per accidens, ac ratione nominis, non ratione essentiæ.

Quæst.

Quæst. IV. *Quid est sophisma à dicto simpliciter?*

Cum ex eo quod verum est simpliciter, colligitur aliquid verum esse secundum quid: ut, *Dextra non est abscindenda; ergo nè tum quidem abscindenda est, cum eam invasit gangræna? Homo est mortalis; ergo & anima hominis mortalis est.*

Quæst. V. *Quid est sophisma à dicto secundum quid?*

Cum ex eo quod secundum quid verum est, colligitur aliquid simpliciter verum esse: ut, *Vinum nocet febricitanti; ergo vinum est noxium, ideoque fugiendum: Homerus est poeta; ergo Homerus est.*

[1. Quemadmodum aliud est adjunctum absolutum, aliud limitatum, ex cap. 19. lib. 1. ità non licet adjunctum limitatum dicere de subjecto absolute, aut vice versa, nisi committendo hoc sophisma; ideoque hoc utriusque sophisma fundatur in doctrina de adjuncto absoluto & limitato. Nam quotiescunque, extra sacras literas, adjunctum limitatum enunciatur de subjecto absolute, vel vice versa, toties committitur alterutrum horum sophismatum: in sacris literis cum sit, quæ omnis fallaciæ atque erroris sunt expertes, est locutio figurata ac synecdochica, qua per synecdochen partis tribuitur toti quod est partis; nam quod competit parti quà parti, id rectè tribuitur toti, & enunciatur de eo secundum istam partem.]

[2. Non omnia quæ tribuuntur parti, & de ea enunciantur tribui possunt toti, aut de eo enunciari. Ita tribui potest oculo & de eo enunciari, quod sit rotundus; atqui hoc nec tribui potest & homini, ac de eo enunciari: at videre, & oculo tribui potest, & homini, ac de eo enunciari, quia videre convenit oculo, parti hominis, in quantum pars est ejus; sed esse rotundum convenit oculo non in quantum est pars hominis, oculus etiam homini exemptus, & non amplius ejus pars, est rotundus, sed non videt.]

Quæst. VI. *Quomodo solvuntur hæc sophismata?*

Ostenso discrimine ejus quod simpliciter, & quod secundum quid dicitur.

Quæst.

Quæst. VII. *Quod est sophisma ab ignoratione elenchi?*

Cum conclusio videtur contradicere assertioni respondentis, sed non contradicit, propter conditionem aliquam contradictionis omissam: ut, si quis probaturus, *Christum non esse dominum Davidis*, concluderet, *Christum esse filium Davidis*, peccaret ignoratione elenchi, quia *dominum & filium esse* non tribuuntur Christo *secundum idem*; nam dominus Davidis est secundum divinam, filius secundum humanam naturam.

Hoc sophisma vocatur *ignoratio elenchi*, quod tum committitur, quando ignoratur quid debeat thesi adversarii nostri opponi: nam elenchus significat proprie argumentum, quo opponens utitur ad frangendam thesin respondentis, debetque semper esse talis syllogismus, cujus conclusio è diametro contrarietur ipsi thesi impugnandæ; ut si thesis sit, *Logica est ars*, conclusio syllogismi primi opponentis debet esse, *ergo, Logica non est ars*, & tum dicitur facere bonum elenchum: si vero aliud concludat quam quod directe adversatur thesi quam oppugnat, dicitur committere ignorationem elenchi.

Quæst. VIII. *Quomodo solvuntur hæc sophismata?*

Ostendendo quænam conditio contradictionis omissa sit, [aut quomodo conclusio non adversetur thesi impugnandæ, vel propositioni negatæ.]

Quæst. IX. *Quid est fallacia consequentis?*

Cum aliqua enunciatio, [id est, conclusionis, scilicet conclusio,] ex altera colligitur, ex qua non sequitur.

Fallacia consequentis non constituit peculiare genus sophisinatis, quia est communis omni syllogismo vitioso: nam in omni sophismate colligitur conclusio ex præmissis ex quibus non sequitur.

Quæst. X. *Quot modis contingit illud?*

Quatuor modis. Primo, cum universalis affirmans convertitur simpliciter; ut si quis, quia *omnis adulator blandus est*, putet *omnem blandum esse adulatorem*. Secundo, cum ex universali affirmante colligitur universalis negans; ut, *quicquid genitum est habet principium*; *ergo, quod non est genitum, non habet principium*. Tertio, cum minor est negans in prima

prima figura, aut, quod eodem redit, cum ex remotione antecedentis colligitur remotio consequentis. Quarto, cum utraque præmissarum affirmans est in secunda figura; aut, quod eodem redit, cum ex positione consequentis colligitur positio antecedentis.

Quæst. XI. *Ejusmodi paralogismi non videntur esse sophismata, quia aperte peccant in regulas.*

Ita est: sed sophistæ solent vitium formæ occultare, aut alterius præmissæ suppressione; ut, *Crispus est blandus ergo est adulator:* vel ambagibus verborum; ut, *Qui dicit te esse animal, dicit verum: Atqui qui dicit te esse asinum, dicit te esse animal: Ergo qui dicit te esse asinum, dicit verum.* Hæc enim argumentatio perinde se habet, ac si sic structeretur *Asinus est animal; Tu es animal; Ergo tu es asinus:* quæ est argumentatio ex duabus affirmantibus in secunda figura.

Quæst. XII. *Quomodo solvuntur hæc sophismata?*

Citata regula, in quam peccat illatio sophistica.

Quæst. XIII. *Quid est sophisma petitionis ejus quod ab initio in quæstione est?*

Cum aliquid probatur per se ipsum, aut per aliquid, quod æque ignotum est: ut, si quis probet, *Animam humanam esse ex traduce, quia generatur ex semine parentum:* aut, *Visionem fieri emissione, quia non fit receptione.*

1. Vocatur hoc sophisma *petitio principii*, quia id adfertur in probationem, & probatio id petit, quod in principio erat controversum. Hoc vitium frequentissime committitur, cum terminus medius non differt à partibus quæstionis, nisi verbis tantum; quod fit, cum terminus medius nihil significat diversum à prædicato quæstionis.

2. Quia terminus medius primo omnium disponi solet cum termino majore, recte dicitur probatio in syllogismo initium petere à medio, & recte hoc sophisma dicitur petitio principii, quando in conclusione nihil infertur diversum à termino medio; tunc enim reditur ad id quod in initio aut in principio erat positum.

Quæst.

Quæst. XIV. *Quomodo solvuntur sophismata hujus loci?*

Ostendendo medium non esse diversum à quæstione, aut saltem non esse notius quæstione.

Quæst. XV. *Quid est sophisma non-causæ pro causa?*

In quo id quod causa non est, aut causa per accidens, pro causa vera, ac per se obtruditur: ut, *Vinum inebriat; ergo exterminandum est ex republica.*

Nulla hic quoque ratio est, cur peculiare genus sophismatis faciat sophisma non-causæ pro causa, non magis quam sophisma non-generis pro genere, non-adjuncti pro adjuncto, non-oppositi pro opposito, &c.

Quæst. XVI. *Quomodo solvuntur sophismata hujus loci?*

Designatione veræ causæ à qua effectus per se dependet. Exempli gratia, in sophismate prolato neganda est consequentia; quia vinum non est vera causa ebrietatis, sed hominum intemperantia vino abutentium.

Quæst. XVII. *Quid est sophisma plurium interrogationum?*

Cum duæ pluresve interrogationes ita proponuntur, ut unius speciem præ se ferant; veluti si quis quærat, *Estne mundus perfectus & æternus?*

Quæst. XVIII. *Quomodo solvuntur hujusmodi sophismata?*

Distinctione quæstionum, & responsione ad singula seorsim applicata. Exempli gratia, ad interrogationem jam propositam, non debet responderi, *Ita*, aut *Non*, sed *mundum perfectum esse, non æternum.*

CAPUT

CAPUT XXVIII.

Quæst. I. *Atque hæc de syllogismo. Quid est methodus?*

METhodus est apta dispositio rerum, [scilicet cognoscendarum] eodem pertinentium, ut quam optime facillimeque intelligantur, & memoriæ quàm tenacissime inhæreant.

[1. *Methodus*] & ordo Zabarellæ aliisque philosophis solent distingui, ut ordo significet nudam rerum dispositionem, methodus rei unius ex alia notificationem; sed hoc discrimen neque Aristotelis nititur authoritate, neque ratione solida; nam voces Græcæ, τάξις id est ordo, & μέθοδος, promiscue usurpantur: & gratis dicitur, quod vox methodus semper significet notificationem unius rei ex alia; hoc enim ipsa vox non infert, quæ componitur ex μετὰ & ὁδὸς, significatque simpliciter transitum à termino à quo ad terminum ad quem, atqui non semper terminus à quo notificat terminum ad quem.]

2. *Dispositio*] id est oratio qua apte disponuntur res eodem pertinentes. Oratio intelligitur vel interna, vel externa; potissimum tamen interna.

3. Quia methodus instrumentum est cognoscendi, sub hoc tantum respectu res disponit, quatenus sunt *cognoscendæ*: ideoque respicit proprie disciplinas, artes, scientias, ubi res quæ cognoscendæ veniunt suis præceptis, definitionibus, divisionibus, canonibus, disponuntur: atque hinc methodus præceptorum in disciplinis vulgo vocatur methodus didascalica sive doctrinæ, quia ejus beneficio res in disciplinis propositæ docentur ac discuntur.

4. *Methodus* dicitur *dispositio apta rerum*, quatenus congruit naturæ rerum, id est, cum is servatur ordo in rebus explicandis ac cognoscendis qui à Deo, omnis ordinis authore, in ipsa rerum natura est constitutus; seu, cum illa priori loco explicantur ac cognoscuntur, quæ priùs à Deo sunt facta.

5. Uti tota Logica est expressio ordinis quem Deus instituit in rerum convenientia ac discrepantia, ita speciatim hunc ordinem exprimit quartum hoc cognoscendi instrumentum, *methodus*: atque hoc videre est in methodo Physicæ, ubi post partem generalem expositam, illa corpora naturalia suo ordine speciatim explicantur, quæ primum à Deo fuerunt condita; ut ordo Physicæ sit expressio ordinis quem Deus servavit in creando.

6. Finis methodi est, non tantum ut intellectus juvetur in cognitione rerum, sed præsertim ut memoria subsidium accipiat in rebus cognitis diu retinendis.

7. Cum definitio, divisio, & syllogismus, hunc tantum usum habeant, ut intellectum dirigant in cognitionem rerum; methodus, quæ idem faciat, hoc insuper habet, ut memoriam juvet in rerum cognitarum recordationem, tum sensitivam tum intellectualem.

8. *Res eodem pertinentes*] dicuntur, quæ pertinent ad eandem disciplinam: tales sunt quæ pertinent ad idem subjectum sive objectum, vel quæ pertinent ad eundem finem.

[9. Res

[9. Res pertinent ad idem subjectum vel objectum in scientiis stric̃tis dictis triplici modo: vel ut principia aut etiam partes subjecti; vel ut affectiones ejus; vel ut ejus species. Sic verbi causa ad corpus naturale, objectum Physicæ, consequenter ad ipsam Physicam, pertinent materia, forma, & privatio, tanquam principia, & priora duo intuper tanquam partes corporis naturalis; magnitudo, locus, motus, tempus, pertinent ad corpus naturale tanquam affectiones ejus; cœlum, elementa, meteora, mineralia, mixta, animata, plantæ, bruta, homines, pertinent ad corpus naturale tanquam species ejus. Res pertinent ad eundem finem in artibus & prudentiis, quæ sunt media conducentia ad alicujus artis vel prudentiæ finem obtinendum: ita verbi causa ad Grammaticam pertinent omnia quæ faciunt ad bene loquendum, tanquam Grammaticæ finem; ad Ethicam pertinent omnia quæ faciunt ad beate vivendum in hac vita, tanquam finem Ethicæ.]

[10. Ex verbis liquet quo modo ad Physicam pertineat anima rationalis, quæ quidem non est species corporis naturalis, neque ejus affectio demonstranda, sed tamen ejus pars, aut principium, cum corpus naturale accipitur ut totum compositum constans materia & forma; est enim forma, consequenter causa, & pars essentialis ac principium hominis, qui est corporis naturalis accepti ut compositi species: sed si corpus naturale sumatur pro parte hominis, materia ejus in quantum homo constat corpore tanquam materia, & anima rationali tanquam forma, non est ejus species, sed sic non sumitur corpus naturale ut est objectum Physicæ, & homo ut est ejus species.]

11. Ad idem subjectum sive objectum pertinent res cognoscendæ, cum sunt necessariæ: ad eundem finem, cum sunt contingentes. Res necessariæ disponuntur in disciplinis theoreticis; res contingentes in practicis.

[12. Quamvis eadem sit res in scientiis & subjectum & objectum, tamen diversos dicunt respectus duo ista vocabula: nam objectum dicitur in ordine ad operationem, subjectum in ordine ad existentiam. Verbi causa, corpus naturale dicitur objectum Physicæ, in quantum circa illud versatur Physica explicando, suis præceptis, definitione, divisione, & canonibus; idem dicitur subjectum respectu quantitatis, motûs, loci, temporis, aliarumque affectionum in eo existentium, & de eo demonstrandarum.]

[13. Nota, hanc vocem practicis hic sumi late, ut comprehendit non tantum prudentias, quæ sunt disciplinæ practicæ sensu stric̃to, prout praxis significat actionem moralem, & contradistinguitur ποιήσει sive actioni artificiali; sed hic quoque intelliguntur artes, & sic vox πραξις significat tum quamcunque actionem, non tantum moralem, sed & artificialem, & ποιησιν non excludit, sed includit: quo sensu Grammatica & Logica etiam dicuntur disciplinæ practicæ.]

[13. Res necessariæ vocantur, vel ipse Deus, vel quæ sunt immediate à Deo, ut quæ creantur, vel quæ sunt à natura per certas causas operante, ut quæ generantur; sic ut illas facere vel non facere, non sit concessum

sum potestati humanæ: quales sunt res physicæ, mathematicæ, metaphysicæ: nemo enim hominum potestatem habet producendi cœlum, elementa, meteora, mineralia, plantas, bruta: nullave res physicas; nemo potestatem habet quantitatem suam augendi; multo minus animam rationalem aut angelos efficiendi. Res contingentes vocantur, quæ ab homine pro arbitrio suo produci possunt: ita potest producere syllogismum, facere definitionem, componere orationem, eamque ornare tropis & figuris; potest liberalitatem exercere, unicuique suum tribuere, fortiter agere, familiam administrare, rempublicam regere, leges servare, vel iis obsequi, & alias res similes facere. Res contingentes vocantur humanæ, sicuti res necessariæ dicuntur divinæ: illæ sunt objectum Philosophiæ theoreticæ, hæ sunt objectum philosophiæ practicæ & poeticæ, illæ scientiarum, hæ prudentiarum & artium.]

[15. Quando res contingentes dicuntur produci posse prò arbitrio hominis, id non sic accipiendum est, ac si excluderetur Dei influxus aut concursus; nihil minus; nam is intime includitur, non tantum in omni hominis actione, sed cujuscunque creaturæ: sed vocantur hic res contingentes, quæ sic fiunt à Deo, ut homo cooperetur; & vocantur res necessariæ, quæ ità fiunt à Deo, ut homo nihil conferat ad illarum productionem, hoc est, ut non sit situm in ejus potestate aut arbitrio, res illas vel efficere vel non efficere.

Quæst. II. *Quidnam requiritur ad eam rem?*

Ut præmittantur quæ faciunt ad cognitionem sequentium, aut saltem quæ cæteris facilius intelliguntur.

[1. Aliquid dicitur *facere ad cognitionem sequentium*, vel quia medium est, ex quo inferri debet id quod est ignotum; ita principia faciunt ad cognitionem principiatorum: vel quia aliquid tale est, ut sine eo aliud cognosci nequeat; ita sine animali nequit cognosci equus, sine genere, species; ideoque genus ad cognitionem facit speciei, & omne universale ad cognitionem particularium ac singularium: ideoque universalia & prius & facilius cognoscuntur quàm singularia, quia illa à paucioribus differentiis abstrahuntur quam hæc; nam singularia includunt omnes differentias quæ includuntur in universalibus, & adhuc insuper proprias: ita species, verbi causa homo, includit differentias omnes animalis, ut generis proximi, & insuper viventis, mixti, corporis, substantiæ, ut generum remotorum; individuum, verbi causa Petrus, includit & speciei, scilicet hominis, differentiam, scilicet rationalitatem, & peculiares differentias omnium superiorum generum, atque insuper propriam, qua est Petrus, & non Paulus.]

[2. Quæstio de ordine intelligendi, an universalia prius intelligantur quam singularia, sic satis est intricata. Distinguendum hic est inter cognitionem confusam, quæ est sensuum, & distinctam, quæ est rationis: singularia prius cognoscuntur cognitione confusa, quia sensibus sunt vicinjora; & universalia prius cognoscuntur cognitione distincta, quia hæc sequitur ordinem naturæ; at naturæ ordine universalia sunt priora singularibus, ergo quoque cognoscuntur prius cognitione distincta quam singularia.]

Quæst. III. *Quomodo dividitur methodus?*

In naturalem, & arbitrariam.

Quæst. IV. *Quam vocas naturalem?*

In qua servatur ordo naturæ, & cognitionis nostræ distinctæ.

[1. *Ordo naturæ*] dicitur, quem Deus tenuit in omnium rerum creatione, atque etiamnum servat in earundem conservatione, & insuper, quem res creatæ servant inter se mutuò: omnia enim ut certo ordine ac sapienter à Deo sunt creata, ita eodem ordine conservantur, consistunt, atque agunt. Quia vero disciplinæ, sive sint scientiæ, sive artes, sive prudentiæ, nihil sunt aliud quam rerum cognoscendarum expressiones per præcepta definitionum, divisionum, canonum, debet talis servari ordo in illis tradendis, qualem in natura atque in hoc universo tenent: nam nihil debet esse in typo nisi quod est in antitypo; atqui disciplinæ sunt typus rerum cognoscendarum, ipsæ res sunt antitypus, & res debent esse mensura cognitionis nostræ, non vero cognitio nostra debet esse mensura rerum; idcoque talis ordo debet servari in cognoscendo, & in disciplinis, qualis rerum ordo est in existendo, & in natura. Per naturam proprie quidem intelligitur essentia cujusque rei creatæ, & vis illa innata, qua creaturæ omnes id quod sibi bonum est appetunt, & quantum possunt acquirunt; improprie tamen dicitur interdum de Deo, ac significat essentiam ipsius ac vim quandam, non innatam (nam Deus non nascitur) sed æternam, qua ab æterno id quod bonum est non quidem sibi, (nam Deus à nullo perfici potest) sed aliis appetit, & in tempore exsequitur. Natura priori modo sumpta dicitur naturata, posteriori modo naturans.]

[2. Quando hîc dicitur, quod Deus bonum ab æterno appetierit aliis, videntur alia ab æterno coexistitisse Deo, quod tamen falsum est: sed vero hoc illa phrasis non significat, nam sensus ejus hic est, quod ille appetitus quidem ab æterno sit in Deo quo appetit aliis bonum, sed bonum in tempore conferendum, quando illa alia extiterint: quem-

quemadmodum illa creando jam bonitatem suam exerit, ac multo magis ea postquam sunt creata conservando, & cum illis cooperando.]

[3. Ordo naturæ duplex est, prout ipsa est natura: hæc enim spectatur vel ut intendens aliquid, vel ut id quod erat intentum exsequens, sive producens, sive generans. Natura dum aliquid intendit ordinem servat, sed plane alium quam est is quem servat dum intentum exsequitur ac generat: imo hi duo ordines naturæ intendentis & generantis plane sunt contrarii; nam quod primum est secundum ordinem naturæ intendentis, postremum est secundum ordinem naturæ generantis: ita, verbi causa, natura primum intendit finem, tum media; contra, primum exsequitur, producit, ac quasi generat media, postea demum assequitur finem: sic primum intendit totum, postea partes; contra, primum producit partes, postea totum: sic primum intendit effecta, postea causas; contra, primum producit causas, postea effecta. Atque hic est ordo naturæ tum naturantis, ipsius Dei, qui quod primum intendit postremum exsequitur, tum naturæ naturatæ, quæ vicem Dei in inferioribus gerit, & est vis naturalis uniuscujusque naturæ, qua bonum naturæ suæ intendit atque exsequitur. Jam vero methodus naturalis est, in qua servatur ordo utriusque naturæ, tum intendentis tum generantis. Ordo naturæ intendentis incipit à fine, & desinit in media: ordo naturæ generantis incipit à mediis, & desinit in finem.

[4. Methodus naturæ intendentis servatur in cognoscendis rebus contingentibus, & disponendis artibus, ac disciplinis practicis, sive prudentiis, sive artibus.]

[5. Methodus naturæ generantis servatur in tractandis rebus necessariis, & disponendis disciplinis theoreticis.]

6. Ordo cognitionis nostræ distinctæ] est idem cum ordine naturæ, quia tum demum distincte cognoscimus res, quando eas cognoscimus isthoc ordine quo Deus & natura eas & intenderunt & produxerunt.

[7. Cum Deus aliquid dicitur primum intendere, & postremum intendere, illud primum & postremum intelligendum est non ratione Dei, in quo non est prius aut posterius; nam æternitas, quæ Deo competit, omne prius aut posterius excludit: sed hoc intelligendum est ratione nostri intellectus, qui ea quæ in Deo sunt simul, uno conceptu concipere nequit, quia imperfectus est in intelligendo & finitus, sed quæ in Deo sunt simplicissima in duo dirimit momenta, & duobus distinctis instantibus intelligit; quæ ideo à philosophis vocantur momenta & instantia rationis aut naturæ, juxta quæ intellectus humanus multa distinguit, & distinctis conceptibus apprehendit, quæ tamen in se ac natura sua, ac præsertim in Deo, sunt indistincta.]

[8. Vulgo quidem nos sic de Deo loquimur, ut dicamus eum primo intendere finem, deinde media: non quod hi actus intendendi finem & intendendi media sint in Deo distincti, & distinctis momentis exerantur

unus post alium, Deus enim simul & semel, uno actu & ictu, æterno atque interno, suæ voluntatis, decrevit & finem, & media omnia suo tempore ad finis acquisitionem exsecutioni mandanda; sed quia nos homines duobus diversis actibus distinctisque momentis intendimus & finem & media, hinc fit ut similiter ista in Deo dicamus, quæ tamen ab eo fiunt simplicissime; neque nos aliter de Deo philosophari possumus, propter naturam finitam & imperfectionem nostri intellectus: & quæ nos sic distinguimus nostro intellectu de Deo in diversa momenta, quæ tamen uno instanti indivisibili fiunt, ea vocantur vel momenta naturæ, vel instantia rationis.]

[9. Ut totus hic commentarius feliciter intelligatur, duo sunt tenenda accurate: primo, quid per naturam intelligatur; secundo, quomodo ei adscribatur duplex ordo, intentionis & exsecutionis. 1. Natura proprie tantum competit rei productæ, sive per generationem sive per creationem, descendit enim à *nascendo*; quo sensu Deo tribui nequit, quia hic nunquam nascitur, nec enim creatur, nec generatur: quia tamen omnis naturæ in rebus creatis est author, vulgo dicitur natura naturans, & creatura dicitur natura naturata. Improprie natura, significat essentiam cujuscunque rei, seu creatæ seu increatæ, quia per eam unaquæque res est id quod est, & ab aliis rebus distinguitur: hoc sensu Deo tribuitur natura, & sic agunt de natura Dei in locis communibus theologi. 2. Utrique naturæ, & naturanti & naturatæ competit operari, & neutra operatur nisi quod intendit: sed hoc discriminis est, quod natura naturans, scilicet Deus, licet diversis temporibus diversa operetur & exsequatur, omnia tamen uno & indivisibili atque æterno actu suæ voluntatis operari & exsequi intendit: at natura naturata, ut diversis temporibus diversa operatur & exsequitur, ita diversis actibus temporisque vicibus operari atque exsequi intendit. Hic vero observandum est, intentionem naturæ naturatæ esse geminam: unam quæ proficiscitur à voluntate, sequiturque rationem, & competit soli homini, qui intendit quod vult, & vult quod ratio præscribit; alteram, quæ proficiscitur ab inclinatione naturali, aliis præter hominem creaturis ratione destitutis indita, qua intendunt operari & exsequi id ad quod naturali instinctu feruntur, & sic omnia intendunt id quod suæ naturæ est conveniens ac bonum, quia unumquodque ad id naturali propensione inclinatur; ideoque, cum natura naturata producit monstra, dicitur agere præter intentionem. Porro, ordo quidem est in utraque natura, naturante & naturata, secundum quem & intendit & exsequitur; unde aliquid dicitur primum, secundum, tertium, &c. atque ultimum, tum intentione tum exsecutione. Interim, quando aliquid primum aut postremum tribuitur Deo in intentione sua, id non fit ratione Dei, quasi in ipso sint diversi actus intendendi seu decernendi, nam in Deo nihil est prius &

po-

posterius, sed & finem, & media omnia ad finem obtinendum necessaria, intendit uno atque individuo æternoque actu; sed hoc fit ratione nostri intellectus & conceptus: quia enim nos non possumus uno simplicique conceptu intelligere quæ Deus uno simplicique actu intendit, hinc fit ut, licet Deus simul & finem & media decernat, tamen nos concipiamus eum tanquam decernentem primo finem, secundo media; quia hoc divinæ sapientiæ maxime congruit; sic, quamvis & salutem Petri vitamque æternam, tanquam finem, & fidem ac perseverantiam in fide ac bonis operibus, tanquam media, simul intenderit, nos tamen eum concipiamus quasi prius intendisse salutem ut finem, & deinde fidem ut medium. Et hinc liquet, quam male quidam asserant, Deum eligisse hominem ad salutem ex fide aut operibus prævisis; sic enim conciperetur prius intendisse media quam finem, quod, non tantum divinæ ejus sapientiæ repugnat, sed omni sanæ rationi adversatur. Quando aliquid creatura intendit, ibi in ipsa intentione locum habet prius & posterius; nam revera homo prius intendit finem uno actu suæ voluntatis, & media alio actu suæ voluntatis; ita & natura irrationalis prius intendit ex naturali inclinatione totum ut finem, deinde partes ut media: quando autem vel Deus vel creatura exsequitur id quod intenderunt, ordo exsecutionis plane contrarius est ordini intentionis, hoc est, quæcunque Deus à nobis concipitur prius intendisse, ea posterius exsequitur, aut concipitur exsequi, & quæ concipitur intendisse posterius, ea prius exsequitur, aut concipitur exsequi; sic prius dat fidem Petro, & perseverantiam in fide, quam vitam æternam, & tamen prius intentione concipitur velle dare vitam æternam Petro, quam concipitur velle dare fidem; & quæcunque creatura prius intendit, seu ex voluntate seu ex inclinatione naturali, ea posterius quoque exsequitur; sic in generatione prius producit partes, posterius totum, cum tamen prius intenderit totum, posterius partes; sic studiosus prius studet quam eruditionem adipiscitur, cum tamen prius intenderit eruditionem ut finem, posterius studia ut media.]

10. *Distincta* cognitio dicitur, quia cognoscitur omne id quod de re cognosci potest: itaque hæc exhaurit totam rem cognoscendam, omnesque ejus partes manifestat, & conformis est ipsi rerum ordini: hinc, quæ sunt priora in naturæ ordine, prius debent cognosci, ut habeatur cognitio distincta; sic universalia, si modo cognoscantur prius quam singularia, partes quam totum, causæ quam effecta, habebitur singularium, totius, & effecti distincta cognitio, nam tum exprimitur ipse ordo quem ipse Deus & natura servarunt.

Quæst. V. *Quot sunt in naturali methodo observanda?*

Duo potissimum.

Quæst. VI. *Quænam?*

Primo, ut omnes partes sint homogeneæ, hoc est, ut non commisceantur quæ ad diversas disciplinas aut ad diversas ejusdem disciplinæ partes pertinent. Secundo, ut progressus instituatur ab universalibus ad particulariora, utque partes aptis transitionum vinculis connectantur.

[1. Ut omne instrumentum cognoscendi jam explicatum suas habet leges, juxta quas confici debet, ita & methodus suas: fuerunt leges definiendi, dividendi, argumentandi; sequuntur nunc leges ordinandi. Hæ quidem leges tres sunt; lex ὁμογενείας, lex universalitatis, & lex transitionis. Lex ὁμογενείας est vel integrarum disciplinarum, vel variarum in una disciplina partium: utrobique intelligenda est de præceptis definitionum, divisionum, canonum, non vero de commentariis aut explicationibus, ubi illa locum non tenet. Homogenia latine significat id quod pertinet ad idem genus; lex ergo homogenias jubet, ut quæ sunt ejusdem generis in disciplinis integris, ea in singulis tradantur; sunt autem ejusdem generis in disciplinis integris vel quæ pertinent ad idem subjectum, ut in scientiis, vel quæ pertinent ad eundem finem, ut in prudentiis & artibus lex ergo homogenias jubet, in Physica tradi omnia ea præcepta quæ pertinent ad corpus naturale, removeri quæ illuc non pertinent; eadem jubet in Ethicis illa præcepta tradi quæ pertinent ad summi boni, tanquam finis ultimi, acquisitionem, in Grammaticis item jubet illa tradi præcepta quæ pertinent ad bene loquendum, finem ejus. Lex homogenias in singulis disciplinarum partibus jubet illa tradi præcepta quæ singulis partibus debentur, hoc est, vult in genere tradi quæ pertinent ad generalem disciplinæ alicujus partem, species vero & affectiones speciales tradi jubet in speciali parte disciplinæ. Hinc liquet quod in mathematicis non debeant tradi præcepta ethica, nec contra; præterea, quæ pertinent (in physicis verbi causa) ad doctrinam de corporibus non viventibus, non debeant tradi in doctrina corporum viventium, nec vice versa.]

2. Lex universalitatis habet quoque locum vel in integris disciplinis ordinandis, vel in disponendis singularum disciplinarum partibus: utrobique mandat, ut universalia præcedant & disponantur ante particularia & specialia: Verbi causa, in Physica primum agitur de corpore in genere, tanquam aliquo universali, tum de corporibus particularibus, ut de cœlo, elementis, sunt enim hæc omnia species corporum naturalium: & in singulis speciebus explicandis in parte speciali, prius agit de cœlo quam de ullo alio corpore, quia cœlum est universalissimum omnium corporum in specie sumptorum.

3. Quia

3. Quia universalia faciunt distinctam cognitionem particularium, ideo in methodo naturali proceditur ab univertalibus ad particularia; est enim distincta cognitio methodi naturalis finis.

4. Lex transitionis facile intelligitur, modo hoc observetur, eam non in totis disciplinis, sed in singulis disciplinæ partibus tantum habere locum: estque Transitio alia perfecta, alia imperfecta. Perfecta est, quando repetitur quod est dictum, & proponitur dicendum, atque ita antecedentia & consequentia tanquam vinculo quodam inter sese colliguntur ac connectuntur; cujus formula est hæc aut similis, *Atque hactenus de hisce actum: sequitur ut agamus de aliis, &c.* Imperfecta, est, cum aut tantum repetitur quod est dictum, aut proponitur tantum quod est dicendum.

Quæst. VII. *Quomodo dividitur methodus naturalis?* In syntheticam, & analyticam.

[1. Divisio *naturalis methodi in syntheticam & analyticam* est divisio generis in species, contra quam putavit Ramus, qui methodum sic dividi posse negavit, atque unam asseruit methodum ubique servandam. Quod si sic intellexit, ut in omni methodo servari debeat processus ab universalibus ad singularia, ferri potest, sic enim unica est methodus, hoc enim observatur & in methodo synthetica & analytica; sed si sic senserit, methodum esse unicam quæ non posset dispesci in has species duas, syntheticam & analyticam, erravit, & sic refutari potest. Quotuplex est naturæ ordo, totuplex est methodus naturalis: Sed naturæ ordo est duplex, & quidem specie distinctus: Ergo, &c. Ratio majoris est, quia methodus naturalis servat & exprimit ordinem naturæ; & probari potest hoc syllogismo: Totuplex est typus, quotuplex est antitypus, quia sunt relata, quæ sibi invicem respondent: Sed naturalis methodus est typus, ordo naturæ antitypus: ergo totuplex est naturæ methodus, quotuplex est ordo naturæ. Minor sic probatur. Ubi duo ordines sunt sibi invicem contrarii, ibi est duplex ordo specie distinctus: Sed in ordine naturæ sunt duo ordines sibi invicem contrarii: Ergo, &c. Ratio majoris est, quia contraria sunt semper species oppositæ ejusdem generis, ex ipsa contrariorum definitione. Minor probatur. Ubi duorum ordinum unus habet pro termino à quo, qui est alterius terminus ad quem, & vice versa, ibi sunt duo ordines, sibi invicem contrarii: Sed in ordine naturæ sunt duo ordines, quorum unus habet pro termino à quo, qui est alterius terminus ad quem, & vice versa: Ergo, &c. Probatur iterum minor. Si terminus à quo in ordine naturæ intendentis sit terminus ad quem in ordine generantis, & vice versa, ergo in ordine naturæ sunt duo ordines, quorum unus habet pro termino à quo, qui est alterius terminus ad quem, & vice versa: Sed verum

prius: Ergo & posterius. Probatur minor. Terminus à quo in ordine naturæ intendentis est finis, quia natura intendens incipit à fine; terminus ad quem sunt media quibus ad finem pervenitur quem natura intendens intendit: contra, terminus à quo in ordine naturæ generantis sunt media, quia à mediis natura generans incipit in rerum productione; terminus ad quem est finis, quia natura generans per media ad finem tendit: Ergo terminus à quo in uno ordine naturæ, puta intendentis, est terminus ad quem in altero ordinæ naturæ, puta generantis, & vice versa; quod erat demonstrandum.]

2. Methodus potest dici unica vel genere, vel specie. Si Ramus voluit methodum esse genere unicam, hoc est, unum genus methodi, quatenus omnis methodus servat processum à generalibus ad specialia, à facilioribus ad difficiliora, à notioribus ad ignotiora, nihil verius dici potest: sed si voluerit unam methodum esse unam speciem methodi, ut eadem methodo speciali tradantur omnes disciplinæ, terveturque idem processus agendi particularis in scientiis qui tenetur in artibus & prudentiis, nihil falsius dici potest: quod patet ex argumentis primo commentario positis atque expositis.]

Quæst. VIII. *Quid est methodus synthetica?*

Quæ progreditur à principiis simplicissimis ad ea quæ ex istis principiis componuntur.

1. *Methodus synthetica*, latine compositiva, sequitur ordinem naturæ generantis; quæ aliquid productura initium facit à principiis simplicissimis ut perveniat ad ea quæ ex iis componuntur.

Quæst. IX. *Ubi habet hæc methodus locum?*

In disciplinis speculativis, physica, mathematica & metaphysica.

Quæst. X. *Quid est methodus analytica?*

Quæ facto initio à fine, progreditur ad media proxima, & ab his ad remotiora, donec ventum est ad prima ac simplicissima.

1. *Methodus analytica*, latine resolutiva, sequitur ordinem naturæ intendentis; quæ semper primum intendit finem, inde cogitat de mediis quibus finis obtineri possit.

2. *Finis* quasi compositum quid est ex *mediis*; quare *media* dicuntur principia & *finis* principiatum; media dicuntur simplicissima & partes, finis compositum & totum: & sane eruditio est quasi aliquid compositum ex multis studiis tanquam mediis; sanitas, finis ægri, est tanquam aliquid compositum ex multis remediis tanquam mediis.

Quæst.

Quæst. XI. *Ubi habet hæc methodus locum?*

In artibus & disciplinis practicis; ut in grammatica, rhetorica, logica, medicina, architectonica; item in ethica, politica, & œconomica.

1. Quod in methodo synthetica fiat initium à principiis ad ea quæ ex principiis producuntur ac constant, patet ex Physica, quæ orditur à materia, forma & privatione, corporum naturalium principiis; inde transit ad affectiones, quantitatem, locum, motum, tempus, quæ ab illis principiis proficiscuntur; denique ad cœlum, elementa, mixta, viventia, cæteraque corpora naturalia transgreditur, quæ ex iis principiis componuntur. Quod in methodo analytica fiat initium à fine, atque inde transeatur ad media quibus finis obtinetur, patet ex Ethica, quæ orditur à summo bono, fine ultimo; transit ad media explicanda, scilicet virtutes, quibus summum bonum, finis ultimus, acquiritur.

2. Methodus synthetica & analytica tam sunt diversæ, ut nunquam ars aut prudentia possit aut debeat tradi methodo synthetica, aut scientia methodo analytica; qui enim alterutrum faciunt, illi ordinem naturæ invertunt. Notandum vero est accuratè, non posse disciplinam aliquam integram methodo synthetica tradendam, tradi analytica, aut vice versa: at hoc fieri potest, ut in tota disciplina, quæ integra tractatur methodo synthetica, partes aliquæ ejus tractentur methodo analytica, & vice versa, ut in disciplina quæ tota & integra tractatur methodo analytica, aliquæ ejus partes tractentur methodo synthetica, sic Grammatica integra tradenda est methodo analytica, ejus tamen partes traduntur methodo synthetica; nam initium fit à principiis simplicissimis, atque transitur ad illa quæ ex illis principiis componuntur: verbi causa, agitur primum de literis, ex quibus componuntur syllabæ, tum de syllabis, ex quibus componuntur dictiones, tum de dictionibus, ex quibus componuntur orationes. Contra in Physica, quæ tota traditur methodo synthetica, pars aliqua traditur methodo analytica, nempe, quæ agit de anima; ibi enim primum agitur de vita tanquam fine, antequam de generatione ac nutritione, tanquam mediis ad vitam obtinendam necessariis, agatur.

[3. Vox illa *practicis* in textu Burgersdic. hic sumitur strictè, prout praxis opponuntur ποίησει, & constituit prudentiam distinctam ab arte: alioquin, cum sumitur late, practicum significat non tantum operationem moralem, quæ est prudentiæ, sed & artificialem, quæ est artis; adeoque significat operationem quamcumque, ut ante & sæpius fuit dictum.]

Quæst.

Quæst. XII. *Quid est methodus arbitraria?*

Quæ relicto ordine naturæ, accommodata est ad captum nostrum.

Quæst. XIII. *Ubi habet hæc methodus locum?*

In oratoria & poesi. Oratoribus enim & poetis propositum est auditorem lectoremve movere. Ad eam rem opus est crypsi, quæ potissimum consistit in omissione, additione, & inversione. Omitti solent quæ nocitura videntur dicenti, aut tædium paritura auditoribus, etiamsi ad causam videantur pertinere. Tum multa addenda sunt, quæ ad causam magnopere non faciunt, ut auditorem lectoremve reficiant ac detineant. Omnia denique miro artificio invertenda sunt, ne ars ab auditore animadversa suspecta sit, & assensum impediat.

1. Methodus naturalis usurpari debet in rebus conscribendis, & discendis; res enim debent doceri & disci eo ordine quo sunt in natura at vero quando scopus est movere, tristitia afficere, vel gaudio aut alio affectu, *methodus arbitraria* adhibenda est, quæ crypsi utitur, id est occultatione artis & ordinis naturæ; atque hic valet illud, *Summæ artis est occultare artem.*

2. *Methodus arbitraria* est triplex: vel deficiens, cum omittuntur addenda; vel redundans, cum adduntur superflua; vel inversa, cum ea quæ priori loco erant tractanda, tractantur posteriori, & contra: atque hæc tria in orationibus & poetis aliquid pertractantibus licet reperire.

PRAXIS

PRAXIS LOGICA,

Ad seriem & ordinem

SYNOPSEOS

BURGERSDICIANÆ Institutа,

Et ex variis Authoribus congesta,

PER

ADRIANUM HEEREBOORD.

VERA *Logicæ Praxis* duabus absolvitur partibus, *Genesi* & *Analysi*.

II. *Genesis* definiri potest, modus utendi instrumentis logicis, quo nosmet discursum aliquem de themate aliquo formamus ac producimus.

III. *Analysis* est modus utendi instrumentis logicis, quo discursum, ab alio aut à nobis formatum ac productum, resolvimus in sua principia, ex quibus formatus est atque productus. Utroque modo versatur intellectus noster in rebus cognoscendis & utrobique Logicæ directione eget.

IV. Quodcunque vero utrovis modo intellectui cognoscendum proponi potest, unica voce *Thema* dici consuevit.

Utile fuerit, ad praxin Logicam feliciter exercendam, rem tractandam reducere ad seriem suam, tum disciplinarem tum prædicamentalem, id est, scire ad quam disciplinam aut disciplinæ partem, & ad quam categoriam aut categoriæ classem res pertineat. Pro priori utile fuerit cognoscere divisionem ἐγκυκλοπαιδείας, id est, omnium facultatum ac disciplinarum, ac præsertim philosophiæ ejusque partium, an verbi causa res pertineat ad ethicam, an ad physicam, & ad quam alterutrius partem, &c. pro posteriori sciendum est accurate, quænam res pertineant ad prædicamenta directe, quænam indirecte; &, quæ directe pertinent ad ea, an subordinate, an coordinate isthuc pertineant. Quamvis autem 10. vulgo assignentur prædicamenta

menta pro classibus rerum cognoscendarum, tamen non videntur tot esse necessaria, quia sex posteriora nullas continent res, sed tantum modos rerum, vel in fiendo, vel in existendo, vel in agendo; modus autem omnis dicit respectum ac relationem ad rem modificatam: ideoque uti omnes relationes, ita & hæ commode referri possunt ad prædicamentum relationum, modo & hoc ipsum nomen prædicamenti mereatur: nam relationes sunt tam debilis entitatis, ut dici vix aut non possint entia realia, simplicia, per se una, universalia, completa, quæ tamen sunt conditiones ejus quod directe in prædicamentis ponitur. Itaque si debeat omne ens, & quidem reale, esse vel substantia vel accidens, aut quatuor tantum erunt prædicamenta priora, aut tria priora, aut, quod omnium est versimillimum, tantum duo, substantia & qualitas; nam quantitas vix quoque entis realis nomen meretur. Possunt quidem, verbi causa in mensa, hæc quatuor à mente distingui; lignum, quod est substantia; color, qui est qualitas; longitudo, latitudo & crassities, quæ est quantitas; & relatio figuræ quadratæ ad ipsam mensam quadratam: sed ut omnia ista quatuor sint entia realia, vix est credibile. Relationes autem non sunt; &, an quantitas ipsa ac figura ejus ens debeat dici reale, jure merito quis dubitet. Quæ indirecte pertinent ad prædicamentum, illuc referuntur, 1. fundamentaliter, ut *individua*, Petrus, hic albor; 2. analogice, ut Deus, item *transcendentia*, ens, unum: 3. collateraliter, ut *differentiæ*, rationalitas & irrationalitas: 4. reductive, ut entia *concreta*, justus, *aggregata* & *collectiva*, ut respublica, exercitus, &c. *partes*, ut manus, caput, &c. 5. per accidens; 1. ut entia *complexa*, homo est justus; 2. entia *intentionalia*, ut species intelligibiles & sensibiles, & colores apparentes; 3. *notiones secundæ*, ut Zodiacus, genus, tropus; 4. *relationes rationis*, ut dextrum & sinistrum in columna; 5. *privationes*, ut cæcitas, &c. 6. *ficta possibilia* ut mons aureus, & regia solis, &c. Ab omni categoria excluduntur, & directe & indirecte, ficta, impossibilia, & ambigua sive æquivoca, ante vocum ac rerum distinctionem.

V. Ut quis themata quælibet seu *generice* seu *analytice* feliciter pertractet, sex primum exercitiis præliminaribus animum suum præparet.

1. Primum exercitium erit in reductione rerum ad suos ordines & classes prædicamentales; ut quærenti cuicunque ad quod prædicamentum res cognoscenda seu thema pertineat, sciet Logicæ praxeos studiosus apte & ex tempore respondere: Cui inserviunt tabulæ prædicamentales a *Keckermanno* aliisque confectæ, & lib. 1. *Synopſ. Burgerſd. cap.* 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9.

2. Secundum

2. Secundum exercitium præliminare sit, in dignoscendis thematum notionibus secundis, aut respectibus & locis topicis, id est ut quærenti quem respectum topicum, *totius* an *partis*, *causæ* an *effecti*, *subjecti* an *adjuncti*, *generis* an *speciei*, an alterius, res habeat cognoscenda, exercendus sciat satisfacere; seu ut rerum gradus, affectiones logicas, & notiones secundas, ex rebus in ordine & classe prædicamentali dispositis erutas, bene discernere norit, qualis affectio & relatio aut respectus sit in themate propositio, an generis, an speciei, an totius, an partis, &c. istæ generales affectiones enumerantur in *Synopsi Burgersdiciana* hoc ordine; *Prædicabilia*, *Totum* & *Pars*, *Causa* & *Causatum*, *Subjectum* & *Adjunctum*, *Convenientia*, *Diversitas*, *Oppositio*, & *Ordo*. Quibus dignoscendis inservit *lib.* 1. *à cap.* 10. *ad* 23, inclusivè, ut loquuntur.

3. Tertium exercitium esto in dignoscendis rerum nominibus, atque interpretatione simplici, sed præsertim composita, quæ vulgo *enunciatio*, ab aliis *axioma* dicitur: cujus species, simplicem & compositam, & affectiones, universalitatem & particularitatem, infinitatem & singularitatem, veritatem & falsitatem, necessitatem & contingentiam, affirmationem & negationem, conversionem & oppositionem, exercendus recte intelligat, ac bene discernat: & præsertim bene respondere sciat, quem respectum topicum, seu quam affectionem mutuam, seu relationem logicam habeant subjectum & prædicatum in enunciatione proposita, an se habeant ut causa & effectum, an ut genus & species, &c. Huic negotio inserviunt *cap.* 24, 25, &c. *lib.* 1. *Synopf. Logic. ad finem.*

4. Quartum exercitium erit in exstruendis rerum definitionibus variis, tum perfectis tum imperfectis, & extructis in suas partes resolvendis; ut sciat exercendus & genus accurate ponere, & differentiam ex suo loco promere, inspiciendo seriem prædicamentorum, & percurrendo, notiones secundas; ut norit rem quamlibet, è vestigio definire, & definitionis cujuscunque partes rite discernere, & unde sint desumptæ, judicare. Huc faciunt *lib.* 2. *in Synopf. Burgerfd. cap.* 1, 2, 3, & 4.

5. Quintum exercitium erit in instituendis variarum rerum divisionibus, ita unam eandemque rem exercendus sciat & essentialiter & accidentaliter, seu per se & per accidens, in partes, tum universales, tum singulares, tum essentiales, tum formales, tum integrales, dividere, & divisiones quascunque dignoscere atque examinare juxta leges divisionis tradi solitas. Huic facit *cap.* 5. *lib.* 2. *Synopf. Burgerfd.*

6. Sextum exercitium præliminare erit, in conficiendis variis & quibuslibet cujuscunque figuræ aut modi syllogismis, ut logicæ praxeos studiosus sciat respondere de propositi syllogismi partibus, figura, modo, verumque à sophistico discernere ex legibus syllogismorum & fallaciarum doctrina norit; præsertim ut dicere possit, ex quo loco inventionis, seu ex qua affectione logica & notione secunda desumptus sit medius terminus, an à

parte

parte prædicati an à parte ſubjecti, & quam relationem ad utrumque dicat, an neceſſario concludat an contingenter; &, ſive ipſe ſyllogiſmos faciat, ſive factos reſolvat, quam habitudinem, cauſæ, effecti, generis, ſpeciei, oppoſiti, convenientiæ, &c. habeat terminus medius ad utramque partem quæſtionis, ſubjectum & prædicatum concluſionis. Conducunt ad hanc rem cap. 6. &c. ad *Synopſ. Burgerſdic. ultimum uſque lib.* 2. exclusive. Et hæc quidem ſunt exercitia logicæ præxeos ſtudioſo in anteceſſum præmittenda; quibus ſi animam mentemque præparaverit, in triplici intellectus operatione, longe facilior, expeditior, jucundior erit quælibet *Themata* per *geneſin* & *analyſin* cognoſcendi ratio.

VI. *Thema* dividi ſolet in *ſimplex* & *complexum*. Primum conſiderabimus Geneſin thematis ſimplicis, poſtea complexi.

VII. Tractatio genetica *thematis ſimplicis* continet ὀνοματολογίαν & πραγματολογίαν, id eſt, vel ſpectat ea quæ ad *nomen* pertinent, vel ea quæ *rem* ipſam concernunt.

VIII. Tractatio *genetica*, quæ verſatur circa *nomen* thematis ſimplicis, generales habet canones, in omni & quolibet themate ſimplici obſervandos.

IX. Tractatio genetica, quæ verſatur circa *rem* ipſam, ſpeciales habet canones pro diverſitate thematum ſimplicium quæ pertractanda veniunt.

X. Canones *generales*, in quovis themate ſimplici genetice pertractando quoad *nomen*, ſunt hi.

1. Thema ſimplex unica voce, ſi fieri poteſt, proponatur: & ſi in ea forte lingua in qua tractatio inſtituitur, thema non habeat unam aliquam vocem ſeu appellationem, ad aliam linguam confugiendum eſt inter doctos ufitatam; ut ſi agendum ſit de *naturali parentum amore erga liberos*, pro 5. iſtis vocibus Latinis commodius una vox ſubſtituitur Græca, στοργή.
2. Si vox ſit compoſita, reſolvi debet in ſimplices: ut ſi agendum ſit de *philoſophia*, eſt ſeorſim excutienda vox Græca utraque, σοφία & φιλῶ.
3. Ubi vox inventa fuerit, conſideretur an ſit abſtracta, an concreta.
4. Si vox fuerit derivata, adhibenda eſt ejus originatio ſeu etymologia.
5. Si vox ſit ambigua, reſolvendæ & enumerandæ ſunt ejus variæ ſignificationes: ſi una eademque vox aliter in alia diſciplina accipitur, colligantur ſignificationes juxta ordinem diſciplinarum.

6. Denique

6. Denique ſubjungenda ſunt vocula æquipollentia, vulgo ſynonyma, quæ vel in eadem lingua vel in linguis aliis principalibus (quales ſunt Latina, Græca, Hebræa,) ſunt uſitata; & addi poſſunt vocabula ex aliarum gentium linguis petita, præſertim ſi res de quibus agimus apud illas ortæ ſunt, vel magis uſitatæ.

XI. Hi ſunt canones circa *nomen* thematis ſimplicis obſervandi.

XII. Poſt nomen thematis ſimplicis explicatum, ad *rem* ipſam deveniatur: de qua ſtatim videndum *an ſit*; quod liquebit ſtatim ſi ad certam rerum claſſem aut prædicamentum reducere poſſis. Si enim thema ſimplex tractandum neque directe neque indirecte ad ullam categoriam pertineat, ac nuſquam in ordine prædicamentali exiſtat, habebitur pro non ente, & tractatio ejus cum ipſa nominis conſideratione finietur; ſi vero in aliquo rerum ordine ac prædicamento reperiatur, à quæſtione *an ſit* ad quæſtionem *quid ſit* tranſeundum eſt, ac tota thematis natura exponenda.

XIII. Hic pro varietate thematum ſimplicium non uno procedendum eſt modo. Eſt igitur tractatio genetica thematis ſimplicis vel *perfecti* vel *imperfecti*. *Perfectum* thema eſt, quod in claſſe rerum categorica, ſeu in prædicamentis *directe* collocatur; *imperfectum* quod *indirecte*. Quod directe in prædicamentis collocatur, debet eſſe ens reale, quod revera ponitur atque invenitur in rerum natura, verum, perfectum, unum, univerſale, ac diſtincta voce (non ambigua) ſignificatum. Cui aliqua ex hiſce conditionibus deeſt, illud indirectè in categoriis ponitur. Utrumque vel *ſubſtantiale* eſt vel *accidentale*.

XIV. Ut thema ſimplex *perfectum ſubſtantiale* pertractetur methodo genetica, ita procedendum eſt: poſt *nomen*, & quæſtionem *an ſit* inquirendum eſt.

1. *Genus proximum*, & ſimul *differentia*; quæ ſponte ſeſe exhibent in talibus prædicamentalibus diligenti inquiſitori.

2. Ubi genus & differentia inventa fuerint, per ſe *definitio* extrui poteſt ac debet; plus enim non requiritur. Interim, ſi in definitione haberi non poſſit genuina ſubſtantiæ differentia, quæ ſæpiſſime nos latet, ejus loco aſſumi poteſt proprium quarto modo, quod immediate ſubſtantiæ eſſentiam ſequitur: ut, cum ignis definitur elementum calidiſſimum, ſiccisſimum, leviſſimum.

3. Co-

3. Collecta ex genere & differentia, definitione thematis, jam *forma* ejus & *materia* (si habeant, ut habet eas substantiæ corporeæ) inquirendæ sunt, ac distincte considerandæ. Sed in spiritibus, invento genere, ac differentia, de materia formaque quas non habent, cogitandum non est, sed ad accidentia propria transgrediendum.
4. Post materiam formamque consideratas, examinari oportet *materiæ partes integrales*, præsertim principales; in corporibus tamen homogeneis materiam per partes explicare non est necessarium.
5. Hinc accedendum est ad *causas externas*, *efficientem* & *finem*.
6. Tum *accidentia propria*, veluti effectus a forma fluentes, totique composito inhærentes, enumerare oportet; etiam alia *accidentia effectusque*: in quibus tamen enumerandis, si magna satis eorum fuerit multitudo, aliqua observanda est methodus; quod fiet, si in certos ordines redigantur.
7. Addatur tum *divisio* substantiæ varia, & instituta ex accidentibus primariis, ex partibus integralibus manifestam distinctionem inferentibus, ex propriis effectisque, ac, si thema fuerit genus, præsertim enumerentur species: ubi hoc notandum, interdum thema prius esse dividendum per accidentia quam per species; veluti si quis naturam animalis explicare velit, prius erit divisio in marem & fœminam instituenda, quam in hominem & bestiam.
8. Postremo subjici oportet, quæ sint *convenientia* ac *cognata*, quæ sint *diversa* ac *pugnantia* substantiæ.

XV. Hi sunt canones *speciales* in themate simplici substantiali perfecto observandi: de quibus duo referam monita, diligentissime attendenda. Primo, probe tenendum est & attendendum, nihil eorum adferatur in tractatione speciei, quod debet tribui generi aut ad naturam generis spectat: hoc volo, ne causæ, effecta, proprietates cognata aut opposita tribuantur speciei, quæ tribui debet generi. Secundo, observandum est & hoc, si quod forte themati assignandum est aut genus aut tale quid de quo non constat inter omnes an sit, probandum est illud themati convenire; ut, si de Logica disseras probandum fuerit artem esse Logicæ genus. Hoc exemplum non quadrat, quia est accidentale.

XVI. De tractatione generica thematis perfecti *accidentalis*, canones speciales hi sunt.

1. Post institutam juxta canones generales accuratam *vocis* consideratio-

derationem, factoque examine *an sit* revera, an vero ens fictum, jam de *genere*, si ens sit, serio cogitandum.

2. Genere posito accidentis, sive absoluti sive relati, proximo statim *subjectum* ejus inquiratur: si accidens fuerit commune, ad suum primum & adæquatum subjectum debet reduci.

3. Si thema propositum fuerit relatio, cum relatio versetur inter duo extrema, quorum unum dicitur relatum, alterum correlatum, ideo utrumque est considerandum.

4. Post subjectum accidentium cogitetur de *objecto*, circa quod accidens est occupatum. Objecti autem consideratio potissimum locum habet in qualitatibus, & actionibus, quæ etiam ex accidentibus potissimum tractari solent: in quantitate, passionibus, & relatione, objectum considerare nihil est necesse.

5. Post considerationem objecti, investigandæ sunt *causæ efficientes principales*, & remota & proxima, potissimum vero proxima: in relatione vero, causæ proximæ vicem locumque tenet fundamentum. Si aliæ etiam fuerint causæ accidentis absoluti, *minus principales* atque *instrumentales*, apponi possunt.

6. Post efficientem causam assignetur *finis*, qui potissimum dominatur in qualitate & affectione: in relationibus vero causæ finalis vicem tenet terminus, qui inquirendus est, & in medium proferendus.

7. Ex hisce omnibus, *genere*, *subjecto*, *objecto*, *efficiente*, *fine*, jam inventis, componatur *definitio* accidentis, pro cujusque, sive absoluti, sive relati, natura. Ubi unum est notandum: omnes hosce terminos in omnium accidentium definitione non esse simul combinandos in una definitione; sed ut accidentia sunt diversa, ita diversa etiam ratio est definiendi ea: omnis tamen accidentium definitio hosce jam dictos terminos includit, si non omnes, saltem quosdam. Qua in re, juxta definiendi præcepta in *Logicis lib.* 2. *cap.* 3, 4. tradita, est procedendum.

8. Sæpe etiam *adjuncta*, *antecedentia*, *consequentia*, *concomitantia*, & *circumstantiæ* variæ sunt adhibendæ; quod, pro notitia thematis propositi, cujusque judicio est committendum: *effecta* præsertim distincte sunt enumeranda, quæ in plurimis accidentibus reperiuntur.

9. Sequatur *divisio*; vel in species, si thema propositum fuerit genus; vel in alia membra, quæ accidentibus conveniunt pro eorum natura.

10. Postremo accedunt *cognata*, *similia*, *diversa*, *opposita*; quæ enumerare præstat, quàm latius deducere.

XVII. Et hæc quidem ratio est tractandi generice themata simplicia perfecta, tum substantialia, tum accidentalia: sequitur thema *imperfectum simplex*, quod directe in prædicamentis non collocatur. Themata *imperfecta* dicuntur, vel *respectu intellectus nostri*, vel *ex sua natura*.

XVIII. Thema imperfectum *respectu intellectus nostri*, est thema infinitum, nimirum *Deus Optim. Maxim.* Est quidem Deus in se perfectissimus, ideoque natura sua notissimus; verum ob imbecillatem mentis nostræ, Deus inter imperfecta themata referri solet.

XIX. In tractatione hujus thematis *Dei*, sic est procedendum.

1. Post *nominis* considerationem juxta canones generales institutam, conceptus aliquis communis loco *generis* poni potest, licet Deus proprie genus non habeat: aut explicanda potius est absoluta, & tribus Personis communis, *essentia*.
2. Essentiæ considerationem sequuntur *proprietates* Dei *essentiales* & *actiones* ab essentia proficiscentes, creatio, conservatio, providentia, concursus.
3. *Cognata* etiam poni possunt, atque quæ Deo adversantur *opposita*. Hæc quidem sufficerint, si de Deo agendum metaphysice: sed si theologice, ulterius est procedendum; ac post essentiam, essentiales proprietates & actiones ostensas, ostendendum est.
4. In una Dei essentia tres esse *hypostases*, subsistentes *personas*: & singularum personarum *proprietates personales*, quibus personæ singulæ distinguuntur, explicandæ sunt: & addendum, quo distinctionis genere, cum inter se tum ab essentia, distinguantur, &c. demum *cognata* atque *opposita* subjici possunt.

XX. Thema *ex natura sua* imperfectum est vel thema *singulare*, vel *pars*, vel *concretum*, vel *collectivum*, vel *privatio*, vel *notio secunda*, vel *ens intentionale*.

XXI. Thema *singulare* est vel *substantia*, vel *accidens*.

XXII. Inter substantias, licet omnes singulares logice tractari possunt, sæpissime tamen omnium *personæ* tractantur. Circa *personæ* tractationem sunt hi canones speciales.

1. In personarum tractatione nihil est de *nomine* dicendum, nisi certo consilio sit impositum, aut divina quadam inspiratione, ut fiebat in V. T. ita ratio quædam subest in nominibus Abraham, Messias, Jesus, &c. Sed etsi nulla subest, si nomen cum studiis aut personæ moribus conspiret, tum quoque obiter indicari potest.
2. Considerentur tum *causæ*, præcipue *efficiens*, ubi agendum de causis ejus nativitatis, & circumstantiis loci ac temporis. Hic considerari debent parentes, majores, familia, & quæ conceptionem aut nativitatem præcesserunt, vel etiam consecuta sunt; modo talia sint, ut in ordinaria hominum nativitate non soleant evenire.

3. Tum

3. Tum enarrentur *accidentia* perſonæ, & *adjuncta*; quæ ſunt naturalia, & acquiſita. *Naturalia* vel ad corpus pertinent, vel ad animam. Ad corpus pertinent temperamentum, valetudo, forma, ſtatura, celeritas, robur, &c. ad animam, ingenium, judicium, indoles, memoria. *Acquiſita* ſunt religio, mores, ſtudia, eruditio, caſtitas, liberalitas, aliæque id genus virtutes. Et hæc deduci poſſunt omnia per ætates, pueritiam, adoleſcentiam, juventutem, virilem ætatem, & ſenium.

4. *Effecta* perſonæ ſunt res geſtæ: in quibus enarrandis, temporis, ac præſertim ætatis virilis, ratio habenda eſt.

5. Addenda ſunt *cognata*, quo nomine intelligi debent, fratres, ſorores, conſanguinei, amici, & ii omnes qui ſimilibus ſtudiis aut rebus geſtis claruerunt. Hæc cognata ſunt obiter recenſenda ſed inſtituta comparatione, quæ fuerit convenientia, indicandum.

6. Denique, *adverſa* ſeu *pugnantia* perſonæ recenſere oportet. *Oppoſita* vel externa ſunt, ut, hoſtes, inimici, æmuli: vel interna, ut, res adverſæ, morbi, & mors ipſa; cujus indicandæ ſunt cauſæ, ut, morbi genus, aut, ſi violenta fuerit, caſus adverſi quibus perſona periit. Connexa quoque mortis commemoranda ſunt, præſertim ſi quædam portenta ac ſigna fuerint, ſi quid memorabile dixerit in ultimo vitæ articulo. Poſtremo, mortis conſequentia, dolor aut lætitia communis in morte, ſepultura, honores & orationes funebres, &c.

XXIII. Tractatio thematis imperfecti *accidentalis*, ſuum etiam uſum habet, quare & ejus ratio proponenda fuerit. Illud vero obſervandum eſt, accidentia ſingularia non tractari, niſi addito *nomine* ſingularis ſubſtantiæ, & ſubjecti cui inſunt. Velut ſi tractanda ſit ſapientia Solomonis, nativitas Chriſti, philoſophia Socratis, expeditio Alexandri: aut ſimile quid.

1. Hic agendum eſt, poſt *nomen*, de ipſo *accidente in genere*; ut de philoſophia, ſapientia, &c. Tum conſideretur

2. Subjectum ſingulare, cui accidens per ſe ineſt.

3. *Objectum*, ſi accidens ſingulare objectum habeat circa quod verſetur.

4. *Cauſæ efficientes principales & minus principales* diligenter exprimendæ ſunt. *Finis* etiam, ſi hoc accidens ſingulare fuerit actio. His addenda ſunt *effecta*, ſi quæ particularia fuerint.

5. Sequantur *adjuncta*, *antecedentia*, *connexa*, *conſequentia*, aliæque *circumſtantiæ*, præſertim loci & temporis.

6. Ex hiſce omnibus, ſcilicet nominatione ſpeciei, aſſignatione ſubjecti, objecti, circumſtantiarum, cauſarum, efficientis & finis, fiat *deſcriptio*, ſeu *definitio imperfecta* ejus.

7. Nec prætereunda est *divisio* si accidens singulare tale sit ut dividi possit: veluti si de philosophia Socratis dicendum sit, explicandum erit seorsim, quid de physica, mathematica, ethica, &c. philosophiæ partibus, statuerit Socrates.
8. Postremo ponantur *cognata*, *diversa*, *opposita*, atque imprimis inter sese comparentur.

XXIV. Tractationem accidentis singularis sequitur tractatio *partis*, ubi solum tractanda venit *pars integralis heterogenea*. Hic considerari potest partis *materiale*, & *formale*, substantia & figura: deinde *accidentia*, ut temperamentum, & qualitates ortæ à temperamento, situs & connexio cum cæteris partibus, proprius partis usus & operatio, ad quam à natura adhibetur tanquam instrumentum. Denique adjungantur *cognata* & *repugnantia*: in *cognatis* observari debet convenientia & diversitas; in *repugnantibus* præcipue sunt morbi qui partem illam infestant.

XXV. In accidentibus *concretis* tractandis *nomen* concreti præter etymologiam debet reduci ad nomen *abstracti*, imo tota natura concreti debet resolvi in naturam abstracti: concreti enim in absolutum resolutio, est optima concreti explicatio. Itaque accidentis *abstracti*, in quod resolutum est concretum, considerentur *genus*, *causæ*, *objecta*, *effectus*, *cognata*, *pugnantia*, & ad *concretum* applicentur: etiam ex *subjecto*, quod erit loco generis, & *causis* ac *proprietatibus* accidentis in abstracto, conficiatur *descriptio* accidentis concreti.

XXVI. In tractatione thematis *collectivi*, post *nomen* 1. ponatur *genus*, quod est compages aut tale quid: 2. *materiale*, seu res illæ ex quibus thema collectivum conflatur; hoc materiale est instar *differentiæ* genericæ, quod genus remotum faciat quasi proximum; 3. *formale*, quod est ordo ac relatio earum rerum ad se invicem, ex quibus totum illud aggregatur: 4. tradatur *causa efficiens*, & *finis*, si thema collectivum certo fine coaluit, ut fit in mundo, exercitu, &c. sin minus, non est necesse causam efficientem aut finem poni. Ex hisce colligenda est *descriptio*; cui adjungantur *proprietas*, *cognata*, & *opposita*.

Tum

Tum ſubjungatur *diviſio*, ſi ſit, cui ſubjungenda eſt *differentia*: Verum rarius occurrunt hæc themata tractanda.

XXVII. In tractatione *privationis*, poſt *nomen*, ponendum eſt *genus* remotum, idque faciendum eſt proximum mentione *habitus* oppoſiti. Deinde *habitus* tractetur ut accidens, ſecundum canones jam ante relatos; ſed obiter: & ſic patebit *ſubjectum* privationis; cui tum addatur *cauſa* privationis *efficiens*, ſeu deficiens potius; &, ſi privatio ſit perfectiva, ut ſomnus, addatur & *finis*. Ex quibus, ſcilicet ſubjecto & cauſis, fiat *deſcriptio* privationis, cui ſubjiciantur *diviſio*, *proprietates*, *effecta*, ſi quæ ſunt, *pugnantia* & *cognata*.

XXVIII. In tractatione *notionum ſecundarum*, poſt *nomen* diligenter excuſſum, ponatur *genus* proximum & remotum: deinde accurate explicetur notionis ſecundæ *objectum*, ſive res illa, aut ὄψις potius ad rem, quæ illa notione repræſentatur; & hinc formetur *definitio*; huic adjungantur *proprietates* & *cognata*. *Repugnantia* hîc nulla ſunt.

XXIX. In tractatione *entis intentionalis*, ſive imaginis, explicato *nomine*, & propoſito *genere*, explicetur ejus *figura*, ſi ſit certa & conſtans, ut in iride: deinde ponatur *ſubjectum*, *objectum*, *cauſa efficiens*; ubi explicetur modus generationis, & ſimul quomodo ſubjectum debeat eſſe diſpoſitum ad imaginem propoſitam recipiendam. Ex quibus confici poteſt *definitio*; adjectis, ſi ſint, *proprietatibus*, *cognatis*, *repugnantibus*.

XXX. Iſta quidem eſt methodus tractandi per geneſin themata ſimplicia, perfecta & imperfecta, ſubſtantialia & accidentalia: ſequitur tractatio generica *thematis complexi*.

XXXI. Ut itaque *complexum* feliciter tractetur, neceſſe fuerit videre, ſi praxeos logicæ ſtudioſus eouſque ſit provectus, ad quam pertineat diſciplinam thema complexum quod eſt propoſitum: illud vero conſtabit facile, ex conſideratione partium thematis complexi, quæ ſunt *ſubjectum* & *prædicatum*; unde vulgo diſtingui ſolet in purum & mixtum: purum, cujus extremum utrumque ad

eandem pertinet disciplinam; mixtum, cujus extrema ad diversas pertinent disciplinas, unum ad hanc, alterum ad illam. Sed hæc sciri nequeunt, nisi ab eo qui jam philosophiæ, ejusque partium, scientiarum, artium, facultatum, ac disciplinarum divisiones noverit.

XXXII. Hac consideratione veluti præmissa, aut si id facere ignoraverit tyro, hoc, quod sequitur, commune est utriusque officium: scilicet, ut subjectum & prædicatum thematis complexi rite suo loco collocentur, ut id quod ex natura extra mentem est subjectum, subjiciatur, quod in natura non subest, sed inest, prædicetur.

XXXIII. Tractatio thematis complexi distingui solet in *solitariam* & *sociam*: illa est quæ instituitur, adversario nec præsente nec instante, ac dici potest *meditatio*; hæc, quæ cum adversario præsente atque instante instituitur solet, ac dici solet disputatio.

1. *Meditatio*, seu tractatio thematis complexi *solitaria*, jubet statim inspici problematis seu quæstionis *subjectum* & *prædicatum*, sitne utrumque substantia an accidens, an directe an indirecte collocetur in categoriis, & in qua categoriarum serie utrumque inveniatur: utilissimum quoque fuerit, utrumque vel agitatione mentis, vel claris verbis tractari, tanquam thema simplex, hoc enim facit ad euporiam, seu facilem inventionem mediorum.

2. Hinc accedendum est ad *statum controversiæ* rite rectèque formandum, ad quam rem requiritur, ut subjecto & prædicato, suo loco positis, addantur particulæ syncategorematicæ, quo quantitas thematis complexi queat dignosci, ut sunt *omnis*, *aliquis*, &c. tum afferatur modo indicativo, verbis perspicuis, ab omni ambiguitate remotis. Quod si fieri nequeat, propter ipsius rei obscuritatem aut propter verborum defectum, addatur quædam explicatio per periphrasin. Et sic statu controversiæ constituto in affirmantem aut negantem sententiam, cogitandum est de *argumentis*, quibus sententia thematis propositi probari potest.

3. *Argumenta* duci possunt ex natura subjecti & prædicati; cujus utriusque si considerentur affectiones logicæ, jam copia & seges sese offert argumentorum, quibus veritas thematis complexi propositi probari queat.

4. Argumenta ista erunt vel *artificialia*, vel *inartificialia*, id est, vel rationes vel testimonia, quæ a se invicem sunt distinguenda. Hic duo notanda veniunt.

1. Unum

5. Unum eſt, ut rationes præcedant, ſi thema fuerit philoſophicum aut medicum: ſed ſi fuerit theologicum vel juridicium, contra; juriſperitus enim ſine lege, theologus ſine Dei verbo, loqui erubeſcit. At in philoſophia aut medicina primas tenet ratio, ſecundas teſtimonium.

6. Alterum eſt; non inconſultum quoque fuerit circa rationes, diſtinguere argumenta probabilia à neceſſariis: utrum vero probabilia an neceſſaria priori loco ponantur, parum refert.

7. Poſt ſingula argumenta adjungendæ ſunt adverſariorum *ſolutiones*, atque *exceptiones* quæ ab iiſis fieri ſolent ad argumenta propoſita, vel *negatione ſimplici* argumenti allati, vel *diſtinctione*, vel *limitatione*.

8. *Diſtinctiones* aliæ ſunt *generales*, & quibuſlibet argumentis applicari poſſunt; aliæ *ſpeciales*, quæ huic aut illi argumento applicantur: illæ prius in genere refutandæ ſunt, hæ ſigillatim retellendæ. Si quid ab adverſariis negari poſſe putetur, illud confirmandum eſt.

9. *Diſtinctiones refutantur*, ſi oſtendatur 1. membra diſtinctionis coincidere: 2. contradictionem implicari: 3. difficultatem & vim argumentorum poſitâ diſtinctione remanere. Sic & *refutantur limitatione.*

10. Poſtquam argumentis ſententia vera & noſtra fuerit confirmata, accedendum eſt ad *refutandam ſententiam adverſarii*; &, ſi plures ſunt ſententiæ diſſentientium, ſingulæ ſeorſim refutandæ ſunt, ſi ſeorſim refutari poſſunt.

11. *In refutatione* obſervandum eſt primum, ut argumenta directe opponantur ſententiæ contrariæ; deinde partes argumentorum ideneis diſtinctionibus & limitationibus fulciendæ ſunt, adverſus adverſariorum ſolutiones; tandem accedendum ad ſolutionem argumentorum, quibus adverſarii aut ſuam ſententiam confirmant, aut noſtram convellunt. Si quid adverſus ſolutiones allatas excipi poſſe videtur, id quodque refutandum eſt.

XXXIV. Et hæc ſolitaria ac privata ratio eſt thematis complexi generice tractandi, quam *meditationem* vocavi; ſequitur ſocia ac publica, quæ *diſputatio* dicitur.

XXXV. Hæc ut debite inſtituatur, nonnulla circa ejus *materiam*, alia circa ejus *formam* ſunt obſervanda.

XXXVI. Circa *materiam* diſputationis ſunt hæ tenendæ regulæ. 1. Quicquid excedit captum diſputantium, de eo nulla fiat diſputatio. 2. Quicquid controverſum non eſt, objectum diſputationis eſſe non debet. 3. Materia diſputationis ſit utilis & gravis, & ad veritatem indagandam inſtituta.

XXXVII. *Forma* disputandi consistit in collatione, διαλέξει, ideoque ad eam distinctæ requiruntur personæ, inter quas διαλέξις & collatio mutua institui queat: harum una impugnat alterius sententiam, altera sententiam suam tuetur & defendit. Prior *opponentis*, posterior *respondentis* nomine venit.

XXXVIII. *Respondens* est superior, qui *præses*; inferior, qui *defendens* vulgo dicitur.

XXXIX. *Defendens* & *opponens* partes habent quasdam *communes*, quasdam *propriæ*.

XL. Canones utrique parti *communes* quidam ex Logica, quidam ex Ethica desumuntur; agendum enim in disputando & Ethice & Logicè.

1. Ad disputationem ab utraque parte adferri debet animi bona intentio, quæ non gloriam, sed veritatem quærat.
2. Adferri debet animus purus & liber ab omni præjudicio.
3. Neuter alterius partes suscipiat, neque opponens in parte respondentis involet, aut contra.
4. Conveniant inter se de certis præcognitis principiis, ne de re utrimque concessa disputetur.
5. Brevitati & perspicuitati imprimis studeatur, omissis rhetoricationum ambagibus & longis declamationibus.
6. Patienter alter alterum exspectet, dum orationem absolvat.
7. Ab omni contumelia, convitio, calumnia, ac risu sycophantico, utrimque abstineatur; & ante victoriam acceptam ne triumphetur.
8. Status controversiæ firmiter utrimque ponatur, ac probe cognoscatur, nec inter disputandum mutetur.

XLI. *Speciale* utriusque etiam est officium: ac primo *opponentis*.

XLII. *Opponentis* est 1. thesin impugnare objectionem movendo; 2. ad solutionem datam instare, excipiendo. Ut feliciter thesin impugnet, requiritur.

1. Ut sententiæ respondentis directe contradicat; quod ut fiat, oportet ante omnia diligenter thesin respondentis considerare, & accurate despicere, quomodo ei antithesis directe opponi possit.
2. In thesibus respondentis, si plures sint, ut fere esse solent, examinandis, accurate distinguat opponens argumenta seu rationes quibus theses probantur, ab ipsis thesibus quibus probandis adhibentur: aliud enim est argumenta destruere, aliud thesin evertere. Itaque aliter est versandum circa thesin, aliter circa theseos probationem.

3. In

3. In examine probationis consideretur, num argumenta thesi conveniant, num eidem probandæ sufficiant, an vero aliena sint à thesi ac minus firma,

4. Thesin autem ipsam expendere oportet, utrum sit affirmativa an negativa, universalis an particularis, synonymica an paronymica; adeoque, secundum affectiones logicas enunciationis eam examinare oportet.

5. Tum oportet formare antithesin & directam oppositionem secundum leges contradictionis, quas præscribit Logica; & non contradicendum verbis tantum theseos, sed sensui & menti ipsius adversarii.

6. Si quis non directam antithesin faciat, facile committit peccatum illud quod vocant ignorantiam elenchi.

7. Thesi expensa, cogitandum est opponenti de termino medio, qui invenitur utrumque conclusionis membrum deducendo per loca inventionis aut affectiones logicas, vel afferendo authoritates quæ non possunt reject.

8. Terminus medius cum partibus quæstionis syllogismo bono comprehendatur.

9. Sed in mediorum inventione delectus est habendus, neque enim argumenta omnia æque ponderosa sunt.

10. De authoritate hoc etiam tenendum, non esse extra theologiam utendum multa authoritate.

11. Argumentum, syllogistica forma brevissime & perspicue inclusum, clare proponatur; ac, si fieri possit, forma plerumque sit categorica.

12. Duplici genere argumentationis uti potest opponens; & directa seu offensiva, & ea quæ ducit ad absurdum.

13. Præterea, non ea tantum moveat argumenta quæ ex problematis natura peti possunt, sed etiam quæ ex adversarii hypothesi sequuntur.

14. Imprimis urgere potest respondentem ex concessis.

15. Ante omnia attendat diligentissime opponens, ut propositionem, vel negatam vel distinctam, eandem assumat, ac faciat sui syllogismi conclusionem.

16. Semper legitimos & bonos syllogismos producat, conformes legibus syllogisticis.

17. Si figura argumenti sui repudietur, requirat canonem logicum in quem peccet, aut, si ipse viderit, statim corrigat.

18. Si ad materiam respondeatur, ut plerumque, videat an sit distinctio vocis ambiguæ, an limitatio, an negatio.

19. Si ad distinctionem aut limitationem respondeatur, responsio ad leges & canones distinctionis & limitationis examinetur.

XLIII.

XLIII. Speciale officium *respondentis*, scilicet *inferioris* seu *defendentis*, est, argumentum assumere opponentis, & solvere.

1. Respondens non assumat, nisi jam dicendi finem fecerit opponens.
2. Iisdem verbis repetat, quibus argumenta fuerunt proposita.
3. Si opponentis argumentum sit vitiosum, vel obscuritate laboret, monebit eum respondens; vel si juvandus sit opponens, tum licebit evidentioribus verbis & alia figura idem argumentum proponere,
4. Si opponens prolixa utatur declamatione, vel confusa argumentatione, vel obscura locutione, monebit respondens, ut breviter & clare proponatur argumentum in certa figura ac modo.
5. In assumendo argumento prius considerabit ejus figuram, postea materiam.
6. Si forma sit vitiosa, rejiciatur, indicato vitio.
7. Ubi argumenti formam rectam esse viderit ac respondere cogitat, videat primum, an conclusio recte feriat suam thesin.
8. Si non recte ei opponatur, non est necesse respondere aliud, quàm quod ignoratio elenchi sit.
9. Si conclusio sit multiplex, distinguatur: distinctione adhibita, ostendatur in quantum contradicat suæ thesi, & adhibeatur responsio.
10. A conclusione transeundum ad præmissas, & primum ad majorem, deinde ad minorem.
11. Propositiones veræ concedendæ sunt, falsæ negandæ, ambiguæ distinguendæ.
12. Si propositio universalis partim vera est, partim falsa ex ambiguitate, adhibenda est distinctio.
13. Si major universalis sit simpliciter falsa, adferenda est instantia ad falsitatem universalitatem ostendendam.
14. Major propositio neganda si sit hypothetica, debet negari consequentia; si disjunctiva, disjunctio; si categorica, simpliciter neganda.
15. Si distinctio adhibeatur majori, eadem est applicanda minori & conclusioni.
16. Nunquam vero responderi debet negando, si solvi possit argumentum distinguendo & limitando.
17. Major rarius falsa est aperte, sed sæpius ambigua; ideoque frequentius distinguenda ac limitanda, quàm neganda.
18. Minor rarius venit limitanda vel distinguenda, sæpius neganda.
19. Nunquam ad minorem respondendum est, nisi constiterit ac certum sit majorem esse extra omne vitium.

20. Imo

20. Imo minor nunquam limitanda est, nisi limitata majore.

21. Si authoritates respondenti objiciantur virorum doctissimorum, illæ non sunt arroganter ipsi rejiciendæ; sed aut conciliet eas cum sua sententia; aut, si non possit, alterius viri æque clari ac docti adducat argumentum.

22. Licebit & respondenti interdum responsione uti indirecta, & argumentum retorquere in opponentem, vel aliud fortius adducere.

23. Nunquam tamen est utendum indirecta responsione, nisi prius sit responsum directe.

XLIV. *Respondens superior* vocatur *præses*; cujus munera duo sunt, regere & succurrere.

1. *Regimen* Præsidis in eo consistit, ut diligenter præses attendat utrum opponens & respondens suo officio fungantur necne; si utrumque aut alterutrum ab officio suo recedentem conspexerit, eum sui muneris admoneat, & intra limites, præsertim disputationis, contineat, ne extra oleas, quod dici solet, vagentur.

2. *Subsidium* Præsidis in eo est, ut solutionem respondentis approbet & commendet, obscuram illustret, imperfectam perficiat, fallam corrigat, ac, si eum argumentis adversarii constrictum videat, eum exsolvat, omnibusque modis licitis defendat.

XLV. Ista fuit *genesis* tum simplicis tum complexi thematis: *analysis* sequitur.

XLVI. *Analysis* vulgo statuitur triplex; *grammatica*, *rhetorica*, *logica*. *Grammatica* circa vocabula & phrases, *rhetorica* circa utriusque ornamenta versatur. *Logica* analysis est, qua expenditur artificium explicationis, probationis, ordinationis, quod in opere conficiundo est adhibitum: de ea hic tantum agimus.

XLVII. Ut genesis vel *thematis* fuit *simplicis*, vel *complexi*, ita & analysis.

XLVIII. Utriusque *analysis* dividitur in *internam* & *externam*.

XLIX. *Externa* analysis est, vel de *scriptore*, vel de *themate scripto*.

L. De *scriptore* cognoscendum est obiter in resolutione; qualis fuerit ejus *vita*, deinde *occasio* scribendi, & *causa impulsiva* quæ authorem movit ad tractationem thematis.

LI. De

LI. De ipſo *themate* cognoſci poteſt ejus *neceſſitas*, *utilitas*, *dignitas*, *jucunditas*.

LII. Analyſis *interna* eſt, qua recognoſcimus ipſum modum tractationis in *themate ſimplici* & *complexo*.

LIII. Circa utriuſque analyſin tria ſint obſervanda.

1. Tota thematis tractatio prius perlegenda eſt antequam analyſis inſtituatur.
2. Amplificationes ſunt diligenter diſcernendæ, diſtinguendæ, ſeparandæ ab explicatione thematis, &, cum ad Rhetoricam pertineant, iſthuc ſunt refellendæ.
3. Ii termini ſunt in analyſi obſervandi, qui ab authore fuerunt adhibiti; non plures, non pauciores.

LIV. De reſolutione *thematis ſimplicis* ſunt canones generales & ſpeciales.

LV. *Generales* ſunt, qui in omni themate ſimplici locum habent; *Speciales*, qui locum tenent in hoc vel illo, ſubſtantiali vel accidentali, perfecto vel imperfecto.

LVI. Canones *generales* ſunt hi.

1. Ante omnia, ipſum thema, tanquam totius reſolutionis fundamentum, objectum, & ſcopus, erui debet; quo omnia quæ author dicit ſunt in analyſi referenda. Quod facilius fiet, ſi quædam inſcriptio aut exordium, aut ſimile quid præmiſſum fuerit ab authore qui illud thema pertractaverit.
2. Cogitetur diligenter, an thema ſimplex unica aut pluribus vocibus, an propria vel impropria, an certa vel ambigua voce, proponatur ac pertractetur ab authore quem reſolvimus.
3. Diſpiciendum tum eſt ſerio, an illud thema ſit perfectum & in ordine prædicamentali, vel imperfectum & extra categorias locatum, an ſingulare vel univerſale, ſubſtantiale vel accidentale: ut enim alia ſunt præcepta tractandi per geneſin thema univerſale, alia tractandi ſubſtantiale, alia accidentale; ita reſolutio multo facilius inſtituetur ad ipſam thematis naturam authoriſque mentem, ſi, quale thema ſit pertractatum, obſervatum fuerit.
4. Quia raro fit, ut thema aliquod ſimplex per omnia inſtrumenta notionum ſecundarum pertractetur ideo in analyſi thematis ſimplicis adjiciendus eſt animus tantum ad iſtas notiones ſecundas, per quas author thema ſuum pertractare voluit; nam in reſolutione non debet eſſe plus quam fuit in compoſitione: & omiſſas notiones logicas addere, non pertinet ad analyſin, ſed ad geneſin.
5. Notiones ſecundæ quæ adhibentur in thematis ſimplicis reſolutione indicentur ex logicis, an ſint genus, cauſa, proprietas, effectus, &c. nam iſti termini non ſolent ab authoribus uſurpari, ſed res

res tantum quæ est genus, vel causa, vel proprietas, &c. adhiberi; solent enim authores res dicere per notiones primas; itaque analysis notiones primas revocabit ad secundas, & indicabit, quo pertineant notiones primæ ab authoribus usurpatæ.

6. Nec eo ordine, nec eo loco ponuntur ab authoribus affectiones cum adhibentur, & termini Logici, aut potius res iis significatæ, quo poni debere canones ante positi jubent: itaque assuefaciet se in tempore praxeos logicæ studiosus, ut alicujus authoris tractatum de aliquo themate simplici agentem confuse in charta sua notet, & simul terminos logicos sub quibus analysin instituet, & eo ordine & loco quo res tractari logice debuisset, addito loco ipsius scripti, ubi hic vel ille terminus, vel res potius termino nunc logico expressa, fuerit ab authore pertractata.

LVII. Canones *speciales* sunt juxta divisionem thematis simplicis à nobis instituti in genesi.

LVIII. Si thema resolvendum sit *substantia universalis*, sequentes canones tenendi sunt.

1. Disputiendum est, quæ *definitionis* ejus *principia* sint constituta, &, quia substantia solent definitione essentiali definiri, videndum est, quodnam ejus genus ab authore sit assignatum, quæ differentia, & an recte constituatur.
2. Quod si contingat, ut author principia tantum definitionis ponat, definitionem ipsam non collocet, ea colligenda est analytico ex partibus positis.
3. Postquam definitionem analyticus invenit, aut ejus partes, genus & differentiam, videat an author thema explicat è suis *causis*, tum externis, tum internis: quod si contingat expresse materiam ac formam non poni, sed implicite in definitione involvi, in resolutione distinctius & dilucidius debent monstrari. Quod si efficiens & finis ab autore sint omissa, omittantur quoque.
4. Videndum est, an materiæ partes integrantes, seu implicite seu explicite, ab authore ponantur: si ponantur, non sunt negligendæ.
5. Post essentiam substantiæ universalis inventam, considerari debet, an author addiderit *proprietates* & *effecta*, &c. quæ in tractando tali themate observanda esse diximus.
6. Inquiratur in *divisionem*, unam, aut plures, & membra ponantur distincte, terminis & notionibus logicis induta.
7. Tandem inquirendum in *cognata oppositia*, &c. quæ in talis thematis generica tractatione observari debent.

LIX. Similiter procedendum est in resolvendo themate *accidentis universalis*, juxta regulas geneseos nuper positas. Atque hic hi canones tenendi sunt.

1. Ad quod prædicamentum pertinet videndum eſt, an ſit abſolutum accidens, an relatum.
2. Quo *nomine* veniat apud authorem.
3. Obſervandum eſt *genus*, ſit ſit expreſſum, quale ſit, proximum an remotum.
4. Inquirendum eſt in *ſubjectum*, quod & quale ei conſtituat author; ſi fuerit relatum, an relationis tum ſubjectum, tum terminus, tum relatum, tum correlatum, bene ſit expreſſum.
5. Inquirendum eſt in *cauſis*, efficientem & finem, proximam & remotam, num ſint poſitæ, & quæ: & an fundamentum relationis ſit expreſſum. Si author accidenti tribuat materiam & formam hoc & notandum, ſed & refutandum.
6. *Effecta*, *ſpecies*, *partes*, *cognata*, *oppoſita*, & quæcunque obſervari debent in ejus tractatione, hic ſunt indaganda. Nam eadem via eſt analyſeos quæ geneſeos, ſed contraria.

LX. Sequitur reſolvendum *thema ſimplex imperfectum*: primo *ſubſtantiale*, ſcilicet *individuum*, & quidem *rationale*, id eſt *perſona*: nam hominum ſingularium tractationes occurrunt præſertim in hiſtoriis, qua ſacris, qua profanis.

LXI. In analyſi *perſonarum*, nec *genus* nec *ſpecies* occurrent, quia ea non habent; ſed attendendum ad ea quæ de perſona dici poſſunt, juxta regulas ante traditas in geneſi.

LXII. Antequam ad ſpeciales reſolvendi hoc loco canones accedatur, poſtquam tota hiſtoria fuerit perlecta, obſervandum eſt in genere, quodnam *vitæ* genus tribuatur perſonæ ab authore, an fuerit perſona privata, an publica, an politica, an eccleſiaſtica, &c.

LXIII. His peractis, ſic eſt procedendum juxta hos canones.

1. *Nomen* perſonæ, & imprimis in hiſtoriis ſacris, probe eſt notandum ac obſervandum; quandoquidem non temere, ſed certo conſilio plerumque eſt impoſitum: ubi circumſtantiæ, ratione quorum nomen fuerit impoſitum, ſi referantur, etiam notandæ ſunt.
2. Nomine excuſſo, excutiantur *cauſæ*, præſertim efficientes, ſi author eas habet: ubi præſertim attendendum, quomodo ſit deſcriptus ortus ac nativitas ejus, & circumſtantiæ loci, temporis, &c. quæ huc ſpectant, in reſolutione ponendæ ſunt.

3. Præ-

3. Præſertim attendendum, an narret author quaſdam perſonæ *proprietates*, *effecta*, & quæ referat *cognata* ac *pugnantia*; ubi imprimis mors attendenda, & in analyſi ponenda, cum iis circumſtantiis quibus narratur.

LXIV. *Accidentis ſingularis* aliorumque thematum imperfectorum analyſis tota dependet ex eorum tractatione, & iſtis regulis inſiſtatur in reſolvendo, quibus utimur in componendo.

LXV. Hæc quidem analyſis eſt thematis ſimplicis, quæ fundamentum eſt omnis reſolutionis in themate complexo. *Thema complexum* vel *nude* ab autore aliquo *proponitur*, vel ſuis etiam *argumentis confirmatur*.

LXVI. Quando *nude proponitur*, tum tota analyſis thematis complexi inſtituenda eſt juxta regulas & leges in doctrina enunciationis explicatas, & explicari ſolitas; ut, ſcilicet, enunciatio aliqua, quæ eſt thema complexum, in partes ſecetur, & qualitas & quantitas ejus inveſtigetur; an ſit enunciatio vera an falſa, neceſſaria an contingens, affirmans an negans, &c.

LXVII. Hoc modo reſolvi poſſunt omnia ſcripta ſententioſa, verbi cauſa Syracidæ, Solomonis, aliorumque: in talibus enim logica analyſi, nihil aliud præſtare poteſt, quam ut dicat tot ac tales eſſe in aliquo capite enunciationes, eaſque enumeret, & prædicatum & ſubjectum, & utriuſque quantitatem ac qualitatem oſtendat: quæ res cum facilis ſit, & ex doctrina enunciationis conſtet, novis præceptis hic nihil eſt opus.

LXVIII. At vero cum thema complexum *argumentis confirmatur*, particularibus opus eſt præceptis.

LXIX. Analyſis thematis complexi *confirmati* vel ipſius thematis propoſiti *naturam* conſiderat, vel *modum* quo illud pertractatum eſt.

LXX. Circa analyticam conſiderationem *ipſius thematis* complexi propoſiti ſequentes obſerventur canones.

1. Propoſitio ſeu thema complexum authoris ante omnia eruatur ex textu ſeu ſcripto authoris, juxta canonem generalem.
2. Propoſitio illa aut enunciatio, ſi modo indicativo ab authore non proponatur, ad eum reduci debet.

3. Tum

3. Tum videndum, an propositio sæpe in textu repetatur; quod si fiat, hæ repetitiones in unum colligendæ sunt, & pro una propositione sumendæ. Ista repetitio thematis complexi sæpe fieri solet in materia petitoria, exhortatoria, laudatoria, &c.
4. Si propositio ab authore non fuerit repetita simpliciter, sed etiam ab eo explicata aut limitata, ante argumentorum quibus confirmatur resolutionem, explicatio illa & limitatio indicanda est.
5. Quod si author non explicarit aut limitarit, & tamen propositio limitatione aut explicatione indigeat, eam instituere debet analyticus.
6. Tum consideretur, an propositum thema complexum sit universale, vel particulare, vel singulare, an sit thesis an hypothesis, an sit theoreticum vel practicum, &c.
7. Thema complexum theoreticum notitiam tantum pro fine habet: ideoque tantum vel probatur vel refutatur: at practicum affectus movet & impellit ad aliquid agendum; itaque amplificationes potissimum comitantur, quas non præteribit analyticus, sed eas etiam resolvet, & argumenta, verbi causa adhortantia, dehortantia, laudantia, vituperantia, suadentia, dissuadentia, &c. indicabit.

LXXI. Et hæc quidem est consideratio ipsius thematis complexi, quam sequitur consideratio *mediorum* per quæ, & *modi* quo thema ab authore fuerit tractatum.

LXXII. Hic consideranda sunt quam diligentissime *argumenta* tum *declarantia*, tum *probantia* seu *confirmantia*, tum *refutantia*, insuper παραλήψεις & *objectionum solutiones*, denique *amplificationes* & exaggerationes.

LXXIII. De singulis hi tenendi sunt canones.

1. Argumenta primum *declarantia* & *confirmantia* seorsim sunt collocanda, & ad suas sedes referenda; *probantia* deinde sunt *refutanda* & examinanda, utraque sunt artificialia vel inartificialia.
2. De artificialibus videndum, an sint necessaria vel contingentia.
3. Argumentum seu medium artificiale reducatur ad suam notionem secundam a qua fuit desumptum; alii dicunt, ad suum locum inventionis.
4. Medium diligenter conferatur cum subjecto & prædicato conclusionis inter resolvendum, ut, quam habitudinem vel respectum, causæ an effecti, subjecti an adjuncti, &c. ad ea dicat, cognoscatur.
5. Videndum an aliqua ex præmissis sit omissa, & tum ea addenda est analytico: si aliqua præmissarum prosyllogismi probatur, in reso-

resolutione prosyllogismi eodem processu utendum, quo usus est analyticus in resolutione syllogismi principalis.

6. Circa *prolepses*, tacitasque aut occultas *objectiones*, notandum est, illas diligenter esse secernendas à confirmatione, & ad syllogisticam formam esse reducendas; simulque attendendum, quomodo author in textu ad illas objectiones respondeat.
7. Authoris responsiones sunt resolvendæ, & ad objectiones à resolvente applicandæ.
8. Quales in authore resolvendo syllogismi occurrunt, tales sunt in analysi ponendi, non alia figura aut modo.
9. De *amplificationibus*, hoc tenendum est, eas referendas esse ad sua certa loca, & speciatim in suas partes esse resolvendas: exornationes ad schemata rhetorica reduci debent; probationes & objectiones earumque refutationes, proprie ad Logicam pertinent. Quare hisce etiam maxime à studiosis praxeos logicæ est immorandum.

LXXIV. Hæc est resolutio thematis complexi, tum nude propositi, tum argumentis confirmati; magis tamen & sæpius occurrent analytico resolvenda posterioris, quàm prioris generis themata complexa.

LXXV. In hac utraque resolutione quando ad simplices enunciationes deventum est, aut ad nudos syllogismos, ad ipsa præcepta Logicæ recurrendum est, & juxta illa analysis eorum instituenda est, ad themata usque simplicia.

LXXVI. Quia, quodcunque resolvendum proponitur, fere *tractatus* est, multis constans enunciationibus seu thematibus complexis; summatim hîc ejus resolvendi rationem in tali negotio comprehendam, aliquot canonibus.

1. Fiant legitima præcognita de *authore* scripti, *scripto* & *objecto*, atque *occasione*, juxta 50. canonem.
2. Instituatur generalis *partitio* totius tractatus; atque imprimis *distinctio* instituenda est secundum diversa themata, ut tot sint partes tractatus, quot sunt themata ibi tractata: &, si sit divisus in capita, quælibet capita ad suas partes, id est themata, referentur.
3. Facta resolutione ista generali, accedatur ad resolutionem particularem singulorum membrorum, & capitum in quibus vel tractatur thema simplex vel complexum; & tum porro pro ratione alterutrius procedendum est juxta regulas datas.

LXXVII. Hæc quidem analyſis eſt quorumvis thematum, Analyſis *facultatum* & *diſciplinarum*, quæ his ſolet ſubjici, tota dependet ex doctrina duplicis methodi ſyntheticæ & analyticæ, unde peti debet.

LXXVIII. Qua methodo facultas aliqua aut diſciplina conſcribi debeat, hac reſolvitur.

LXXIX. *Diſciplina contemplatrix* reſolvitur, ut 1, inquiratur *ſubjectum*, 2. ſubjecti *principia generalia* & *affectiones generales*, 3. ſubjecti *ſpecies* & *affectiones ſpeciales*, 4. affectionum ſpecialium *cauſa* & *principia ſpecialia*.

LXXX. *Diſciplina operatrix* reſolvitur, ut, 1. inquiratur *finis* operatione acquirendus, 2. *ſubjectum* in quod finis introducitur, 3. *media* per quæ introduci debet.

LXXXI. Sedulo hic eſt obſervandum, præcepta à commentariis diligenter eſſe diſtinguenda; multa enim in reſolvendo invenientur addita commentariis, quæ non pertineant ad præcepta.

FINIS.

AUCTA-

AUCTARIUM
DE
ANALYSI THEOLOGICA
S. Scripturæ.

I. *Analysis* theologica *Scripturæ* est, vel integri *Libri*, vel *Capitis*, vel *Sectionis* alicujus capitis, sive unum sive plures versus contineat.

II. In analysi cujusque *libri* danda est opera, ut habeamus divisionem principalem; de qua hi sunt canones, ad judicium informandum.

1. Quidam libri dividi possunt secundum principales personas; ut Geneseos, libri Samuelis, Regum, & Chronicorum, & Acta Apostolica.
2. Quidam dividi possunt secundum personas, res, & actiones: ut Leviticus.
3. Quidam habent prologum, rem ipsam, & epilogum; ut quidam prophetici, & omnes epistolici.
4. Quidam methodum habent dialogisticam; ut liber Jobi, & Canticum Canticorum: ideoque resolvi debent in dialogos.
5. Quidam dividuntur secundum subjectam materiam in certas classes seu potius locos communes, ut Psalmi, & Proverbia.
6. Quidam resolvuntur in certas conciones: ut Esaias, Jeremias, Ezechiel.
7. Quidam in historiam & prophetias: ut Daniel.
8. Quidam in visiones & conciones: ut Zacharias.
9. Quidam in visiones meras; ut Apocalypsis.
10. Quidam in curricula vitæ unius personæ; ut 4. Evangelia secundum periodos vitæ Christi.
11. Quidam in diversas profectiones unius personæ; ut speciatim Evangelium Joannis secundum profectiones Christi ad diversa paschata.

III. De Analysi librorum *historicorum* in specie, hi teneantur canones.

1. Historiæ inter sese aliæ ab aliis distinguantur.
2. Causæ & occasiones historiæ observentur.
3. Principia, progressus, & finis historiæ attendantur.
4. Circumstantiæ omnes accurate expendantur.
5. Observetur, ubi unaquæque narratio incipiat, ubi desinat; rum cohæreat cum antecedentibus vel sequentibus, an vero plane sit separata.
6. Doctrina seu fides, & vita sanctorum, accurate discernantur.
7. Topographia & Chronographia, id est, locorum & temporum observatio, imprimis notetur.
8. Dogmatica secernantur ab historicis, si intercurrant.

IV. De analysi librorum *dogmaticorum* in specie, hi teneantur canones.

1. Status & generalis propositio enodetur.
2. Præcipui loci communes attendantur.
3. Connexio istorum locorum investigetur.

V. De analysi librorum *propheticorum* in specie, hi teneantur canones.

1. Attendatur tempus, quo prophetæ floruerunt.
2. Scopus prophetæ eruatur.
3. Historica & prophetica secernantur, & historica conferantur cum libris Regum & Chronicorum.

VI. Analysis theologica *capitis* Biblici hos habet canones.

1. Dispiciatur, num caput cohæreat cum præcedenti vel sequenti capite, an vero plane sit secretum.
2. Attendatur, num tractetur unum thema, an vero plura pertractentur.
3. Si sint plura themata, videatur num unum ex alio pendeat, vel an prorsus sint disjuncta.
4. Argumenta explicantia ac probantia ordine colligantur.
5. Analysis instituatur primum scholastica, deinde popularis; id est, primum terminis logicis dispositio capitis enuncietur, postea popularibus.

VII. De

VII. De analyſi *verſuum* Biblicorum hi teneantur canones.

1. Attendantur antecedentia, conſequentia, & occaſio.
2. Obſervetur thema, & reducatur vel ad aliquod caput catecheticum, vel ad aliquem locum communem.
3. Argumenta quæ ſunt in ſingulis verſibus eruantur, & themati applicentur.
4. Præter analyſin logicam, ſpectari quoque, imo præmitti poteſt analyſis grammatica verborum & phraſium, & rhetorica troporum ac figurarum; ita ut de quolibet verſu inſtitui poſſint ac debeant quæſtiones grammaticæ, rhetoricæ, logicæ.

FINIS.

ALLO-

ALLOQUIUM AD SCHOLARUM RECTORES.

DEfuncti sumus, *Viri præstantissimi*, atque multorum è vobis petitioni morem gessimus, in illustranda *Notis & Exemplis Synopsi Logicæ Burgersdicianæ*, adjunximusque *Praxeos* exercendæ regulas quasdam; ubi tamen exempla nulla apposuimus, quod ea ab ipsis tyronibus & Logicæ studiosis ad regularum normam & amussim componi proprio Marte & institui consultius sit: &, si aliquam hic exigant χειραγωγίαν, adeant *Gymnasium Logicum Keckermanni*, & *minus* & *majus*, ubi exemplorum abunde est. Cæterum, cum finis Logicæ sit præfixus; *mentem dirigere in cognitionem rerum*, quinam illi sint mentis actus dirigendi, & quomodo, dicendum est obiter. Intellectus humanus non uno versatur modo circa res cognoscendas. Aut enim res quaslibet *apprehendit simpliciter*, quæ vulgo dicitur *prima mentis operatio*, & *apprehensio simplex* (atque eam juvat *Prædicamentorum*, *Prædicabilium*, & *Notionum secundarum*, vel *affectionum Logicarum* doctrina in hac *Synopsi* tradita:) aut res apprehensas *enunciat*, & enunciando inter sese vel *componit*, vel *dividit*, quæ *secunda mentis* dicitur, & *complexa oratio*; aut naturas rerum apprehensarum interiores in *definitiones* contrahit ac colligit, aut easdem per *divisionem* resolvit & dilatat (atque hanc in enunciandis, definiendis, dividendis rebus ante apprehensis, operationem mentis secundam, perficit in hac *Synopsi Interpretationis*, *Enunciationis*, *Divisionis* doctrina, suis capitibus explicata: aut inferendo & concludendo syllogistice de rebus apprehensis, enunciatis, definitis,

nitis, promovet *Syllogismorum* doctrina, suo quoque loco in *Synopsi* expositа: aut denique, quicquid vel simplici apprehensione, vel aliis modis jam dictis, cognovit, *methodice* inter sese *disponit*, *ordinat*, *tractat*, *retractat* atque hic mentem dirigit ultimum *Synopseos Burgersdicianæ* caput.) Verum enimvero in postrema hac, res quasvis ordinata & artificiosa methodo pertrectandi ratione, multum deficit *Synopsis*: quem defectum ejus *Author* aliquando à se suppletum iri promiserat; sed aliter visum fuit summo rerum omnium moderatori Deo, qui ante fidem liberatam eum in beatas transtulit sedes. Ego in munere ipsi succesſor, in ejus quoque vicem hic succedere volui: eumque in finem, *Geneseos* & *Analyseos Logicæ* canones subjunxi. Hoc restat, ut tyrones & Logicæ studiosi continuo examine circa *Synopseos præcepta*, & assiduo exercitio circa *regulas Praxeos* occupentur: quod vestræ fidei committo, *Viri Præclari*, & *Deo* vos ac Juventutem studiosam commendo.

Lugd. Batav. Postridie Idus Maii, M. DC. LI.

ADRIANUS HEEREBOORD,

Philosophiæ in Academia patria

Professor Ordinarius.

UNIVERSITY LIBRARY CAMBRIDGE